DE SACRI CONSISTORII CONSVLTATIONIBVS

GABRIELIS CARD. PALAEOTI.

[redacted]



VENETIIS,

Apud Minimam Societatem.

M D XCIIII.

SACROS. R. E. CARDINALIVM COLLEGIO.

GABR. CARD. PALÆOTVS.

AGITVR *annus prope trigesimus, cum diuinæ placuit bonitati, per Pont. Max. Sanctæ mem. Pium IIII. in celeberrimum istum vniuersalis Ecclesiæ Senatum, & summum Consilium ex omnibus nationibus delectum, me licet meritis longe alijs inferiorem aggregare. Quod munus cum plane magnum, & multiplex, ac negotiorum, frequentia & grauitate cumulatum, in omnes partes Reipublicæ Christianæ patere animaduertissem, supplex Patrem luminum rogaui, vt cælesti sua luce animum illustraret meum, atque vt eximiam Cardinalium illorum, qui tunc florebant, subindeq. per manus traditam, & ad vos quasi hereditario iure delatam prudentiam, imitari aliqua ex parte possem. Et quamuis peritissimorum Ducum mihi viam præmonstrantium, tum excellenti doctrina, tum rerum vsu, in hoc arduo vocationis meæ itinere, satis dirigi posse confiderem: tamen, cum inter cæteras muneris huius*

functiones, illam vnam, quæ ad sacrum Summi Pontificis Consistorium, singulare totius Christianæ Reipublicæ perfugium, atque ornamentum, pertinet, magna rerum varietate, ac perenni quadam negotiorum commutatione implicari conspicerem; cognoui simul non eandem mihi in his ad amplissimorum Senatorum vestigia consectanda, semitam, atq. alijs in rebus patere: eo quod multa hic frequenter contingerent, quibus Cardinales, tametsi eundem finem spectarent, non idem tamen, vt in rebus mortalium sæpe accidit, sentirent, quinimmo in consilij dandi ratione, ac huius muneris obligatione æstimanda, valde discreparent. Quod quidem cum ex ipsa præcipue rerum, quæ tractantur, natura accidere animaduerterem, propterea quòd ea, quæ quotidie consultanda emergunt, adeo sunt inter se diuersa, noua, ardua, multiplicia, & propemodum infinita, vt quid, quando, quomodo, quatenusve loquendum, aut tacendum sit, nulla satis constanti regula præfiniri, ac decerni posse videatur: Idcirco difficultatem huiusmodi arduam nimis, atque humanis fere viribus superiorem aliquando censebam, cum non omnia, non semper, non vbique, non eadem ab omnibus Cardinalibus pronuntianda, sed suo tempore, vt dixit Salomon, vniuersa esse facienda, facile perspicerem. Quare, cum maiores in dies animi vexationes, ac grauiores rerum perturbationes hinc assidue exoriri viderem, quæ me ipsum, & alios etiam suspensos varie exagitabant, ac solicitos simul detinebant, ne qua in parte muneris nostri offenderemus; cœpi ego eo magis permoueri, quo infirmiorem animi mei sensum agnoscebam, ac peregrinationis cursum, tempori, quo erit villicationis meæ reddenda ratio, propinquiorem esse sentiebam.

Qua-

Quamobrem accuratius multo mecum meditari ſum aggreſſus, an aliquid accommodatum ſedandis hiſce mentis agitationibus inueniri poſſet; quo tranquilliore poſthac conſcientia, & maiore animæ meæ fructu, hac præſertim affecta ætate, in hoc ampliſſimo munere verſari poſſem. Itaque cum nonnulla non ſolum ex maiorum noſtrorum inſtitutis, ac veterum Cardinalium diſciplina, ſed etiam ex ſacrorum Conciliorum, & Canonum decretis, ſanctorumq. Patrum auctoritatibus, in vſum meum adnotaſſem, atque, vt ea tutius mihi ſequi liceret, ad aliquot Ordinis iſtius ſapientiſſimos Senatores detuliſſem, inter quos tres extitere, qui ad ſummum Pontificatum euecti fuerunt, Gregorius XIIII. Innocentius IX. & qui hodie maximo Reipublicæ Chriſtianæ commodo feliciter viuit Clemens VIII. S. D. N. illorumq. acri iudicio explorato, eadem illis non improbari cognouiſſem; tum eo attentius inſtitui complura alia, quæ tempus ipſum quotidie parturiebat, obſeruare, & cum Senatoribus multis communicare, prudenteſq. illorum cogitationes ſcrutari, & conſilia excipere. Quo factum eſt, vt, Deo iuuante, plura, quàm initio arbitrabar, fere non ſentiens, nec longo admodum labore in vnum coegerim, quæ ad ambiguitatis, ſolicitudiniſq. aculeos euellendos, & ad conſiliorum noſtrorum tutiorem fortaſſe rationem poterunt aliquando pertinere. Quorum multa cum ex veſtræ prudentiæ fontibus fuerint hauſta, æquum exiſtimaui eadem veſtris maturius excutienda iudicijs, ac probanda ſententijs offerre: vt ſi publicis rebus conſultandis, atque ſuffragijs certius ferendis, hinc lucem aliquam accedere poſſe iudicatis, hæc non tam tenuitatis meæ, quàm grauitatis veſtræ Senatoriæ,

ac potius communem sapientiæ, quæ in vobis elucet, fœtum agnoscatis, & quantò animi studio, atque obseruantia uobis ea offeruntur; tanta uos uicissim humanitate, ac benignitate, illa complectamini. Quæ tamen omnia in primis summi Pontificis, ac Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ correctioni, atque auctoritati subiecta esse profiteor, & declaro.

QVAEDAM PERTINENTIA AD RATIONEM ordinis in hoc opere obseruati.

ANTEQVAM de ordine nobis in hac tractatione proposito dicere incipiamus, visum fuit, Lectorem admonere, nos librum hunc tametsi typis modo excudi permiserimus, nondum tamen publice edi, aut omnibus legendum exponi voluisse; cum adhuc nonnulla forte addenda, & magis elaboranda supersint: verum paucis interim exéplis ad priuatum tantum aliquorum vsum ita in præsenti impressum fuisse. Quòd si aliqua in eo dirigendo, fortasse repetita, & in idem recidentia videbuntur, animaduertendum erit, a nobis id non sine causa factum: nam sicuti rami multiplices, cum ab vna tantum radice exoriantur, eandemq. vim, ac naturam retineant, diuersa tamen spatia in arbore occupant, atque huc, & illuc ad varios vsus feruntur; sic in vna eiusdem argumenti tractatione, quamuis multiplices, tum quæstiones, tum probationes, item rationes, atque auctoritates ex eisdem fere principijs deductæ sese obtulerint, quæ idem prope sonare videntur; nos tamen eas proprijs locis distinguere, atque suas singulis sedes ad diuersa probanda, seu corroborāda, prout aptius visum est, ita accommodare curauimus, vt nemo easdem frustra repetitas probabiliter existimare debeat.

Vt igitur ad ipsius ordinis explicationem veniamus, sciendum est primum, nos initium cepisse a necessitate petendi, dandiq. consilii, quo tamquam solido fundamento, tota ædificii extruēdi ratio niteretur. Deinde quia omnes regulæ exceptiones varias habere consueuerunt, atq. hac in re multa tamquam impedimenta, seu difficultates pro-

poni solet, quibus a dādo cōsilio Senatores frequēter ex cusari possent, ideo singulos hos casus, qui ex variis fontibus deriuare videntur, persequi diligenter conati sumus. Hincq. factum est, vt tota hęc tractatio in quinque partes a nobis fuerit distributa. Prima continet necessitatem petendi, & dandi consilii. Secunda excusationes Cardinaliū a persona Papæ. Tertia excusationes a persona Cardinalium. Quarta difficultates, quæ aliquando oriuntur ex rebus ipsis, de quibus est consultatio, quæ Cardinalibus negocium facere possunt. Quinta tandem complectitur difficultates, quæ ex causis extrinsecis nasci solent. Quibus omnibus conclusio accedit, veluti epitome totius disputationis.

Vt vero tota rei series, si quando vsus venerit, vno aspectu ante oculos haberi, vtque facilius omnia pręcipua capita, memoria teneri possint, placuit omnium quæstionū Indicem, atque ordinem subiicere.

PARS PRIMA.

Necessitates petendi, & dandi consilij.

HIC proponuntur quæstiones quædam generales, quæ sunt tamquam fundamenta totius disputationis. & tribus prioribus agitur de necessitate petendi consilii: tribus sequentibus de obligatione dandi consilii. Primo necessitas ostenditur petendi consilij in rebus priuatis: Tum, in rebus publicis: Tum, in rebus Consistorialibus. Deinde agitur de obligatione DD. Cardinalium in dando consilio ex vinculo charitatis: Tum, ex vinculo iustitiæ: Denique, ex natura officii.

Et sunt Quæstiones VI.

QVAEST. I. *De Consultationis necessitate in rebus priuatis.* 1

Quid

II. *Quid in rebus publicis, & quæ pertinent ad Principes, & Magistratus.* 2.

III. *An summus Pontifex Cardinalium consilium, siue consensũ in rebus arduis necessario requirere teneatur.* 3.

IIII. *An Cardinales a Papa requisiti teneãtur vinculo charitatis ad consilia prompte, & syncere proferenda.* 4.

V. *An iustitiæ vinculo ad eadem consilia teneantur.*

VI. *An Cardinales etiam non requisiti, teneantur ex natura officij sui, vbi res postulat, Papæ consilia subministrare.* 5. 6.

PARS II.

Excusationes Cardinalium deductæ a persona Papæ, ne teneantur ei consilium dare.

IN hac parte agitur, an Cardinales excusari possint a dãdo consilio ex causis deductis a persona Papę propter eius officium, vel propter eius præsumptam voluntatem. *Ab officio:* Propter maximam Papæ auctoritatem: Vel propter eiusdem sapiẽtiam, & sanctitatem: Siue propter summam, quæ ei debetur, obseruantiam: Aut propter eam, quæ illi iure deferenda est obedientiam. *A voluntate præsumpta:* Quia ipse affirmat sic expedire: Aut quia Cardinales credunt iam eum deliberasse: Aut quia existimant illorum sententias non magni ab eo fieri: Aut quia verentur ei molestiam afferre: Aut quia dubitant, illum magis irritandum: Seu quia sibi persuadent, illum scire, & pati quæ ab eis geruntur.

Et sunt Quæstiones X.

Q. I. *An propter supremam, atque a Deo immediate pendentem Summi Pontificis in vniuersos auctoritatẽ, excusandi sint Cardinales, qui nulla in re illi cen-* 7.

sent

sent ropugnandam.

II. *An laudabilius sit in rebus a Summo Pontifice propositis, intellectum suum cum humilitate captiuare, propter eius eximiam sapientiam, ac superèminentem perfectionem, quàm proprium sensum aliter dictantem sequi.* 8

III. *An religionem, & debitum Papæ obsequium Cardinalis in aliquo lædere censeatur, qui rebus a Summo Pontifice propositis consulendo dissentit.* 9

IIII. *Quando Cardinales cupientes obedire Papæ se a dicendo abstinerent; eo quod gratius illi futurum censerent eos silere, quàm loqui: An venia digni essent.* 10

V. *Quid si Princeps affirmaret se habere iustas, & validas causas aliquid faciendi, quæ tamen alijs ignotæ essent: An Cardinales responsuri, deberent illius propositioni acquiescere.* 11

VI. *Cardinales qui sibi persuasum haberent Papam iam in animo statuisse quid velit facere, eumque sententiã minime mutaturum, & ideo se dissentiendo nihil profecturos, An tacendo essent excusandi.* 12

VII. *Si aliqui Cardinales existimarent, Papam exquirere eorum sententias cæremoniæ potius, vt dici solet, quàm consilij causa, Quid tunc agere debent.* 13

VIII. *Quid, si vererentur aliqui contradicendo Papam cõtristare, & nollent ei molesti esse.* 14

IX. *Si qui suspicarentur, Papam, ipsis dissentientibus, magis obfirmandum, aut potius irritandum: An sententiam suam debeant comprimere.* 15

X. *An Principis scientia, & patientia, Cardinales animo dissentientes, sed silentio, & capitis demissione se assentiri ostendentes, excusare censeantur.* 16

PARS

Excusationes a persona Cardinalium.

HAEC pars complectitur alias causas prodeuntes a persona Cardinalium: Siue ab eorum munere: Siue ab eorum natura, & moribus: Siue a concepta suspicione. *A munere:* Quia sunt (vt dici solet) Creaturæ Papæ: Vel quia tamquam emeriti milites, digni sunt tacendi priuilegio: Seu quia iam tentarunt, & frustra, & commodius alibi agent. *A natura:* Ob adolescentiam, seu pudorem, & imbecillitatem: Siue ob metum reuerentialem: Aut ob alia loquendi impedimenta. *Ex varijs suspicionibus:* Veluti, ne ipsi singulares in sua sententia habeantur: Ne frustra nitantur: Ne postea amplius prodesse non valeant: Quòd sic alios claros Cardinales fecisse videant.

Ex quibus deducuntur Quæstiones IX.

Q.I. An Cardinales creati a Papa, seu ab illo muneribus, atque honoribus decorati, siue etiam consanguinei, vel nepotes, a dicenda in Consistorio sententia excusentur. 17

II. Qui anteacto tempore officium suum consulendo bene præstitisset, si aliquando deinde rogatus in Consistorio, sileret: An esset excusandus. 18

III. Qui cum Põtifice iam se priuatim egisse, idque frustra, aut se commodius postea acturos dicerent: An eis liceret in Consistorio abstinere. 19

IIII. An propter adolescentiam, aut verecundiam, seu memoriæ imbecillitatem, aliave huiusmodi impedimenta, liceat Cardinali in sacro Consistorio a dicendo cessare. 20

V. Qui metu reuerentiali se à dicendo abstinerent, aut aliter quàm oporteret, loquerentur: An digni excusatione 21

satione essent.

VI. Quid, si, tacentibus alijs, uereretur aliquis aduersando singularis haberi: An tunc alios sequendo, esset excusandus. 22

VII. Num illud a veteribus scriptum: Quod frustra niti, neque aliud quàm odium quærere, extremæ dementiæ est, deberet eos Cardinales excusare, qui putarent se dicendo nihil effecturos. 23

VIII. An Cardinalis sit excusatione dignus, qui vt gratiã Principis retineat, atque alijs proinde rebus fructuosior esse possit, illud aliquando se probare in Consistorio ostendat, quod vere non probat. 24

IX. An Cardinalium clarorum exempla, qui ad res propositas, licet sibi non probatas, tacere, aut nihil repugnare interdum soliti fuerunt, iustam alijs idem faciendi excusationem præbere possint. 25

PARS IIII.

Difficultates a rei quæ proponitur natura.

HOC loco difficultates recensentur, quę a proposita materia oriuntur, quarum aliæ ad personas: aliæ vero ad res pertinent. *De personis:* An dignior sit approbandus: An crimina denuncianda: An sufficiat sequi consilia peritorum. *Ex rebus propositis:* Veluti cum causa est dubia: Cùm ex improuiso proponitur: Quando est prorsus ignota: Quando alias fuit proposita: Cùm id, quod proponitur, pertinet ad ius diuinum, aut positiuum: Quando dubitat an consulendi præceptum ita sit affirmatiuum, vt non perpetuo obliget: Quando Cardinalis assurgens demittit tantum caput, & tacet: An tacere ad res propositas, sit culpa, & qualis: Quis respondendi modus ad res propositas sit aptior.

Et

Et ſunt in hac parte quæſtiones XII.

Q. I. An ſi promouendus in Epiſcopum, aut Cardinalem, dignus ſit, ſufficiat Cardinali Conſiliario illum approbare: an alterum potius digniorem proponere debeat, ac meliora ſemper in alijs etiã negocijs ſuadere. 26

II. An teneatur Cardinalis detegere crimina, aut impedimenta, quæ obſtant promouendis in Epiſcopos, aut Cardinales. 27

III. Si quis conſilium a viris peritis accepiſſet, licere ſibi certis de cauſis aliter in Conſiſtorio de re propoſita reſpondere, quàm conſcientia dictet: An defendi mereatur. 28

IIII. Quando res propoſita, Cardinali dubia videtur, quæ partes illius eſſe debeant. 29

V. Quando res graues ex improuiſo proponuntur, Quid Cardinali ſit agendum. 30

VI. Si Cardinalis earum rerum quæ proponuntur, idoneam notitiam, aut experientiam non habeat, Quid ei ſit agendum. 31

VII. Quando alias eadem cauſa fuiſſet in Conſiſtorio propoſita: An dicenti ſufficeret ſuffragium ſuum reijcere ad id quod prius ipſemet dixiſſet, aut ab alio Cardinali dictum probaret. 32

VIII. An de rebus, quæ ius diuinum reſpiciunt, Conſiliariũ loqui, de ijs vero quæ ad ius poſitiuum ſpectant, eundem ſilere deceat. 33

IX. An hoc dandi conſilij officium, ad affirmatiua præcepta ſit referendum, ita vt non ſemper, ſed opportune ſit ſuppeditandum. 34

X. Quando res eſt talis, quod Cardinalis eam non probãs, eligit tacere, aſſurgens cum capitis inclinatione: An muneri ſuo ſatisfaciat. 35

XI. An tacere Cardinalem in Conſiſtorio; quando ſententiam rogatur, ſit culpa, & qualis. 36

Inter

XII. Inter varios respondendi modos ad id quod propositū est in Consistorio, Quisnam congruentior esse videatur. 37

PARS V.

Difficultates a varijs causis extrinsecus assumptæ.

HAEC pars multiplices causas extrinsecus orientes comprehendit, quarum aliquæ in Consistorio: aliæ extra Consistorium considerantur: aliæ varias dubitationes continent. *In Consistorio*. An Cardinali sit necessaria loquendi libertas: An satis sit, eum sine ornatu quoquomodo loqui: An sententia clara voce, an secretis suffragiis, aut de scripto dicenda: An liceat rem omnem ad arbitrium Papæ referre: An ad maiorem partem Collegii: An mutare ibidem sententiam: An tacendum sit, si Princeps per se statuat: aut eis contradicat: aut silentium indicat. *Extra Consistorium:* Num liceat abstinere se interdum ab accedendo in Consistorium: An subscribere Bullas contra cōsciētiam. An Bullas subscribere examinatas, quando erat absens. *Aliæ dubitationes:* Veluti, quonam modo Cardinales in Congregationibus se gerere debeant: An plures difficultates simul iuuent: In dubiis, quid magis probandum.

Et sunt Quęstiones XIII.

Q. I. An Cardinali sit necessaria in Consistorio libertas loquendi; an potius, si aliquando ea non vtatur, sit excusandus. 38

II. An aliquo verborum ornatu, aut quo potius dicendi genere Cardinalem vti conueniat in Consistorio. 39

III. Ad dicendam in Consistorio sententiam, quis modus aptior sit indicandus: an clara voce: an secretis suffragiis: 40

fragijs: an ex scripto, siue qualibet alia commodiore ratione.

IIII. *Cardinales rogati sententias, si ad beneplacitum Papæ se referant, aut sententiam suam Papæ iudicio submittant: An muneri suo satisfaciant.* 41

V. *Quid de ijs sentiendum sit, qui se maiori parti Collegij submittunt.* 42

VI. *Qui loco suo dixit, an auditis subsequentium melioribus sententijs, possit, & debeat consilium ab se datum emendare.* 43

VII. *Si Pontifex non exquisitis prius Cardinalium sententijs aliquid sponte statuat: aut, si exquirat, & dum hi respondent, ille aliquid interloquatur, vel eis contradicat: siue silentium indicat in rebus, quæ ab ipsis non probantur: Quæ sint partes Cardinalium.* 44

VIII. *An Cardinali non accedere in Consistorium, quando a Papa indictum est, culpa sit: & maxime si causam proponendam sciat, cui nullo pacto pro conscientia sibi assentiendum putet.* 45

IX. *An debeant Cardinales subscribere Bullas Summorum Pontificum, quamuis in Consistorio ab ijs dissenserint, & subscriptionis quoque tempore eas vere, & ex animo non probent.* 46

X. *Qui ex iusto impedimento fuit absens, cum negocium tractaretur in Consistorio, An teneatur subscribere Bullam, cui maior pars Cardinalium consensit.* 47

XI. *De Congregationibus Cardinalium pro rebus consultandis: ac de Consiliarijs minoribus, ceterisque in ijsdem Congregationibus obseruandis.* 48

XII. *An rationes, quæ singulæ ad excusandum Cardinalem a debito consulendi munere non sufficiunt, plures simul coniunctæ suffragentur.* 49

XIII. *An inter varias Doctorũ opiniones sit illa tãquã benignior amplectẽda, quæ admittit excusationes, seu difficultates: ne consiliũ detur: an alia, quæ eas reijcit.* 50

CON-

CONCLVSIO TOTIVS OPERIS.

Quæ præcipue necessaria Cardinali videantur, vt Consilij dandi munus, pro vt oportet, exerceat.

HAEC Conclusio, quoniam est instar compendii plurimarum præcedentium quæstionum, atque alia multa ad totam disputationem terminandam complectitur: Ideo ad clariorem eius explicationem fuit in aliquot membra distributa, quæ sequuntur.

Q. I. Non sufficere Cardinalem recta consulere, sed oportere etiam recte consulere, vt muneri suo satisfaciat: & hæc plurimum inter se differre. 51

II. De fine, qui Cardinali Consiliario præcipue propositus esse debet. 52

III. Cardinali, vt cum fructu consulat, auctoritate potissimum opus esse: atque ad eam comparandam, et exercendam permulta requiri. 53

IIII. Tria Cardinali ad recta, recteque consulendum in primis esse necessaria: Rerum peritiam: Beneuolentiam: Loquendi libertatem. 54

V. De alijs pertinentibus ad Consistorialia Consilia. Primo, De Summo Pontifice, qui Consistorio præsidet. Secundo, De triplici Cardinalium, qui Consistorio adsistunt, ordine, atque officio. Tertio, De obseruandis a Cardinali quando indicitur Consistorium. Quarto, Quando in Consistorium conuenitur. Quinto, Cum Summus Pontifex causas consultandas proponit. Sexto, Cum sententias in Consistorio exquirere incipit. Septimo, Cum locus obuenit Cardinali ad Consilium suum proferendum. Octauo, Post dictas sententias ab omnibus Cardinalibus quid obseruandum. Nono, Dimisso Consilio, quid reliquum sit. Decimo, Quæ partes sint veri Cardinalis in tota eius vita ex sancto Bernardo. 55

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM,

Quæ in hoc opere continentur.

A

ABESSE a Consistorio sine causa non licere. pag. 326. c
Abesse a Consistorio arbitratu suo Cardinalē non posse sine culpa. 281. c
Abesse licet a Consistorio ex varijs legitimis causis. 321. a
Absens Cardinalis non dat consiliū, tamquam membrum Consistorij. pag. 308. c
Absens Cardinalis iure communi nō habet suffragium. 303. a
Absens Cardinalis non habet votū, nisi in creatione Cardinalis, & electione Papæ. 303. c
Absens Cardinalis potest, & debet subscribere Bullas tamquam pars Collegij. 308. c
Absens Senator, aut tarde veniens olim apud Romanos, mulctabatur. 285. a
Absens. M. Claudij Pompeij, & Ser. Sulpit. Coss. lex de absentibus Senatoribus. 303. a
Absentem legitime posse constituere procuratorem ad eligendū. 303. b
Absentes Cardinales admitti ad subscribendum Bullas. 302. a
Absentes quando sunt vocādi. 303. b
Absentes Cardinales, non nisi iubente Pontifice uoluiße interdum subscribere Bullas. 307. c
Absentes Cardinales solere subscribere Bullis. 307. b
Absentes. etiam legitime impeditos aliquando teneri consilij sui copiā facere. 327. a
Absentes Senatores Romanos nullū ius suffragij habuiße. 302. b
Absentis Senatoris sententia non est proprie Senatoris, nec numeranda inter aliorum sententias, nisi, actis ostensis Senatus, postea fuerit lata. 304. d
Absentium Cardinalium rationē, aliquando Papa vult haberi. 261. d
Absentium Senatorum consilium, non eße ipsius Senatus, sed singulorum hominum. 304. a
Absentium Senatorum mulctas ampliauit Augustus. 285. c
Absoluere. promptiores eße oportet ad absoluendum, quàm ad condemnandum. 325. a
Accedere licet in alterius votū post suffragium latū a se in elect. Sum. Pont. 267. a

Accidentia mutant rei statum. 72.a

Achab malum sibi de Michea prophetari dicit, quod sensui displiceret. 87.c

Achei, decretum factum defendunt, qui antea eidē repugnabāt. 295.d

Achitophel videns sperni consilium suum, mortem sibi cōsciuit. 182.c

Achitophelis sententiam euertit Chusai Arachites. 130.c

Actio deliberata nulla est indifferēs in indiuiduo. 3.d

Actio bona quadruplicem bonitatē requirit. 335.a

Actio hominis, & humana differt. pag. 337.a

Actio omnis, bona tria requirit, scire, velle, & posse. 349.c

Actio publici criminis, est cuiusuis. pag. 275.d

Actionem nullam posse dici virtutis esse, nisi recta sit per se, & recte exerceatur, ex Concilio Tridentino colligitur. 337.d

Actum committit præsumptionis, qui nescit officium, & exercet illud. 351.b

Actum virtutis reperiri aliquando sine virtute. 336.d

Actus exteriores tantum lex humana respicit. 334.b

Actus imaginarios, & vmbratiles, Christi disciplina nō sustinet. 82.b

Actus iniustus, & nullus differunt. pag. 37.d

Actus vi, aut metu factus, vt inuoluntarius reprobatur. 308.d

Actus vnus potest referri ad plures virtutes. 48.a

Administratio Ecclesiæ nititur consilio Cardinalium. 43.d

Adolescentia expers esse solet vsus rerum, & maturitatis. 113.b

Adolescentiæ maximum ornamentum modestia. 114.a

Adolescentis Cardinalis, qualis respondendi modus. 116.b

Adrianus semper interfuit Senatui. pag. 282.c

Aduerbia magis, quàm verba, Deū remunerare. 337.b

Adulatio quo impudentior, eo vehementius expugnat. 225.c

Aequalitas duplex, Arithmetica, & Geometrica. 49.a

Aequalitate ipsa nihil quandoque inæqualius. 261.a

Aetoli habebāt secretius consilium. pag. 73.a

Affabilitas quænam virtus sit. 85.b

Affectiones animi, per se nec bonæ, nec malæ sunt. 83.b

Affectum carnis propinquorum nul torum malorum Seminarium vocat Concilium Tridentinū. 357.d

Affectus consanguineorum, est rationi subijciendus. 104.a

Affirmando minus quàm negādo tractari de cælestibus rebus. 361.a

Affirmationis signum est capitis demissio. 120.b

Affirmatiua præcepta in tria genera distribuuntur. 191.a

Affirmatiui præcepti obligationem maxime declarari tempore necessitatis. 192.a

Affirmatiuum præceptum dandi cōsilij implicat hūc casum, nō licere mentiri, sed nō istū, non licere abstinere aliquādo a respōdēdo. 190.a

Affirma-

Affirmatiuum præceptum obligare semper, sed non ad semper. 188.d
Affirmatiuum præceptum tantummodo obligare, quando commode licet. 189.a
Alexander Seuerus, quid responderit matri Mammaæ de libero cõsilio. 15.c
Aliena facta ignota interpretanda in melius. 326.a
Ambitiosus est repellendus. 145.d
Amictus totus Cardinalem admonet sui muneris, vt olim fimbriæ Israelitas. 344.c
Amici fideles non semper tacere, sed magis prodeße cupiunt. 255.c
Amor, & timor sunt duo tortores humanæ vitæ. 358.c
Amoris proprij retibus quando aliquis sit implicitus, argumentum datur. ibid.
Amor nimius sui, & imbecillitas humana, sunt duo aduersa libertati. pag. 356.d
Angelorum, & hominis intelligendi modus diuersus. 172.d
Angelorum locutio. 205.c
Animorum dissimilitudines non minores esse, quàm corporũ. 269.b
Animum principaliter intuetur lex diuina. 334.b
Animus generosus nulla re præterquam peccato potest contristari. pag. 84.b
Animus quæritur diuersa ratione in lege humana, & Diuina. 335.c
Annorum differentiam peccati speciem non immutare. 114.c
Annuẽs capite, et mẽte discrepãs duplicẽ deformitatẽ incurrit. 197.a
Anthemiũ reprehẽdit S. Gregorius, quia non suscipiebat consilia. 4.b
Antigoni Regis mos, in non communicando sensa animi sui. 9.b
Antonini Imperatoris dictum de spernendis amicorum consilijs. 63.a
Antoninus Cæsar statim ab ingressu Senatus sacra faciebat. 371.a
Apellis exemplum in audiendis aliorum opinionibus imitandũ. 32.b
Aperiens os Cardinali, quid Papa mandet. 228.a
Apostolica Sedes est veluti arbor illa apud Danielem. 313.d
Apostolica Sedes, omnium Ecclesiarũ caput, populorum mater, orbis perfugium. 313.c
Apostolorum assistentium Christo in locũ succeßiße Cardinales. 365.c
Apparatus exterior, et cultus Papæ facit ad existimationem tuẽdam. pag. 364.b
Appij Claudij oratione totius Senatus sentẽtia cõmutata fuit. 130.c
Appius senex, & cæcus delatus in Senatum. 302.c
Areopagus nec præfationes, nec perorationes permittebat. 230.b
Argumenta suæ opinionis præferre, non semper est temerariũ. 279.d
Aristides consilium Themistoclis, quamuis vtile reiecit, quia non iustum. 135.a
Arrogantiæ species est singularitas. pag. 124.d
Asiæ incolæ, Non, dictionem pronũtiare non audebant. 117.c
Assentatio sub libertatis specie erga Tiberium Imperatorem. 225.a
Athenienses laboraße curiositatis vitio.

vitio. 381.d
Athenis minore 50. annis ad consilium non conuocabantur. 114.b
Athenis praeco dira imprecabatur perfido consultori. 353.c
Attilij Reguli oratione Senatus fuit commutatus. 130.c
Auctoritas, & prudentia canos sequi solet. 106.d
Auctoritas dicentis necessaria est ad consulendum. 342.a
Auctoritas Pythagorae in dicendo. pag. 59.b
Auctoritatem Regibus ex virtutis opinione accedere. 342.c
Audientia. Papa in Consistorio audit seorsum Cardinales, antequam res consultandas proponat. 372.d
Audientiae tempore, erit grauitatis Card. non facile se loco dimouere. 372.d
Augustus adhibuit ad consilium etiam priuatum Maecenatem, & Agrippam. 10.b
Augustus frequenter ex scripto loqui solitus. 249.a
Augustus mulctas absentium Senatorum ampliauit. 285.c
Augustus sanxit vt supplicaretur ad aram eius Dei in cuius templo Senatus haberetur, priusquam considerent. 271.a
Augustus Senatores sedentes nominatim salutabat. 272.a
Augustus vtebatur secreto consilio. pag. 73.a
Aulicos doctos Cardinalis curabit habere familiares. 352.d

B

BENEDICTVS. *S. Benedictus in regula sua mãdauit fratres omnes etiam inferiores ad consilium vocari.* 10.c
Beneficij memorem esse decet. 99.b
Beneficiũ inuito non confertur. 20.c
Beneficium qui suscipit, debet reflectere animum in benefactorem. pag. 100.a
Beneplacita aliorum facile amplectẽtes, in suspicionẽ assentationis incurrunt. 255.b
Beneplacitum. referre ad se beneplacitum Papae sine causa, culpa nõ caret. 252.a
Beneplacitum. referentes se in consilio, aut suffragio dando ad Principum beneplacita, multipliciter deficiunt. 256.a
Beneplacitum. SIXTI *V. sententia contra referentes se ad beneplacitum suum.* 256.a
Beneuolentiam erga Papam ad hos Cardinales, quos tamquam filios Papa parturijt praecipue pertinere. 101.b
Beneuolentia, prudentia, & virtus requiruntur, vt fides homini habeatur. 350.b
Benignior interpretatio est in dubijs fouenda. 325.a
Benignius est non quod extrinsecus lenius, sed quod in commune est vtilius, et p se magis iustũ. 329.d
Bona actio omnis requirit tria, scire, velle, & posse. 349.c
Bona actio requirit quadruplicem bonitatem generis, speciei, circumstantiarum, & finis. 335.a

Boni

Boni Cardinalis nomen, & officium non potest sustineri sine libertate consilij dandi. 356.b
Boni publici maior est habenda ratio, quàm personæ Principis. 91.b
Bonum commune etiam in foro exteriori esse priuato anteferendum. pag. 325.b
Bonum ex integra causa consistit. pag. 335.a
Bonum. sentiendum in bonitate de Principibus. 75.c
Bonum virum, & bonum ciuem differre. 356.a
Bonum vulgo dicunt, quod placet sensui. 87.c
Bonus nemo, nisi sit bene proportionatus bono communi. 43.d
Bulla de consilio Cardinalium facta, quo sensu dicitur. 299.c
Bulla. sententiæ variæ Doctorum, utrum absentes Cardinales debeãt subscribere Bullas. 305.b
Bullæ subscribunt Cardinales non modo Consistorio præsentes, sed qui etiam erant absentes. 307.b
Bullam subscribere recusarunt aliquando Cardinales. 307.c
Bullam SIXTVS V. decreuit omnes præsentes in Vrbe teneri ad subscribendum. 308.a
Bullã subscribere quando maior pars Cardinaliũ dissentit an oporteat. pag. 296.b
Bullæ subscriptio quando maior pars dissentit, an fiat in signum ministerij. 309.b
Vide cetera in verbo, Absens, & verbo, Cardinalis, & verbo, Subscriptio.

C

CÆLESTIVM spirituum Hierarchiam esse in cælo. 361.b
Cælestibus de rebus potius negando, quam affirmando tractatur. ibi.a
Cælorum regnũ vim patitur. 367.d
Cæremoniarum diuersa ratio obseruatur, quando Papa est præsens, & quando absens. 373.d
Calamitosorum Vrbis temporum exempla. 327.b
Calculis suffragia data. 238.b
Calenus Fusius ex scripto dicere solitus. 248.d
Canonici possunt vno vel altero die non interesse diuinis officijs sine culpa. 281.b
Canonicorum consilium Episcopus adhibere aliquando tenetur. 21.b
Canos sequi solet auctoritas, & prudentia. 106.d
Capellas libenter frequentare Cardinales oportet. 313.b
Capite annuens, & mente discrepãs duplicem deformitatem includit. pag. 197.a
Capitis demissio, & nutus non aliam significationem habent in Cõsistorio, quàm assensum. 196.d
Capitis, & membri personã, Prĩceps in Senatu potest gerere. 278.c
Capitis in demissione & nutibus esse mendacium quando Consiliarius intus dissentit. 196.c
Capito reliquit pecuniam distribuendã præsentibus in Senatu. 282.d
Capitula Conclauis non obligant Põtificem. 27.a
Capitulis Conclauis honestis Papã, perinde ac ceteros obligari. 35 b

Caput aperiēdo suffragia data. 238.b
Cardinalis abeſſe a Congregationibus, niſi ex neceſſitate, non debēt, & ſi res non ita grauis, aut probanda fortaſſe iudicetur. 312.c
Cardinalis abeſſe non poteſt, quando etiam ſciat tractari rem, quam eius cōſcientia non probat. 286.d
Cardinalis abſens iure communi non habet ſuffragium. 303.a
Cardinalis abſens non dat conſiliū, tamquam membrum Conſiſtorij. pag. 308.c
Cardinalis abſens non habet ſententiam, niſi in creatione noui Cardinalis, & electione Papæ. 303.c
Cardinalis abſens a Conſiſtorio, poteſt & debet ſubſcribere tamquā pars Collegij. 308.c
Cardinales abſentes recuſaſſe quandoque ſubſcribere Bullas. 307.c
Cardinalium abſentiū rationem aliquando Papa vult haberi. 261.d
Cardinalem abſentiæ ſuæ quamuis etiam vnius diei a Conſiſtorio, rationem Deo redditurū eſſe. 285.d
Cardinalium abſque conſilio, parum aut nihil deces Papā facere. 381.d
Cardinalis, acceptando officium, tacite fatetur ſe idoneum ad conſulendum. 52.b
Cardinalis adoleſcens, tacens propter verecundiam, &c. non excuſatur. pag. 113.a
Cardinalis adoleſcentis modus reſpondendi qualis. 116.b
Cardinales adſiſtunt Papæ non per modum limitationis poteſtatis illius, ſed inſtar miniſterij. 21.d
Cardinalis ætas ſecundum Conciliū Tridentinū eſt 30. annorū. 150.b
Cardinalis aliorum Senatorū dicta, nō oblique interpretari dēt. 374.b
Cardinalis antequam ingreditur in Senatum, ſacram Miſſam dicat, vel ſaltem audiat, & ſe colligens Spiritum ſanctum inuocet. 371.d
Cardinalis boni nomen, & officium non poteſt ſuſtineri ſine libertate conſilij dandi. 356.b
Cardinalis cappam induēs humeris, memor ſit oneris publici ſibi iniuncti. 371.d
Cardinales cardines, & clariſſima Eccleſiæ lumina dicuntur. 43.b. & 148.a
Cardinalis, cæremoniæ potius, quàm conſilij cauſa vbi rogatur ſententia, quid agere debeat. 79.a
Cardinales conſilia, etiam a Papa nō requiſiti, ex officio tenentur ſubminiſtrare. 50.a
Cardinalis Conſiliarij finem illum eſſe dicimus, vt boni publici vtilitatem, & Chriſtiani nominis incrementum promoueat. 341.a
Cardinalis Conſiliarij perſonam nullo loco, tempore, aut negotio poteſt deponere. 120.a
Cardinales Conſiliarij Principis ſunt pro totius Reipublicæ vtilitate: pag. 82.c
Cardinales Conſiliarios eſſe Papæ in Conſiſtorio, potiſſimum eſt illorū munus. 290.a
Cardinaliū conſilio, Eccleſiæ adminiſtratio nititur. 43.d
Cardinales conſiliū dare duplici charitatis, & iuſtitiæ vinculo tenentur. 45.c. & 47.d. & 148.d

Cardina-

Cardinalis Cõsistorio adesse tenetur, & quid si non accedat. 281.a
Cardinalis consulendo, præcipue Deo placere studeat. 354.a
Cardinalis contradicendo contristare Papam quando veretur, quid agere debeat. 83.a
Cardinales conuocantur omnes ex cõsuetudine, & inuitantur ad dicendum. 260.b
Cardinales creari, publicum beneficium est. 102.b
Cardinales in susceptione gradus se consecrant Christo, vsque etiam ad sanguinis effusionem. 103.a
Cardinales creati a Papa, vel nepotes, an excusentur a dicenda sententia. 99.a
Cardinalium creatio, quid commune habeat cum Episcopis, & quid peculiare. 147.b
Cardinalium creatione, quæ res soleant obseruari, ex libro Cæremoniali. 148.d
Cardinalis debet intentionem Papæ in Consistorio semper in meliorem partem interpretari. 374.a
Cardinalem decorũ seruare in loquendo, est necessarium. 232.b
Cardinalis deponens in Palatio Apostolico mantellum, pariter veterẽ hominem exspoliet. 371.d
Cardinalatus dignitas non laudẽ, sed laudis affert occasionem. 370.a
Cardinalis dissentiens a Summo Pontifice non lædit religionem. 63.b
Cardinalis dicturus in Consistorio confidat præcipue in Deo, exemplo Dauidis. 375.c
Cardinali dicturo, metiendum quid liceat, quid deceat, q̃d expediat. 378.b
Cardinali duplicem personam incumbere, & duplex vinculum. 154.c. & 292.d. & 339.a
Cardinales, eius ordinis Consiliarij sunt, qui innati Principi dicuntur. 50.c
Cardinalis est Consiliarius Papę quatenus est Pont. & quatenus est Princeps 352.b
Cardinales fastus, aut vanitatis suspicione carere debent. 369.b
Cardinali finis operis, & operantis idem esse debet. 341.b
Cardinalitium gradum non sine Diuino afflatu institutum fuisse ad Sũmum Pontificẽ adiuuandũ. 346.d
Cardinales Hierarchiæ Ecclesiasticæ speciem in quibus actionibus referunt. 366.b
Cardinalem in Consistorio locum Cherubim obtinere ob rerum cognitionem. 352.d
Cardinales in locum Apostolorum assistentiũ Christo successisse. 365.c
Cardinales in statu perfectionis acquisitæ, nõ acquirendæ censentur esse. 366.c
Cardinalis interloquente Papa in ipso cursu sententiarum, quid facere debeat. 276.a
Cardinalis iuramentum. 47.b
Cardinalis iuramentum de fideli consilio dando, nullam habet præfinitionẽ rei, loci, aut tẽporis, quominus, quãdocũq; ex officio rogatur, syncere proferat sententiã. 185.a
Cardinalium laudatur gradus, & dignitas. 48.b
Cardinales libere loqui tenentur. ibi.

Cardinalium libere loquentium exẽpla, qui postea fuerunt Sum. Pon. 221.d
Cardinalibus locus Isaiæ 56. applicatus. 290.d
Cardinalis maiori parti vbi consensit, præsumitur mutare sententiã. 298.d
Cardinales ministri sunt præcipui Papæ. 311.c
Cardinales muneribus pluribus, quo magis occupantur a Papa, eò magis honorantur. 312.a
Cardinalis munus ipsi Deo in primis acceptum ferendum est. 102. b. & 347.b
Cardinalis nomen ipsum debet eum stimulare ad excellentiam. 344.d
Cardinali non sola existimatio probitatis sufficit, sed re ipsa debet esse bonus. 343.c
Cardinalis norma virtutum. 357.c
Idem ex S.Bernardo. 382.b
Cardinalium numerus quantus olim fuerit, & nunc esse debeat. 345.b
Cardinalis obligatio triplex. 99.b
Officia eius propria. 31.& 99. b.& 241.b.& 340.c
Cardinalium officium est monere Papam quid Concilium Tridentinum dicat de Cardinalium creatione. 149.a
Cardinalium officium, & finem maxime distingui. 340.c
Cardinalium officium obligat eos etiam non requisitos subministrare consilia. 50.a
Cardinalium ordo, cur institutus. 23.a
Cardinalis Papiensis sententia de deliberationibus, & modo loquendi in Consistorio. 169.c.& 213.c
Cardinales perfectionis ad statum iam censeri translatos, & veluti alteros effectos. 103.a
Cardinales perfectorum statum, non perficiendorum referunt. 207.d. & 337.c
Cardinalium præsentia alacritatem dicendi adiuuat. 111.c
Cardinalium præsentium tantum, & rogatorum consilia recenseri solere. 261.d
Cardinales Principis ius habent, Papa mortuo. 244.d
Cardinalis purpura admonet, eum assistere debere Papæ, & mortem non timere. 383.b
Cardinales, quia in statu perfectionis sunt, in primis debent propriæ perfectioni studere. 366.d
Cardinales Regibus æquiparantur, ob gradus amplitudinem. 227.d
Cardinalis sacer pileus, et totus amictus, est monitor assiduus rerum gerendarum, vt fimbriæ Israelitis. 344.c
Cardinales scientia debent alios excellere. 312.b
Cardinales scripto ne, aut quomodo pronunciare sententiam liceat. 246.a
Cardinalis senio, aut curis confectus, aut corporis incommodo, eligat domi magis se continere. 105. d
Cardinales sententiam dicere omnes ex cõsuetudine tenẽtur. 260.d
Cardinalis sententiam pronunciare clara voce debet. 109.b.& 202.b

Cardi-

Cardinales singularitatis vitandæ causa non licet tacere. 124.b

Cardinales stimulare exempla fratrum suorum possunt ad eamdem gloriæ laudem. 346.c

Cardinales subscribere Bullæ Papæ quando teneantur. 295.c

Cardinalium suffragia numero, non pondere æstimantur. 261.b

Cardinales, suffragio ab eis prolato, regulariter non loquuntur amplius in Consistorio. 315.d

Cardinales tacendo non excusari, quod dicant Papam iam statuisse, nec mutaturum sententiam. 75.a

Cardinalis tacendo dum interrogatur in Consistorio, peccat. 200.a & 205.b

Cardinalis tacens, aut nõ repugnãs, propter auctoritatem Papæ, non excusatur. 55.a

Cardinalis tacens, quia gratius Papæ id censet, an venia dignus sit. 67.a

Cardinalis tacere an debeat, si Papa magis irritandus sit loquendo. 88.a

Cardinali tacere non licet, singularitatis vitandæ causa. 124.b

Cardinali tria ad recte consulendum esse necessaria, ex S. Gregorio Nazianzeno. 348.b

Cardinales triplicis ordinis cum Sũmo Pontifice in Consistorio repręsentant veram Hierarchiam. 362.a

Cardinalis verum decus ad omnes æque pertinere absque stemmatis discrimine. 369.c

Cardinalis virtutum documenta illustriora, quàm alij præstare debet. 367.b

Cardinales vsq; a temporibus Moysis tamquam fratres Leuiticigeneris adumbratos fuisse. 365.c

Carmina Sibyllina artificiosa. 214.c

Carthaginienses habebant secretum consilium. 73.a

Cato res sibi diu cognitas in Senatũ afferebat. 170.c

Catonem semper venisse in Senatũ, ne quid per gratiam fieret. 282.c

Catonis ab ore omnes pendebant. 59.b

Catonis exemplum de libertate loquendi. 221.c

Causa facti attenditur potius, quàm factum ipsum. 331.b

Causa nulla est loquendi, si homines non intelligant. 236.a

Causarũ duo sunt genera, naturale & morale. 57.c

Causas loquendi diuersas esse in Consistorio. 230.c

Causas non proferenti Principi nũ Cardinalis debeat acquiescere. 71.a

Cedere iuri priuato licet, non publico. 124.a

Charitatis fraternæ obligatio præcipue ad superiores spectat. 125.d

Charitatis natura, & vinculũ. 41.d

Charitatis vinculo an teneãtur Cardinales ad danda consilia. 41.a

Charondæ virtus. 49.c

Christianorum non principia, sed fines quæruntur. 107.c

Christus exemplo suo docuit petenda esse consilia. 30.a

Chri-

Christi Vicarium in terris Papam esse,& idem tribunal cum eo facere. 363.b
Christianus in fine medij vltimum etiam respicit. 340.a
Chusai Arachites euertit Achitophelis sententiam. 130.c
Cicero punitus, quod abfuerit a Senatu. 285.a
Cicero Scauri orationem commendat. 342.b
Cicero solitus de scripto dicere. 148.c
Ciceronis liber de suis consilijs. 12.a
Circumstantia personæ auget peccatum propter dignitatem. 207.d
Circumstantię negotiorum sunt veluti numeri. 183.c
Circumstantiæ rei considerandę. 3.b
Circumstantiæ singulæ in moralibus plurimum momenti habẽt. 253.c
Ciuilis iuris ignorantia Sulpitio data est vitio. 351.a
Ciuilem facultatem debere dijs domi nari, aliqui dicebant. 214.c
Clamoribus quandoque suffragia data. 230.b
Claudicantem ad filium Mulieris Romanę dictum. 269.a
Claudius Cæsar instituit imaginariæ malitiæ genus. 80.d
Claudij,& Ser. Sulpitij Coss. lex de absentibus. 303.a
Claudij oratione totius Senatus sententia commutata fuit. 130.c
CLEMENTIS VIII. *Sanctissimi D. N. virtutum encomia.* 365.a
Clepsydra. Dicere ad Clepsydram Romanis solitum. 277.b
Clericum etiam volentem percutiẽs incidit in canonem. 98.a
Cogitare nolite quid loquamini, quomodo intelligatur. 236.a
Cogitationis pœnam nemo patitur. pag. 175.b.
Cognatione coniuncti consilijs ferendis apti non videntur. 102.d
Cognationis vinculũ quale sit. ibid.
Cognitio tripliciter aliquem versari posse circa cognitionem. 176.b.
Cognitionẽ a sensibus hauriri. 160.a
Cognitionem esse duplicem, speculatiuam,& practicam. 351.d
Collegium Cardinalium Senatus Ecclesię vocatur. 21.b.& 33.c
Collegium Cõsiliariorum cęlestis spiritus Diuina prouidentia datum Summo Pontifici: 273.b
Collegij Cardinalium pręclara encomia. 345 a
Collegij maior pars quod probat, habetur ratum. 163.b
Collegij maiori parti se subijcere, est eorum rationes approbare. 258.c
Collocutio priuata Principis a charitate, publica vero a iustitia proficiscitur. 110.c
Colloquia priuata in consistorio euitanda. 375.b
Communi sententię, tamquam tutiori, adhærere, laudabile est. 262.c
Communem iuxta sensum standum est verbis,& signis. 198.c
Communitatis pars est quilibet homo. 43.c
Concilium Tridentinum appellat propinquorum carnis affectum multorum malorum seminarium. pag. 357.b
Cõcilium Tridentinum, cur definiat electiones Regularium fieri per suffra-

suffragia secreta. 245.b
Concilium Tridentinũ innuit actionem nullam virtutis dici, nisi recta sit, & recte exerceatur. pag.337.d
Concilium Tridentinum, quid dicat de creatione Cardinalium. 149.a
Concilium Tridentinum vult, vt in vno Consistorio referatur, & in altero deliberetur. 69.c
Concilio Tridentino præter Episcopos adfuerunt alij peritissimi viri. 314.b
Cnciones apud Liuium, & Salustium, qua occasione fact.e. 248.a
Conditio subditi, & Consiliarij diuersa. 69.c
Conditio tacita subest, si postuletur, legibus aliquid mandantibus in fauorem. 53.a
Conditionem tacitam habet omnis promissio, nisi iusta causa obsistat. 189.c
Conditiones legis humanę. 185.b
Congregatio. respondendi ratio absolute eadem in congregatione, quæ in Consistorio. 315.c
Congregationes Cardinalium, cur institutę, & tria quę circa illas considerantur. 309.c. & 310.a
Congregationes Cardinalium debẽt habere delectũ, & proportionem personarum cum rebus. 311.b
Congregatlones Cardinalium tamquam filiæ Cõsistorij sunt. 310.a
Cõiũcta multa efficaciora esse. 317.a
Consanguinitas suspecta reddit iudicia, & Magistratus. 103.a
Consanguinitati præferri debent Dei decreta, & publica vtilitas. pag.103.d
Conscientia. contra conscientiã quãdoque licet agere præcepto superioris adueniente. 300.c
Conscientia. contra conscientiam nõ tenetur Consiliarius amplecti Principis sententiam. 278.b
Conscientia, & innocentia maxime excitat fiduciam loquendi. 223.d
Conscientia. quidquid est contra conscientiam, est peccatum. 64.a & 159.a
Conscientia sequenda, vt dux optima. 216.b
Conscientia, quamuis erronea, numquam fraudanda est. 125.b
Conscientiæ causa potior habenda, quàm verecundię. 117.d
Conscientię erroneæ obligatio, cum pręcepto Pręlati collata. 298.c
Conscientię dubiæ contraueniens peccat. 168.c
Conscientiæ dubitanti, aut opinioni suę non debet Cardinalis obedire, sed magis Papę. 301.a
Consensus a consilio quid differat. 19.c
Consensus alterius quando liberet a crimine. 98.a
Consensus Cardinalium non est necessarius in rebus Consistorialibus. 25.d
Consensus includit necessitatem amplectendi. 26.a
Consensus mariti nullus, potest tollere ius matrimonij. 97.c
Consensus multorum collectus est efficacior. 111.d
Consensus Tacitus fallax, & a coniecturis solum proficiscitur. 201.d

Con-

Consensum non adhibendum esse, nisi a probantibus rem. 306.c
Consensum post actum interponi posse, at consilium precedere debere. pag. 306.b
Considerationes in consilio dando vbi non petitur. 54.a
Consilia Euāgelica ad perfectionem essentialiter non spectant. 369 d
Consilia non esse sumenda a vultu Principis, sed a veritate. 378.b
Consilia cur instituta fuerint, & Senatus. 175.d
Consilia domestica ex priuato studio, at in Senatu ex publico officio proficisci. 112.a
Consilia esse libera. 1.c
Consilia posteriora esse meliora, & salubriora. 76.c.& 160.
Consilia, quibus in rebus sint petenda. 5.c.& 7.d
Consilia Senatorum, Alphonsus Aragoniæ Rex sibi adiunxit. 272.c
Consilia spernens, delinquit. 4.b
Consilij dandi, seu persuadendi, triplex modus, ratione, auctoritate, & exemplo. 211.d
Consilij dandi, & prudentiæ varij gradus. 211.a
Consilij petitio ipsa declarat Principē egere consilio. 192.b.& 278.b
Consilij sui copiam facere absentes aliquando teneri. 327.a
Consilio dando tempus an sit congruum, quādo quis interrogatur, ridiculum est quærere. 192.b
Consilio egere Papam interdum, & quod illud a Cardinalibus petere tenetur. 53.c.& 299.c
Consilio Gallorum Reges semper omnia faciebant. 272.b
Consilio senes, memoria iuuenes excellunt. 247.c
Consilio Prophetarum quod vterentur Iudæorum Reges, magis æstimabantur. 310.c
Consiliorum variæ species. 20.a
Consiliorum quasi thesaurus est silentium. 315.c
Consilium dictum quasi Considium. pag. 3.b.
Consilium duplex, intrinsecum, & extrinsecum. 11.d
Consilium est inquisitio de rebus gerendis. 11.d
Consilium imaginarium, & scandali plenum. 92.a
Consilium mutare, non esse inconstātiam. 267.c
Consilium petere Papam iure Diuino teneri, aliquorum sententia. pag. 29.c
Consilium Senatorum absentium nō esse ipsius Senatus, sed singulorū hominum. 304.a
Consilium suaderi tantum, non imperari. 1.c
Consilium suum sperni videns Achitophel, mortē sibi consciuit. 182.c
Consilium Themistoclis reiecit Aristides, quamuis vtile, quia non iustum. 135.a
Consilium. Veneti Senatorum consultatione præclara gerūt. 272.d
Consilium verum naturaliter mouet. 78.c
Consilium vtile est Principi, & alijs. 78.d
Consiliari tarde oportet. 169.a & 175.a

Consiliarij ante ceteros debent reuerentiam iustam Principi. 120.d
Consiliarij est, & prudenter sentire, & accommodate loqui. 229.a
Consiliarii minores, cur adhibiti. pag. 314.a
Consiliarij minores Congregationũ, quomodo se gerant. 315.b
Consiliarij finis est iuuare. 87.a
Consiliarij fugere debent spiritum cõtradictionis. 213.b
Consiliarij munus esse docere, nõ autẽ delectare, aut persuadere. 234.b
Consiliarij officium, aliud est, aliud finis. 91.d
Consiliarij officium sub communi nomine iustitiæ continetur. 125.c
Consiliarij Papæ hodie alij non agnoscuntur, quàm Cardinales. 51.c
Consiliarij proponũt Papæ, vt quod ei vtilius visum fuerit, possit pro arbitrio decernere. 62.d
Consiliarij quidquid dicunt, id totũ Papa postulãte, aut patiente, aut permittente dicunt. 66.a
Consiliarij sententia, quo fine proponatur Principi. 265.d
Cõsiliarijs Principum prius profundenda vita, quàm fides deserenda. 120.c
Consiliarijs sententiam suã, ne mordicus teneant cauendum. 182.a
Consiliarij vnius sententia potuit Papã a priori proposito dimouere. 36.c
Consiliario quæ scientia sufficiat. 178.c
Consiliario retractare licet sententiam ante rei terminationem. 362.a. & 266.a
Consiliarios veros ab alijs discernit periculum. 287.c
Consiliarium esse, & non consulere, repugnat. 100.c
Consiliarius conari debet, alios consules in suam sententiam, dicẽdo, perducere. 130.b
Consiliarius peruersus, homicida, et fure deterior. 134.a
Consiliarius post Consistorium in cubiculo quid cogitabit. 380.b
Consiliarius potest, & debet, vbi opus est, Principi repugnare. 64.d
Consiliarius sententiam suam non tã quam certam affirmet. 213.d
Consiliarius si prętermittat modum recte dicendi, non implet omnem partem officij. 236.b
Consiliarius, si oblitus est aliquid magnum in Consistorio, postea Principi dicet. 380.b
Consiliarius tenetur resarcire damnum causa mali consilij. 266.c
Consiliarius timens Deum, magis urgeri ad dicendum se sentiet, cum viderit ceteros rei nociuæ aßentiri. 125.c
Consistorialis actio, cur tantum semper fuerit obseruata. 360.c
Consistorium constat triplici Hierarchico ordine Cardinaliũ. 365.d
Consistorium. Consultationis proprius locus est, & tamquam Congregatio Congregationum. 109.c
Consistorium. diuersa est ratio loquẽdi in Consistorio, & extra. 228.b
Consistorium dupliciter haberi, publice, & secreto. 362.b
Consistorium. interrumpi solet nullius sentẽtia in Consistorio. 111.b

Con-

Consistorij maior pars quod probat, ratum habetur. 263.c
Consistorio non præmittitur oratio Spiritus sancti, sicut in alijs Congregationibus. 373.c
Consistorium esse non debet tamquã mutorum contubernium. 201.d
Consistorium. Papa si decerneret aliquid in Consistorio non consultis Cardinalibus, quid agendum. 274.b
Consistorium. quidquid Papa in Consistorio pronunciat, consultationi subiicitur. 275.b
Consistorij res magnam maturitatẽ, rerumq. vsum exposcunt. 113.b
Consistorii res non esse leues quisque Cardinalis sibi persuadere debet. 283.c
Consistorium semel singulis hebdomadis indici. 273.c
Consistorium, vbi ardua consultanda desunt, tractat de litteris, de reformatione, & huiusmodi. 373.a
Consuetudo contraria non impedit Senatorem mutare sententiam. 267.b
Consuetudo tradendi, & recitãdi res memoriæ quãdo probãda. 148.b
Consuetudine nulla, aut auctoritate humana solui potest lex diuina, & naturalis. 96.a
Consulendi caput est rem bene cognitam habere. 71.c
Consulendi libertati, aduersis vt occurratur, datur regula. 356.d
Consulendi officium est inseparabile a Cardinalitia dignitate. 100.b
Consulendum est famæ proximi, quoad fieri potest. 157.c
Consulentes peruerse Consiliarij nomen amittunt. 133.d
Consulere recta, & recte quid differunt. 334.a
Consules quomodo elegit Tyberius Cæsar. 8.c
Consultatio est de rebus dubiis. 298.b
Consultationis necessitas. 1.a
Contractus initio sunt voluntatis, postea necessitatis. 128.c
Contractuum imaginariorum species. 80.d
Contradicente Principe temerariũ videtur propriam sequi sententiã. 276.b
Contraria contrariis esse curanda. 358.d
Contrariis suis remediis inordinationem etiam venialem reparãdam esse. 108.a
Contrario facto protestatio reuocata. 84.d
Contristans Episcopũ, contristat Spiritum sanctum. 83.b
Contristari potest generosus animus nulla re præter peccato. 84.b
Contristatio duplex, secundum sensum, & secundum intellectum. 87.d
Conuocare licet Papæ quos, & quot velit, & sentẽtiam rogare. 260.c
Cor docile petiit Salomon. 29.d
Cor Regis in manu Dei. 56.a
Correctio duplex, ex charitate, & ex iustitia. 90.d
Correctio fraterna intermittenda, quando timetur ne frater fiat deterior. 88.c
Correctio fraterna non obligat lege iusti-

iustitiæ. 91.c
Correctio fraterna pertinet ad omnes. 43.a
Correctio, vt actus iustitiæ non omittenda, licet nullus emendationis fructus expectetur. 90.b
Creaturæ Papæ minus congruo vocabulo Cardinales vocari solent. 101.d
Credendum facile non est, prudentes viros temere agere. 136.d
Credi melius omnibus, quàm singulis. 111.d
Creditur oculis magis, quàm auribus. 137.a
Crimina duplicia sunt, occulta, et publica. 155.b
Crimina occulta, quæ denuncianda Papæ. 157.a
Criminis publici actio est cuiusuis. 275.d
Crocodili caput sine lingua, sed dentibus armatum. 203.c
Culpam filiis, vxoribus &c. leges cōdonare solent. 124.a
Cupiditate cessante tuta sunt omnia. 381.c
Curiositas quid sit. 379.a
Curiositatis vitio laborasse Athenienses. 381.d
Curiositatis vitium non est, inuestigare ab aliis ea, quæ sunt officii.
Cynææ sententia de Senatu Romano. 271.c

D

DÆMONIS laqueos amoris, et odii esse vitandos Cardinali dicenti. 376.b
Danielis thronum referre Sum. Pontif. in Consistorio sedentem. 372.b
Dauid apud Regem Geth, num vsus sit fictione. 195.b
Dauidis exemplo Cardinalis dicturus in Consistorio confidat præcipue in Deo. 375.c
Debiti charitatis obligatio varia recensetur. 45.a
Debitum duplex est, charitatis, & iustitiæ. 41.b
Debitum duplex, legale, & morale. 35.c
Decet, parum aut nihil Papam facere sine consilio fratrum suorum. 381.c
Decorum seruare Cardinalem in oratione est necessarium. 232.c
Decreta quænam appellătur. 294.b
Decretum, non a suffragiis Consiliariorum sed a sola voluntate Principis robur habet. 300.b
Decus verum Cardinalis ad omnes æque pertinere absque stemmatis discrimine. 369.c
Defectum moralium a solo arbitrio hominis, non a Deo esse. 57.d
Deferre rem generatim Principem ad Senatum non est satis. 72.c
Delectare debet oratio. 83.a
Delectus Cardinalium ad Congregationes debet habere proportionē personarum cum rebus. 311.b
Deliberandarum rerum a Republica quinque capita sunt. 352.c
Deliberari frustra, vbi semel aliquid decretum est. 111.a
Deliberatio. Cardinalis Papiensis sententia de deliberationib. 169.c
Deliberatio. Electio Sum. Pont. omnium

nium rerum deliberandarum est maxima. 245.a
Deliberationis actus interior, & exterior. 76.b
Delictum in dubio non præsumitur. 324.d
Delphicum respõsum Fab. Pictor. de scripto recitauit. 249.a
Demosthenes vsus scripto. 248.c
Denũciatio canonica quid sit. 156.b
Denunciatio. occulta crimina quando denuncianda Papę. 157.a
Deo placere, consulendo pręcipue studeat Cardinalis. 354.a
Dei minister verus non laborat quid ceteri de eo loquantur. 127.c
Despotico in dominatu omnia ad nutum Principis, nemine repugnante peraguntur. 65.b
Deum aduerbia magis, quàm verba remunerare. 337.c
Deum diligendi modus est sine modo diligere. 126.d
Deum timens Consiliarius magis vrgeri se sentiet ad dicendum, cum viderit ceteros assentiri. 125.c
Deus cur permittit eos, qui sanctiores videntur, miserè plabi. 346.b
Deus vbique existens, cur dicitur habere proprium domicilium in cœlo. 362.c
Deus voluit verba, et facta repręsentari, ex communi sensu. 196.a
Dicere ad Clepsydras, Romanis solitum. 277.b
Dicis causa quædam fiebant. 80.c
Dicta Senatorum aliorum non obliquè interpretari Cardinalis debet. 374.d
Difficile in quo versatur. 163.c
Digni prætermissis dignioribus an possint promoueri. 141.a
Digniores esse nominandos, quo modo intelligitur. 144.c
Dignitates Ecclesiæ non sunt institutæ ut familiæ illustrarentur. 151.b
Dignus. ius nominandi, aut præsentãdi habentes teneri digniores proponere. 142.a
Dignus minus bonus aliquando præferendus. 145.b
Dignus. nefas dubitare an ille sit idoneus, quem Papa dignum indicat 114.c
Dignus. Princeps potest in adolescente indolem agnoscere, & Cardinalitio gradu dignã censere. 116.a
Dignus. a sanguine iunctis, quamuis æque dignis, Cardinalitia dignitate ornandis superſedendum aliquando. 153.b
Dilectio Dei est forma virtutum, & finis præceptorum. 354.d
Dilectio homines vertit in rem dilectam. 355.a
Dira imprecabatur Præco Athenis perfido consultori. 353.c
Discordia opinionũ etiam inter sanctos accidit. 56.c
Displicere amplius non potest quod semel placuit. 265.a
Disputare crebro de eisdem rebus vtile esse. 316.a
Dissentire palam, qui Princeps ægre fert, priuatum commodum publico anteponit. 288.d
Diffidere a placitis Principum aliquando licere. 65.d
Dissimilis est plerumque homo idem sibi. 270.a

Dissimi-

Dissimilitudines animorum non minores esse quam corporum. 269.b
Distinctiones solidas plurimum causas illustrare. 216.c
Diuersa est ratio loquendi in Consistorio, & extra. 228.c
Dominatus duplex, politicus, & despoticus. 65.b
Dominicus. S. Dominici regula praecipit decidentes non manifestare se post Decretum. 295.d
Dubiae cõscientiae contraueniens peccat. 168.c
Dubia in re an liceat subijcere se Principis sententiae. 174.a
Dubia res amplius non dicitur, vbi communis extat opinio. 165.c
Dubitans quo modo debeat respondere. 168.b
Dubitationis causę, & gradus. 166.a. & 165.c.
Dubium iudicium aliud de rebus, aliud de hominibus. 325.c
Dubium quid dicitur, & quando differt a difficili, & obscuro. 163.c
Duplex ius sententiae dicendae, consultiuum, & decisiuum. 243.c
Duplex necessitas legis, coactiua & directiua. 35.d
Duplicitatem inesse Papae, existimare est absurdum. 68.b

E.

ECCLESIA *catholica quam libertatem approbet.* 226.b
Ecclesiae clarissima lumina, & cardines sunt Cardinales. 148.a
Ecclesiae dignitates non sunt institutae, vt familiae illustrentur. 151.b
Ecclesiam ingredientes nefario proposito exemplum. 336.c
Ecclesiasticus sermo purus, & simplex esse debet. 235.a
Effectus naturaliter ad suam causam conuertitur. 100.a
Efficacitas quanta sinę uocis. 246.a
Eleazari exemplum. 198.a
Electio bonorum Episcoporum quantum prosit. 146.c
Electio debet esse de digniore. 141.a
Electio Summi Pontificis omnium rerum deliberandarum est maxima. 245.a
Electione facta non licet amplius ab illa discedere. 265.a
Electiones clandestinae reprobantur. pag. 245.c
Electiones regularium per suffragia secreta fieri, cur diffiniat Conciliũ Tridentinum. 245.b
Electionis suffragia esse exprimenda voce, non per fabas. 245.a
Electionis Summi Pontificis negotio nihil maius inuenitur. 114.d
Eligendi relatione facta in vno Consistorio, differtur iudiciũ in aliud, pag. 147.a
Eloquentia alia iuuenem, alia senem decet. 235.a
Eloquentia Christi inter ceteras eius virtutes enumeratur. 237.a
Eloquentia non est indigna Ecclesiasticis viris. 231.d
Eloquentiam in Philosopho non requirendam, sed si adsit non repudiandam. 232.a
Emendationis licet nullus fructus expectetur, correctio, vt actus iustitiae non omittenda. 91.a

Encomia quædam Cardinaliũ. 48.b
Ephori sententiam intemperantis cu iusdam, licet commodam reiecerunt. 342.c
Episcopi nomen est laboris. 288.c
Episcopus, capitulum Canonicorum aliquando tenetur consulere. 21.b
Episcoporum bonorum electio quantum prosit. 146.c
Episcopum contristans, Spiritum sanctum contristat. 83.b
Erratis ijs carere oportet, quæ propulsare ab alijs cupis. 357.a
Erratis vulgaribus amplitudinem Senatorum minime esse subiectã existimandum est. 357.b
Error facti fallit prudẽtissimos. 53.c
Eucharis lingua cõmendatur. 237.a
Excusationes quæ possunt afferri a Cardinali recusante dare consiliũ, ad tria capita rediguntur. 318.b
Excusationum leuium exemplum, vbi Domini iussio urget. 356.a
Exempla intrepide loquentium ad Principem. 86.c
Exempla Regum, qui cum ægrotarent, tamen non defuerunt muneri. 327.d
Exempla sacra adolescẽtum moribus conspicuis. 114.d
Exempla sacra animi fortis. 92.b
Exempla sacra cõtra immoderatum metum, vel reuerentiam. 123.c
Exempla sacra Scripturę, quod Principes debent petere consilia. 13.c
Exempla sacra, quod licet discedere aliquando a Principum placitis. pag. 63.d
Exempla sacra, quod Principes possunt mutare sententiam. 77.a.b
Exempla sacra quorundam, qui cum alijs præessent, miserabiliter lapsi sunt. 346.a
Exempla suorum fratrum possunt Cardinales stimulare ad eandem gloriæ laudem. 346.c
Exempla temporum Vrbi calamitosorum. 327.b
Exempli quænam sit vis. 139.b
Exemplo Christianæ vitæ Cardinalis sermonem persuasionis debet præuenire. 343.b
Exemplũ Catonis de libertate loquendi, & aliorum. 221.c
Exemplum plurium probabilium rationum. 321.b
Existimatio probitatis sola non sufficit Cardinali, sed re ipsa debet esse bonus. 343.c
Expedire id dicitur, quod est aptum ad finem consequendum. 250.a
Experientia, quantã uim habeat. 4.c
Expressa nocent, non expresa non nocent. 194.b
Expressi, & taciti idem esse iudiciũ: pag. 201.a
Expressi, & taciti idem esse iudiciũ, quo modo intelligatur. 206.b
Extinctio actus, est pœna legis. 37.a

F

FABIS *suffragia ferri.* 238.c
Fabius Pictor de scripto recitauit responsum Delphicum. 249.a
Facta, & res etiam plerumque vim significandi habere. 196.a
Facultas aliorum cessat, vbi Papa manum apponit. 276.b
Facultas aliquid faciendi cõcessa primo

mo actu consumitur. 265.a
Fallendi animus non est de natura mendacij. 97.b
Fallere. Nemo omnes, neminem vmquam omnes fefellerunt. 111.d
Famæ proximi, quoad fieri potest, cõsulendum est. 157.c
Fastus, & vanitatis suspicio abesse debet a Cardinali. 369.b
Fauorabiles quædã causæ, aliæ odiosæ, aliæ mediæ. 324.c
Festinatio improuida est, & cæca. pag. 171.a
Fideles amici non semper tacere, sed magis prodesse cupiunt. 255.c
Fides est præcipuum iustitiæ fundamentum. 125.c
Fides humana quæ sit. 165.a
Fides suspicitur tandem etiam ab aduersarijs. 135.c
Fiducia loquendi necessario Consiliario. 376.a
Fiduciam loquendi maxime excitat conscientia, & innocentia. 223.d
Finem Consiliarij esse, promouere bonum publicum. 341.a
Finem vltimum etiam in medio Christianus respicit. 340.a
Finis duplex, operis, & operantis. pag. 341.b
Finis duplex, vltimus, et medius, qui medius etiã multiplex est. 339.c
Finis encomia quædam. 338.d
Finis executio, & officium differunt. pag. 78.b
Finis præceptorum, & forma virtutum est dilectio Dei. 354.d
Finis quis præcipue Cardinali Consiliario propositus esse debet. 338.c
Flumina nomen amittunt, cum mare ingrediuntur. 103.d
Folijs suffragia ferri. 238.c
Fortitudo animi est necessaria. 93.b
Fortitudo, dum alterius commodum pcurat, ad iustitiã refertur. 49.c
Fortuna magna est magna seruitus. 227.d
Forum duplex, fori, & poli. 13.d
Forum duplex, interius, & exterius. pag. 38.c
Fraterna correctio. 43.a
Fraternæ charitatis obligatio præcipue ad superiores spectat. 125.d
Fructus spe omnes aluntur. 75.b
Fructus spes duplex. 78.b
Frustra deliberari, vbi semel aliquid decretum est. 111.a
Frustra niti dementia est, quomodo sit verum. 128.a
Frustra quærit foris thesaurũ quod domi habet. 344.c
Fusius i alenus de scripto dicere solitus. 248.d

G

GABAONITARVM in petitione lapsum fuisse Iosue, quod Dominum antea non interrogasset. pag. 371.b
Gallorum Reges nihil sine consilio fecisse. 272.c
Genera tredecim suffragiorũ. 238.b
Generalium regularum vsus. 323.c
Gentiles non perfecte notitiam rerũ adepti sunt, quia finem vltimum ignorabant. 352.a
Gentilium mores imperfecti. 82.b
Gladiatorum esse, nõ Senatorum, capere consilium in arena. 174.a
Gloriæ stimulis incitari solent gradu,

du, atq. ingenio præstantes. 369.d
Gradum Cardinalium non sine diuino afflatu institutum fuiße, ad Sum. Pont. adiuuandum. 346.d
Gradus medij inter rationem, & operationem. 171.c
Gradus probabilitatis varios esse. pag. 319.a
Gradus varij consilij dandi, & prudentiæ. 211.a
Graduum, & officiorum varietas ad Ecclesiæ pertinet perfectionem. pag. 368.c
Graues res, & arduæ certa regula cõprehendi non poßunt. 20.d
Graues res quomodo dignoscantur. pag. 8.a
Gregorius quomodo suas homilias protulit. 250.c
Gregorius XIII. de emendatione anni. 176.b

H

HADRIANVS semper interfuit Senatui. 282.c
Hebræorum iuniores præibant senioribus in suffragijs ferendis. 242.d
Hierarchia Ecclesiastica ad cælestis similitudinẽ, ex varijs Ecclesiasticorũ ordinum functionibus constat. 361.c
Hierarchiæ actus etiam exercet Papa tractando de temporalibus in Consistorio. 364.a
Hierarchię Ecclesiasticę speciem Cardinales, in quibus actionibus præferunt. 366.b
Hierarchiam cælestium spirituum in cælo esse. 361.b
Hierarchiam veram repræsentat Summus Pontifex cum Cardinalibus triplicis ordinis in Consistorio. 362.a
Hierarchico in ordine Ecclesię, primarium locum Cardinales obtinent. 31.b
Homo creatus ad socialem vitam. pag. 2.b
Homo, contempta res est, nisi supra humana se erexerit 354.c
Homo inermis, cur nascitur. 6.c
Homo intelligit cum discursu. 2.c
Homo potest simul in plura intendere. 76.a
Homo quilibet est pars communitatis. 43.c
Homo relictus in manu consilij sui. quomodo intelligitur. 6.b.
Homines plus in alieno negotio videre, quàm in suo. 158.b
Hominis actio, & humana differt. pag. 337.a
Hominis vera virtute præditi, præstantia. 359.a
Hominum condicio inæqualis etiam in statu innocentiæ. 2.d
Hominum petitiones deferunt ad Deum supremi Spiritus cælestis Hierarchiæ. 52.c
Honestatis studium cuicumque politicæ prudentiæ anteferendum. pag. 353.c
Honestum consilium cuiusdam Lacedæmonij reiectum, quod ipse improbus esset. 342.b
Honor bonis externis annumeratur. pag. 161.a
Honores benemeritis etiam non petẽtibus procurandi. 315.b

Hortensius memoriæ tradidit suas orationes. 248.c
Humana fides, quæ sit. 165.a
Humanę legis condiciones. 185.b
Humanorum actuum proxima regula est Papæ iudicium. 251.b
Humilitas non egreditur ueritatis, et iustitiæ fines. 61.d
Humilitas vera non est, quę munus sibi aßignatum deserit. 256.c

I

IDONEVS an ille sit, quem Papa dignum iudicauit. 114.c
Ietro consulebat Moyses. 29.b
Ietro Moysi non requisitus consiliū dedit. 52.a
Ignorantia quædam excusabilis, quædam vitiosa. 4.b. & 176.a
Illatio non fit ex diuersis. 37.c
Imaginarius actus quomodo differat ab alijs ei similibus. 81.b
Impedimenta naturę quędam a Papa poßint condonari. 156.a
Impedimenta promotionis duplicia, iuris Pontificij, aut naturę. 155.c
Impedimenta uirtutis, quędam hominum quorumcumque sunt, quædā Prælatorum. 367.d
Imperator Carolus V. ob podagram, numquā intermisit officiū. 327.d
Imperator quidam voluit Senatorio ordini annumerari. 372.b
Imperfecta in specie non adipisci validitatem ex alijs. 318.a
Imperfecti mores Gentilium. 82.b
Imperitus suscipiens munus aliquod, nō excusatur ob ignorātiā. 159.d
Improbanda si res proposita videtur Card. quo modo se geret. 377.c
Incerta certis cedere debent. 68.c
Indignum scienter promouens Princeps, censetur vitium purgare. pag. 95.b
Indignus certo modo non est eligibilis. 143.d
Indolem potest Princeps agnoscere, & Cardinalitio gradu dignam censere. 116.a
Ingenio, atque gradu prę̄stantes, glorię stimulis incitari solent. 369.d
Ingenio, & auctoritate valentes difficilius credunt alijs. 182.b
Iniuria nulla fit scienti, & volenti. pag. 97 b
Iniustus actus, & nullus differunt. pag. 37.d
Innocentia, & conscientia maxime excitat fiduciam loquendi. 223.d
Inscitia quid sit. 164.c
Intellectum proprium humiliter captiuare, an sit laudabilius, quam proprium sensum sequi. 59.a
Intentionem Papę semper Cardinalis in meliorem partem interpretari debet. 374.a
Interloquitur si Papa in ipso cursu sententiarum, quę pars sit Card. pag. 276.a
Interpretatio benignior est fouenda. pag. 325.a
Interrogatio naturaliter requirit responsum. 80.a
Intrepide loquentium ad Principem exempla. 86.c
Inutile non est, quod redundat in meritum. 78.c
Inutiles labores quisq. refugit. 75.b
Ioannes Baptista exemplum fiducię

dicendi est. 86.c.& 359.c
Ira Principis impedit libertatem loquendi. 277.a
Isaac, quia caligauerunt oculi, fuit deceptus. 173.d
Isaię locus applicatus Cardinalibus. pag. 290.d
Iudex an possit inuitum cogere ad subscribendum actui alicui. 296.c
Iudex quod semel definiuit, amplius non recognoscit. 265.a
Iudicem dici iniustum, etiam qui delinquit in ordine. 337.b
Iudici non licet iniuste iudicare ob Principis iussum. 97.d
Iudicis sententia lata, omnes conticescunt. 294.a
Iudicia, & magistratus reddit suspectos consanguinitas. 103.a
Iudicia meliora esse, quę cum multis, quàm quę secreto fiunt. 112.b
Iudicio Principis quo modo liceat submittere sententiā suam. 256.b
Iudicio proprio haud fidendum. 59.c
Iudicium de personarum peccatis in tutiorem partem inclinādū. 325.c
Iudicium de rebus ferendum, prout re vera existunt. ibid.
Iudicandum secundum ea, quę foris patent. 68.d
Iudicandum secundum leges, non de legibus. 294.a
Iudicandus Papa est a nemine. 55.b
Iudith inuoluto mendacio an sit vsa. 131.d
Iulius Cęsar noluit communicare aliis animi sui sensa. 9.b
Iulius Cæsar vsus consilio. 10.b
Iunior annis potest moribus, & disciplina esse conspicuus, vt Tobias. pag. 114.d
Iuniores Parisiis in Senatu ante seniores ferunt suffragia. 242.d
Iuniores silere iussi in publicis cōsessibus pręsentibus senioribus. 114.a
Iuramentum Cardinalium. 47.c. & 185.a
Iuris positiui velut animus, & vita, est ratio. 186.b
Iuris tres species sunt, diuinum, naturale, & humanum. 184.a
Ius diuinum Principis potestati non subiicitur. 96.d
Ius duplex sententiæ dicendæ, consultiuum, & decisiuum. 243.c
Ius habēt Principis Cardinales mortuo Papa. 244.d
Ius naturale apud omnes homines idem est. 186.d
Ius nominandi aut præsentandi habētes, teneri digniores proponere. pag. 142.a
Ius oritur ex facto. 71.b
Iusta faciendo nihil aliud, quā opus externum spectatur. 336.b
Iusta, sed non iuste iudicans regulariter non lędit ius partis. 335.d
Iuste facere pręstātius est, quā iusta facere, secundū legē diuinam. 336.b
Iuste, seu recte, & rite aliquando distingui. 334.a
Iustū iuste persequendū esse. 333.a
Iustitiæ debitum, & charitatis quomodo differunt. 41.b
Iustitię fundamentum pręcipuū est fides. 125.c
Iustitiæ vinculo an teneantur Card. ad consilia danda. 45.c
Iuuenes memoria, senes iudicio excellunt. 247.c

LABI

Labi facilius unum, quàm multos. 124.c
Labores inutiles quisq; refugit. 75.b
Lacedæmonem se esse recordatus quidam Dux incitabatur ad dimicandum. 345.a
Lacedæmonii cuiusdam consiliū honestum fuit reiectum, quod ipse improbus esset. 342.b
Lacedęmonij Ducis pertinacis exemplum. 182.d
Lacedæmonij post rē firmatam defendūt, quę prius impugnabāt. 295.d
Lacedæmonij summos Magistratus Senes appellant. 114.b
Latine Romani semper dabant respōsa etiam Græcis. 233.c
Latinus sermo in Consistorio semper obseruatus. ibid.
Laudare Principem quomodo conueniat. 253.a
Laudem non affert Cardinalis dignitas, sed laudis occasionem. 370.a
Lex diuina animum principaliter intuetur. 334.b
Lex diuina, et naturalis nulla humana auctoritate solui potest, aut consuetudine. 96.a
Lege diuina præstantius est iuste facere, quàm iusta facere. 336.b
Lex humana duo tātum considerat, causam, & modum. 334.c
Lex humana respicit tantum actus exteriores. 334.b
Lex moralis, & diuina ad iustitiæ munus tria requirit, uolūtatem, causam, & ordinem. 334.d
Lex Pompeij de absentibus Senatoribus. 303.a
Lex. Principi quod placet, instar est legis. Vide verbo, Ius, & verb. Princeps. 95.c
Lex rationis aliquid est, & regula actuum. 185.b
Lex. Turpe est sine lege loqui. 216.b
Lege naturali præmia bonis, supplicia improbis deberi. 185.c
Legis necessitas est duplex, coactiua, & directiua. 35.d
Legis obligatio a Principis voluntate est. 95.c
Legis pœna est actus extinctio. 37.a
Legis solemnitates. 37.c
Leges Roman. de conueniendo in Senatum. 282.b
Leges Tabellariæ Romanorū. 240.a
Legibus fauorem alicuius respicientibus, tacita condicio subest, si postuletur. 53.a
Legibus raro, quod accidit non et subijciendum. 115.d
Legibus scurrilitas condemnata est. 224.d
Legitime absentem posse constituere procuratorem ad eligendū. 303.a
Leue dici non potest, quod ad vitam perducit æternam. 312.d
Leue dici non potest, quod a Summo Pont. iniungitur, & spectat ad statum. ibid.
Leues non esse res Consistorij, quisq. Card. persuadere sibi debet. 283.c
Libere loquentium ad Principes exempla sacra, Samuel, Nathan, Ioannes Baptista. 86.c
Liberæ vocis fructus. 76.d
Libertas charitatem quandoq; indicat, non audaciam. 220.a
Libertas debet oleum vino miscere. 224 b

Libertas dicendi ad diuersas virtutes refertur. 222.d
Libertas dicendi est veluti nerui, spiritus, & vita consilij. 219.d
Libertas exploratur in periculo. 65.c
Libertas Graece dicitur παρρησία. 223.a
Libertas loquendi videtur donũ Dei quod non omnibus tribuitur. 218.a
Libertas quid sit. 356.b
Libertas vera tria requirit. 222.d
Libertate loquendi quidam ad Summum Pont. euecti. 222.b
Libertatem dicendi esse propriam formam Synodorum. 219.c
Libertatẽ loquendi impedit ira Principis. 277.a
Libertatis dicendi necessitas. 217.a 335.b.& 376.a
Libertatis duo extrema. 224.c
Libertatis loquendi exemplum Catonis. 221.c
Liberum est vota emittere, sed necessarium reddere. 128.c
Loquendi in Consistorio diuersas esse causas. 230.c
Loquendi in Consistorio, & extra, diuersa est ratio. 228.b
Loquendi nulla est causa, si homines non intelligunt. 236.c
Loquendo si magis irritandus sit Papa, an debeat Card. comprimere sententiam. 88.a
Lycurgus constituit, ne in Senatu aliquid pictum appareret. 374.a

M

MAGNIFICE cuiq. sentiendũ de negotio quod aggreditur. 360.b
Magni momenti res Romani non gerebant inconsulto Senatu. 271.c
Maiorem vim habent rationes plures probabiles. 321.b
Maiori parti Collegij se subijcere, est eorum rationes approbare. 258.c
Maior pars Consistorij quod probat, ratum habetur. 263.c
Malitia in aliquibus, in alijs prudentia praeuenit aetatem. 115.a
Malum culpae leuis, est grauius quolibet damno poena. 134.d
Malum minus eligendum non admittitur in malis culpae. ibid.
Mandatum est vnicuique de proximo. 42.b
Manibus suffragia dari. 238.b
Marci Antonij Imp. dictum de consilio. 63.a
Marci Claudij, & Seru. Sulp. Coss. lex de absentibus. 303.a
Marcellinus de scripto dixit sententiam. 248.d
Matrimonij iis, nullus consensus mariti potest tollere. 97.c
Matrimonium, & alij contractus geri possunt nutu. 201.b
Maturitatem magnã, rerumq. vsum exposcunt res Consistorij. 113.b
Maturitatis, & vsus rerum expers esse solet adolescentia. ibid.
Medicus ad quid respicit, & quem finem intendit. 90.a
Meliora esse iudicia, quae cum multis, quàm quae secreto fiunt. 112.b
Membra capiti naturaliter seruiũt. 43.a
Memoriae res tradendi consuetudo. 248.b

Memo-

Memoriter pronunciare sententiam, an descripto Card. conueniat. pag.246.a
Mendacia quæ videntur in sacris literis, sunt ad mysticum sensum referenda. 136.a
Mendacij crimen non tollit metus cadens in constantem. 120.c
Mendaciũ est inordinata significatio verborum, signorum, & factorũ. pag.97.a
Mendacium est intrinsecus malum. pag.120 b. & 134.c.
Mendaciũ officiosum quid sit. 132.a
Mentiri non licet. 96.b
Mentiri non licet pro temporali vita alicuius. 120.b
Metu, aut vi factus actus, vt inuoluntarius reprobatur. 308.d
Metus cadens in constantem, non tollit crimen mendacij. 120.c
Metus reuerentialis dupliciter considerari potest, alter bonus, alter malus. 123.b
Metus reuerẽtialis nõ excusat Card. pag.119.a
Metum veteres pessimum Consultorem vocabant. 376.a
Michææ exemplum. 87.c. & 263.d
Minister Dei verus non laborat quid cæteri de eo loquantur. 127.c
Ministri laus sita est maxime in faciendo quæ contristant. 297.d
Ministrorum aliorum officia pendẽt a voluntate libera Principum; at Card. non ita. 297.a
Miraculum quid sit. 19.d
Misericordiæ magis, quam iustitiæ, adhærendum quomodo sit verum. pag.329.b
Modestia maximum adolescentiæ ornamentum. 114.a
Modus diligendi Deum est sine modo diligere. 126.d
Modus triplex persuadendi, seu dandi consilij ratione, auctoritate, exemplo. 211.d
Molesta est oratio ex varijs causis. pag.83.c
Monachos Silentiarios Græce ἡσυχαστὰς vocari. 205.a
Monarchia tria consideranda habet. pag.14.d
Moralis materia probabilitate nititur, non demonstratione. 327.b
Mores, & virtus maxime faciũt ad persuadendum. 342.b
Mores gentilium imperfecti. 82.b
Moribus, & disciplina potest esse conspicuus iunior annis, vt Tobias. pag.114.d
Morum facta ex proposito fine potissimum spectanda esse. 131.d
Mos iudicum Regni Castellæ in subscribendo. 296.a
Mos Rotæ in consensu suffragiorum. ibidem.
Moyses erat impeditioris linguę. pag.117.a
Moysi dedit Ietro non requisitus consilium. 52.a
Mulctas absentium Senatorum ampliauit Augustus. 285.c
Munus Card. cum sit perfectissimũ, exigit ita fieri, vt perfectissimo fini, id est Deo tãdẽ vniatur. 338.a
Munus Card. esse, tum pronunciare quid sibi videtur, tum alijs etiam persuadere. 241.b
Munus legitime suspiciens, facultatem

tem etiam suscipit a Deo. 220.d
Munus maximum Cardin. censetur, esse a consilijs Papę in Consistorio. 290.a
Vide, Card. & Consiliar.
Munus suscipiens debet de se cogitare, non de aliorum factis. 329.c
Munus. Vida Officium. Vide Debitum.
Mutare vestes licet in periculis. pag. 195.a
Mutationem consilij non esse inconstantiam. 267.b
Mutius Scæuola reijciebat se ad alios peritos. 118.c

N

NATHAN est exemplum libere loquendi ad Principes. pag. 86.c
Nati legati qui dicuntur. 51.a
Naturæ hominis grata est veritas. pag. 85.d
Naturale apud omnes idē est. 186.d
Naturale lege præmia bonis, & supplicia improbis deberi. 185.c
Necessitas est loco interpellantis. pag. 53.b
Necessitas legis est duplex, coactiua, & directiua. 35.d
Necessitati non subijcitur quidquid potestati committitur. 151.a
Necessitatis tempore maxime declarari obligationem præcepti affirmatiui. 192.a
Nefas, differere de Principis auctoritate. 308.a
Nefas, dubitare an ille sit idoneus, quem Papa dignum iudicauit. pag. 114.c
Negatiuum præceptum cur obliget semper, & ad semper, affirmatiuū non ita. 190.d
Negotia plura sunt, quam uocabula. pag. 209.d
Negotium prę clarum nullum sine internentu. 370.c
Negotiorum circumstantiæ sunt velut numeri. 183.e
Nemo tenetur supra vires. 226.b
Nepos Papę posset silendi veniam a Sūmo Pontifice postulare. 105.a
Nepotes Cardinales, vel creati a Papa an excusentur a dicenda sententia. 99.a
Nesciens officium, & exercens illud, actum committit præsumptionis, & vanę gloriæ. 351.b
Nigrinus ex scripto recitauit. 249.a
Nominandos esse digniores, quomodo intelligitur. 144.c
Norma virtutum, ex Sancto Bernardo. 382.b
Non, dictionem pronunciare non audebant Asiæ Incolę. 117.c
Numerantur in Consistorio solum suffragia, quę voce ferūtur. 206.d
Numerus Cardinalium quantus esse debeat. 150.d. & 259.a
Numerus Senatorum Romanorum ad Senatus Consultum faciendū. pag. 259.b
Nunciorum negotia tractantur in Consistorio vbi magis ardua desunt. 373.b
Nutu matrimonium, & alij contractus geri possunt. 201.b
Nutus, & capitis demissio non aliā significationem habent in onsistorio, quam assensum. 196.d

OBE-

O

OBEDIENTIA est, facere volũtatem maiorum, siue expresse, siue tacite innotescat. 67.a
Obligatio duplex, iustitiæ, & charitatis. 143.a
Obligatio legis a Principis voluntate est. 95.c
Obligatio satisfaciendi damni aliquãdo sequitur ex silentio. 208.d
Obligatio varia debiti moralis recensetur. 45.a
Oblitus qui est aliquid magnum in Consistorio, postea Principi dicet. pag.380.c
Obscuritas affectata a qbusdã. 230.a
Obscurum quid dicatur. 163.c
Occulta crimina quando denuntiãda Papæ. 157.a
Occulta crimina quæ dicãtur. 155.b
Occultare veritatem, aliquãdo licet: falsum asserere, numquam. 135.b
Occultatio veritatis nonnumquam est mala, nonnumquam vero bona. 197.b
Oculis magis creditur, quã auribus. pag.137.a
Officij difficultates expendere oportet antequam illud ineas. 129.a
Officij quæ sunt sui, quisque pernoscere tenetur. 351.b
Officio vacare neminem debere in familia. 310.b
Officium assumens ad media tantum tenetur, non ad finem. 77.c
Officium Cardinalium multiplex est, & maxime triplex. 293.b
Officium Consiliarij sub communi nomine iustitiæ continetur. 125.c
Officium consulendi est inseparabile a Cardinalis dignitate. 100.b
Officium, qui suscipit iure obstringitur ad coniuncta illi. 46.b
Omissionis ratio, etiam non modo cõmissionis est reddenda. 4.b
Opinio communis vbi extat, res amplius dubia non dicitur. 165.c
Opinio de Principe concipitur ex ijs, quorũ familiaritate utitur. 310.c
Opinio quid sit. 165.a
Oratio debet delectare. 83.c
Oratione Appij Claudij, & Attilij Reguli, totius Senatus sententia commutata fuit. 130.c
Orationes scribendi mos antiquus fuit. 248.c
Oratio Spiritus sancti cur in Consistorio non præmittitur, sicut in alijs Congregationibus. 373.c
Ordinariæ potestatis Papæ usus. 22.a
Ordo in charitate seruandus. 42.c
Ordo in dicendo quantum lumen afferat. 233.a
Otiosi verbi rationem Christiano esse reddendam. 3.d

P

PAPA aperiens os Cardinali, quid mandat. 228.a
Papa condonare potest quædam impedimenta naturæ. 156.a
Papa consanguinitatis, familiaritatis &c. in creatione Cardinalium affectum debet deponere. 150.a
Papa consideratur, vt Princeps statuens, vel consultans. 56.d
Papa consilium si non requirit, an actus reddatur nullus. 36.b
Papa consultationi subijcit quidquid in Consistorio pronunciat. 275.b
Papa cum creatur, promittit communicare

municare cum Cardinalibus res arduas. 33.c
Papa decernente aliquid in Consistorio inconsultis Cardinalibus, quid agendum. 274.b
Papa dignum aliquem iudicante, nefas dubitare, an sit idoneus. 114.c
Papa dignum potest ex indole agnoscere, & ad Card. gradum promouere. 216.a
Papa in Consistorio audit seorsum Cardinales antequam res consultandas proponat. 372.d
Papa interloquente in ipso cursu sententiarum, quæ partes sint Card. pag. 276.a
Papa iudicandus a nemine. 55.b
Papa iuri non subest, quoad vim coactiuam. 37.a
Papa manum apponente cessat aliorum facultas. 276.b
Papa minora negotia non solet ad Cõsistorium deferre. 40.c
Papa mortuo, Cardinales habent ius Principis. 244.d
Papa plenitudine potestatis quando tenetur vti. 22.c
Papa Prælati nomine continetur. pag. 149.d
Papa præsente, diuersa ratio cæremoniarum obseruatur, quàm absente. 373.d
Papa tacite obligat se seruare veteres vsus. 33.b
Papa, tractando de temporalibus bonis in Consistorio, etiam Hierarchiæ actus exercet. 364.a
Papa vertex est religionis. 65.a
Papæ apparatus exterior, & cultus, facit ad existimationem tuendam. pag. 364.b
Papæ auctoritas crescit dum Cardinalibus præcellentibus libenter vtitur. 310.d
Papæ Christi Vicarij encomia præclara. 363.b
Papæ consiliarij alij hodie non agnoscuntur, quàm Cardinales. 51.c
Papæ inest summa perfectio, & sapiẽtia. 59.b
Papæ intentionem semper in meliorem partem interpretari Card. debet. 374.a
Papæ iudicium ex proxima regula humanorum actuum. 251.b
Papæ licet quos, & quot velit conuocare, & sententiã rogare. 260.c
Papæ perfectio in quo consistit. 61.c
Papæ potestas ordinaria, & absoluta. 18.a
Papæ præcipienti, obedire debet Cardinalis magis, quàm cõscientiæ dubitanti, aut opinioni suæ. 301.a
Papæ præcipua instrumẽta sunt Cardinales. 311.c
Papæ sapientia illustrior fit, dum consilium petit. 60.d
Papæ subscriptionis forma, & Cardinalium. 294.c
Papam iure Diuino teneri petere cõsilium. 29.c. & 299.
Papam sine consensu maioris partis Collegij non creare nouos Cardinales. 148.c
Par in parem non habet imperium. pag. 14.b
Peccata venialia multitudine non effici mortalia. 318.a
Peccatum auget circumstantia personæ propter dignitatem. 207.d

Peccatum

Peccatum natura veniale non effici mortale. 267.b
Peccatum nulla ratione est eligibile. pag.135.a
Peccatum: omne quod non est ex fide, peccatum est. 159.d
Peccatum. Qui peccauerit in vno, factus est omnium reus. 107.d
Pecunia neruus belli existimatur. pag.183.b
Pedibus in sententiam ire, inferiorũ, non clarorũ Senatorũ erat. 211.a
Pedibus suffragia dari. 238.b
Perfectio duplex, status, & personæ. pag.61.a
Perfectionis, & iustæ auctoritatis fundamentum interiori charitate nititur. 369.b
Perfectum nihil est, cui aliquid addendum. 76.b
Pericles optauit non offendere verbo. 224.b
Periculum discernit veros consiliarios ab alijs. 287.c
Peritis artium concedendum esse, pag.158.b & 162.c.
Perorationes, et præfationes non permittebat Areopagus. 230.a
Personam duplicẽ Princeps refert. 9.b. & 254.c
Persuasio. Tria requiri ad persuadendum potissimum; prudentiam, bonitatem, et beneuolentiam. 101.b
Phantasmata intelligentem speculari oportet. 172.d
Φιλία quomodo sumatur a Sancto Gregorio Nazianzeno. 353.a
Philippus Hispaniarũ Rex tãquã alter Dauid diuinitus datus. 273.a
Philosophus eloquentiam in Philosopho non requirendam, sed, si adsit, non repudiandam. 232.a
Pileus sacer, & totus amictus Cardinalis, assiduus est monitor rerum gerendarum, vt filijs Israel erant fimbriæ vestimentorum. 344.c
Pluto consilium dixit esse non sacrũ, diuinissimũ dixit Aristoteles. 11.c
Plenitudo potestatis Pontificiæ, seu potẽtia absoluta, licet eximat Papam a lege humana, non tamen a iuris naturalis, aut gentium præscriptione. 34.d
Plenitudo potestatis triplex. 18.d
Plinij mos post suffragia data. 378.c
Plutarchi libellus de vitiosa verecũdia. 317.b
Plutarchus libellum scripsit aduersus Curiositatem. 381.d
Politici dicunt Principem posse simulare. 68.d
Politicæ cuicumque prudentiæ, bonæ status studium est anteferendum. pag.354.a
Polycratis dictum de consilio capiendo. 11.a
Pontifex. Vide in verbo, Papa, & ver. Princeps.
Potentiæ vegetatiuæ tres sunt actus. pag.293.b
Potestas Principis secularis mediãte populo, prodit a Deo. 56.a
Practica scientia cur sic vocatur. pag.352.a
Præcepta affirmatiua quoad temporis rationem in tria genera sunt distributa. 191.a
Præcepta maiorum sine iusta causa non sunt in controuersiam adducenda. 192.d

Præcepti affirmatiui obligationem maxime declarari tempore necessitatis. 192.a
Præcepto superioris adueniente quandoque licet agere contra conscientiam erroneam. 298.c.& 300.c
Præceptum affirmatiuum dandi consilij implicat hunc casum, non licere mentiri; sed non istum, non licere abstinere a respondendo aliquando. 190.a
Præceptum affirmatiuum tantummodo obligat, quando commode licet. 189.a
Præceptum negatiuum cur obliget semper, & non ad semper, affirmatiuum non ita. 190. d
Præcipere est actus proprius prudentiæ. 181.b
Præcipitatio quid sit. 171.b
Præcipitem sententiam esse nullam. pag.171.a
Præcipitanter, & temere fieri quæ dicuntur. 174.c
Præfationes non semper interdicendas esse. 237.c
Prælatum non esse dominum rerum spiritualium. 149.d
Prælatorum functio in quibus potissimum versatur. 368.a
Præmijs excitantur animi. 314.d
Præsentia Cardinalium alacritatem dicendi adiuuat. 111.c
Primatus in Ecclesia cur institutus. pag.25.d
Principia Christianorum non quærũtur, sed fines. 107.c
Princeps consilia cur petat. 40.b
Princeps dupliciter consideratur, vt Princeps, & vt consultans. 66.b
Princeps generatim tantum, si proponit rem quomodo licet temperare consilium. 74.b
Princeps indignum scienter promouens, censetur vitiũ purgare. 95.b
Princeps interpellat pluribus de causis. 277.b
Princeps legibus est solutus. 26.d
Princeps non tenetur omnia semper cum pleno Senatu conferre. 73.a
Princeps permittitur aliquãdo allucinari. 86.a
Princeps sapiens quomodo soleat proponere negotium. 276.c
Princeps sententiam rogans declarat se, & Rempub. in necessitate versari. 193.a
Princeps. sentiendum in bonitate de Principibus. 75.c
Princeps si nouit causas efficaces rei exequendæ se habere, non est cur alios consulat. 73.b
Principe contradicente, temerarium videtur propriam sequi sententiã. pag.276.b
Principi repugnare consiliarius potest, & debet vbi opus sit. 64.d
Principi repugnare qs dicatur. 57.b
Principis a vultu non esse sumenda consilia, sed a veritate. 378.b
Principis decretum a voluntate sola eius robur habet, non a suffragijs consiliariorum. 300.b
Principis ira impedit libertatem loquendi. 277.a
Principis iudicio submittere sententiam suam quomodo liceat. 258.b
Principis personæ non tanta ratio habẽda, quanta boni publici. 91.b
Principis potestati non subijcitur ius diuinum.

diuinum. 96.*d*
Principis priuata collocutio a charitate, publica vero a iustitia proficiscitur. 110.*b*
Principis sententia Consistorialis dici non potest, nisi Senatores prius audierit. 255.*a*
Principis sententię se subijcere an liceat in re dubia. 174.*a*
Principis voluntas sola non est consideranda. 185.*c*
Principis voluntatem, tamquam legem habendam, quomodo intelligitur. 188.*a*
Principis voluntati obediendũ, quo sensu. 69.*b*
Principum beneplacita amplectentes multipliciter deficiunt. 256.*a*
*Principum consiliarijs prius profundenda vita, quam fides deserenda. pag.*120.*c.*
Principum ministri a libera voluntate eorum pendent.: at Cardinales non ita. 297.*a*
Probabilia: alia vi sua; alia huic, aut illi. 319.*b*
Probabilitate nititur moralis materia non demonstratione. 323.*b*
*Probabilitatis varios esse gradus. pag.*319.*a*
Procurator, & aduocatus ad secreta causæ seruãda obstringitur. 104.*d*
*Promissio omnis habet tacitam condicionem, nisi iusta causa obsistat. pag.*189.*c*
Promptiores esse oportet ad absoluẽdũ, quam ad cõdemnandũ. 325.*a*
Propositum agentis præcipue inspiciendum. 132.*b*
Proprio iudicio haud fidẽdum. 59.*c*
Propter quod unumquodque tale, & illud magis. 38.*c*
Protestatio, facto contrario reuocatur. 84.*d*

Prouerbia, & vulgaria dicta.

Areopagita taciturnior. 379.*d*
Aurea fræna nõ facere meliorem equum. 370.*a*
Bos in lingua. 203.*c*
*Consilia posteriora esse meliora. pag.*275.*a*
Consilij & cursus non idem est finis. 170.*c*
Consilium in nocte. 215.*b*
*Consilium sub manu nasci oportet. pag.*76.*c*
Cras, cras coruina vox. 111.*b*
Crocodilus caput sine lingua, sed dentibus armatum. 203.*d*
Exempla magis mouẽt quàm uerba. 136.*d*
Festina lente. 174.*d*
Funiculus triplex, difficile rumpitur. 317.*b*
*Loquere apertius licet indoctius. pag.*230.*b*
Nemo solus satis sapit. 13.*b*
Oculi plus vidẽt quã oculus. 12.*c*
Oportet consiliari tardè. 175.*a*
Queritur frustra per agros quod domi habetur. 5.*d*
Si aqua fauces strãgulat, quid amplius bibere est opus? 134.*a*
Spem periculis emere. 134.*b*
Spartam quam quis sortitus est, ab ea ornanda deficere non debet. 129.*b*
Sat cito, si sat bene. 170.*d*
Prudentia nõ admittit rei minus honestæ

nesta vnquam assentiri. 133.c
Prudentia quàm sit necessaria. 4.a
Prudentiæ & consilij dandi varij gradus. 211.a
Prudentiæ variæ species. 13.a
Prudenter sentire, & accommodate loqui, Consiliarij est. 229.a
Prudentes temere agere non est facile credendum. 136.d
Prudentis non est periculis spem emere. 134.b
Publica crimina ea etiam, quæ alijs nota sunt. 155.c
Publica utilitas, consanguinitati præferri debet. 103.d
Publici criminis actio est cuiussuis. pag. 275.d
Publicam fidem violare nefas. 49.d
Publius Crassus, & T. Coruncanus Consiliarij Pop. Rom. 5.b
Pudore naturali præsertim initio sermonis quidam obruuntur. 116.d
Punctis, seu tabellis suffragia dari. pag. 238.b
Pusillanimitatis vitium. 120.d
Pythagoræ dicentis auctoritas. 59.b

Q

QVATTVOR *de causis Sanctos non tacere.* 206.a
Quattuor in regimine requiruntur, Princeps, consilium, iudicium, & populus. 33.b
Qui non sperat, non timet. 381.c
Quilibet homo est pars cõitatis. 43.c
Quinque capita rerum deliberandarum a Republica. 352.c
Q. Pædium, & Cornelium Balbum consuluit Iulius Cæsar. 10.b
Q. Mutius Scæuola reijciebat se ad alios peritos. 178.c
Quod semel diffiniuit iudex amplius non recognoscit. 265.a
Quod semel placuit amplius displicere non potest. ibid.
Quomodo, aut quid loquamini, nolite cogitare, etc. explicatur. 236.a

R

RARO *quæ eueniunt non respici in moralibus.* 12.c
Raro quod accidit, legibus non est subijciendum. 115.d
Ratio est velut animus, & vita iuris positiui. 186.b
Rationi affectus est subijciendus. pag. 104.a
Rationis tres sunt actus, consilium, iudicium, & præceptum. 44.b
Rationem habendam necessitatis eorum, quorũ opera vtimur. 314.d
Rationes improbabiles aliquibus videri possunt probabiles. 320.c
Rationes plures leues non probabiles parum momenti habere. ibid.
Rationes plures probabiles facilius inclinant animum. 319.d
Rationes plures probabiles maiorem vim habere. 321.b
Rationibus esse iudicandum, non exẽplis. 137.b
Ratum habetur, quod est probatum a maiori parte Collegij. 163.b
Reb. publicis affert detrimentũ suspicio, ne Princeps perturbetur. 86.d
Recte ad operandũ, q̃ requirãtur. 3.b
Recte facere esse præstantius, & difficilius, quam recta facere. 337.c
Recte facere opus virtutis, quid cõplectitur. 336.d
Recte, seu iuste, & rite aliquando distingui. 334.a

Recto-

Rectores Consiliarijs veteres distinxerunt. 15.a
Referentes se ad Principum beneplacita multipliciter deficiũt. 256.a
Referri potest actus vnus ad plures virtutes. 48.a
Refrigescere sua scripta patiuntur auctores, ut melius ea iudciẽt. 169.b
Reges Gallorum nihil sine consilio fecisse. 272.c
Reges quosdam vetuisse filios in sciẽtijs imbui, vt aliorum consilia sibi iungerent. 10.d
Regis Antigoni cautio in non communicandis sensis animi sui. 9.b
Regum exempla, qui cum ægrotarẽt tamẽ non defuerũt muneri. 327.d
Regibus æquiparantur Cardinales ob gradus amplitudinem. 227.d
Regibus auctoritatẽ ex virtutis opinione accedere. 342.c
Rex ꝑpter regnũ est, nõ econtra. 34.b
Rex Hispaniarũ Philippus tamquã alter Dauid a Deo datus. 273.a
Regina Sabba ordinem & varietatẽ Salomonis videns stupebat. 368.c
Regere. Quattuor in regimine requiruntur, Princeps, consilium, iudicium, & populus. 33.b
Regni Castellæ iudicum mos in subscribendo. 296.a
Regnum Dei non est in sermone quo modo intelligitur. 237.b
Rei status mutatur ex accidẽtib. 72.a
Rem bene cognitam habere caput est consulendi. 71.c
Res & facta etiam plerumque vim significandi habere. 196.a
Res grauis quomodo dignoscitur. 8.a. & 20.d
Reipublicæ totius dignitas continetur Senatoris prudentia. 161.b
Rempublicam nosse caput est consilij dandi. 350.d
Rempublicã præstat administrari bono Principe, q̃ bonis legib. 184.c
Religionẽ lædere an censeatur Cardinalis si dissentit a Sum. Põt. 63.b
Remedia salutaria, quænã sint. 330.a
Remedijs suis contrarijs inordinatio nẽ ẽt venialẽ reparãdã esse. 108.a
Repẽtina negotia q̃d exposcũt. 170.b
Replicare licet Consiliario iterum, & iterum si res exposcit. 65.a
Responsione in breui sermo cõcinnus vix a rudi dignosci potest. 231.c
Responsionem liberam naturaliter requirit interrogatio. 80.a
Respub. Venetorum Senatorum consultatione præclara gerit. 272.d
Retractare sententiam Consiliario licet ante rei terminationẽ. 266.a
Reuerentiam iustam Principi Consiliarij ante ceteros debent. 120.d
Reuereri, & non reuereri Maiores vtrumque potest, benẽ, & male fieri. 123.c
Rhetoricæ Ecclesiasticæ Commentarij. 232.a
Ritus veteres seruare se Papa tacite obligat. 34.b
Roboam exemplum. 113.c
Romanæ leges de conueniendo in Senatum. 282.b
Romana Respub. tamquam aliarum magistra. 282.a
Romani Latine semper dabant respõsa etiam Græcis. 233.c
Romani res magni momenti non gerebant inconsulto Senatu. 271.c

Romani Senatus existimatio. 272.a

Romani tacita suffragia habebant pag. 201.b

Romanorum Senatorũ numerus ad S.C. faciendum. 259.b

Romanos Senatores absentes nullum ius suffragij habuiße. 302.b

Roscius Capito reliquit pecuniam distribuendam præsentibus in Senatu. 282.d

Rotæ mos in consensu suffragiorum, pag. 296.a

S

SACRA *Scriptura:* Vide verbo, Scriptura sacra.

Sacram facere, vel saltem audire, & Spiritum sanctũ inuocare Cardinalem decet ante ingressum Senatus. 371.d

Sacerdos in Choro tenetur clara voce proferre horas. 234.c

Samuelis adolescentis exẽplũ. 115.a

Samuelis libere loquentis ad Principem exemplum. 86.c

Salomon de suo sensu quãuis sapiẽs, verebatur. 10.c

Salomonis exemplo opem a Deo postulandam. 351.b

Salomon petijt cor docile. 29.d

Salustij, & Liuij conciones, qua occasione factæ. 248.a

Sanguinis effusionem non vereantur Cardinales pro publica vtilitate. pag. 92.a

Sapientia ars est, quæ certum petere debet. 128.b

Sapientis non est vt ille dicebat, nisi præstare culpam. 11.b

Saracenæ sectæ proprijs vestibus, nõ alijs licet vti. 199.c

Scandalum potius permittendum, quàm veritas deserenda. 85.c

Scæuola reijciebat se ad alios peritos. 178.c

Sciens Cardinalis tractari rem, quã eius conscientia non probat, an possit abeße. 286.d

Scienti, & volenti nulla fit iniuria. pag. 97.b

Scire quilibet tenetur, quod officij sui est. 351.b

Scire, velle, & poße, requiruntur ad omnem actionem bonam. 349.c

Scientia duplex, speculatiua, & practica. 351.d. & 349.d

Scientia quid vocetur. 164.c

Scientia. q̃ sufficiat Cõsiliario. 178.c

Scientia tantũ antecellere debet Cardinalis Consiliarios minores, quãtum dignitate. 312.b

Scientia Principis quòd aboleat omnem labem, quo modo accipiendum. 96.d

Scribendi orationes mos antiquus. pag. 248.c

Scripta sua refrigescere patiuntur auctores, ut melius ea iudicẽt. 169.b

Scripto, quo modo usus Demosthenes. 248.c

Scriptura sacra, cur obscuriore sermone tradita. 229.c

Scripturæ sacræ exempla, quod Principes debent petere consilia. 13.c

Scrupulus quid sit. 165.b

Scurrilitas legibus ciuilibus cõdemnata est. 224.d

Secreta causæ seruare obstringitur procurator, & aduocatus. 104.d

Secreti sigillo quænam sint obtegenda. 379.d

Semel quod placuit, amplius displice re non potest. 265.a
Seminariorũ erigẽdorũ ratio. 314.d
Senator quidam nihil voluit in domo splendidum apparere, præter se ipsum. 369.b
Senator post annum 65. in curiam venire olim nõ cogebatur. 283.d
Senatoris prudentia totius Reipublicæ dignitas continetur. 161.b
Senatores sedentes Augustus nominatim salutabat. 272.a
Senatores Rom. absentes nullum ius suffragij habuiſse. 302.b
Senatorum amplitudinem existimandam, vulgaribus erratis minime subiectam esse. 357.b
Senatorum numerus Romæ ad S. C. faciendum. 259.b
Senatoria dignitas nititur consilio, auctoritate, &c. quæ in sene potissimum reperiuntur. 108.b
Senatorio ordini annumerari voluit quidam Imperator. 272.b
Senatus, anima, ratio, & intelligẽtia Reipublicæ vocatur. 10.a
Senatus, & consilia cur instituta fuerint. 175.d
Senatus Romani existimatio. 272.a
Senatum Thebani quomodo fingebant. 372.a
Senatũ Tiberius uenerabatur. 272.a
Senatui semper interfuit Adrianus. pag. 282.c
Senatu inconsulto Rom. res magni momenti non gerebant. 271.c
Senatus consulta Rom. Tacita vocabantur. 379.d
Senatus cõsultum ad faciendũ Rom. quãtus numerus Senatorũ. 259.b
Senem alia eloquentia decet, alia iuuenem. 235.a
Senioribus præsentibus iuniores silere iussi in publicis consessibus. pag. 114.
Sententia iudicis lata, omnia conticescunt. 294.a
Sententia nullius solet interrumpi in Consistorio. 111.b
Sententia Principis dici non põt, nisi Senatores prius audierit. 255.a
Sententia totius Senatus commutata fuit Ap. Claudij, & Atilij Reguli oratione. 130.c
Sententia Thucydidis de deliberando. 170.c
Sententia vnius alios ad se potest pertrahere. 264.a
Sententiæ communi tamquam tutiori adhærere laudabile est. 262.a
Sententiæ dicendæ ius duplex, consultiuum, & decisiuum. 243.c
Sententiæ Principis se subijcere, an liceat in re dubia. 174.a
Sententiã minus probabilem aliquã dosequi, aiũt quidã licere. 263.b
Sententiã præcipitẽ esse nullã. 171.a
Sententiam Principis amplecti non tenetur Consiliarius contra conscientiam. 278.b
Sententiam suam Consiliarius non tamquam certam affirmet. 213.d
Sententiam clara voce edere debent Cardinales. 109. & 202.b
Sentiendum in bonitate de Principibus. 75.c
Sermo cõcinnus vix a rudi dignoscitur in breui responsione. 231.c
Sermo Ecclesiasticus purus, ac simplex est adhibendus. 235.a

Sermonis satuitas est auribus inimica, non minus, quàm cibi. 213.a
Sermone tutius esse silentium. 204.d
Seuerus Imperator semper vsus consilio: 10.b
Seueri Imperatoris dictum de consilio ad Mammæam matrem. 15.c
Seruij Sulpitij, & M. Claudij Coss. lex de Senatorib. absentib. 303.a
Sextus Aelius, & Manlius Consiliarij. 5.b
Signa data, uocari solēt uerba. 195.d
Signa duplicia esse. 196.b
Signis, & verbis standum esse, iuxta communem sensum. 198.c
Silētium aliquando sequitur obligatio satisfaciendi damni. 208.d
Silentium est ex genere rerum indifferentium. 204.b
Silentium. Vide Tacere.
Silentio esse comprimenda quædam, quæ gerūtur in Consistorio. 379.c
Silentio vti in Consistorio, quale peccatum sit. 200.a
Silentiarios monachos Græce ἡσυχαστὰς vocari. 205.a

Similitudo, ducta.

Ab aduocato, & medico, qui per errorē admissa corrigūt. 266.d
Ab affabilitate, qua vti decet in priuatis congressibus. 85.b
Ab agricola sepius aratro subigēte solum. 173.a
Ab agricola notante terræ solum aptum ad fruges ferendas, vel aliud quidpiam. 311.c
Ab architecto, qui sapienter vtitur suorum fabrorum ministerijs. ibid.
Ab ambulante in lubrico. 57.b
Ab artifice cognoscente instrumēta sua. 350.d
Ab architecto iudicante de ædibus, quas non ingreditur. 72.c
Ab arcis præfecto maxime tunc pugnāte, cū alij fugiunt. 125.d
Ab auro, & argento non signato. pag. 64.d
A bello periculosissimo. 328.b
A cælo superiore mouente inferiores. 366.d
A cædentibus ligna in nemoribus pro architecto. 39.c
A calceo, & vestitu muliebri. pag. 235.b
A carbonibus collectis plus calefacientibus. 111.d
A cibo moderato, aut nimio. pag. 166.b
A cicatrice honorifica. 268.d
A coniunctione Cathedralis Ecclesiæ cum Episcopo. 45.a
A columna ruente. 93.a
A corpore sine anima. 10.a
A deposito male usurpato. 133.d
A detegente vulnus medico. 73.c
Ab elecmosynam distribuēte ex officio. 52.d
A fabro crebro tundente incudē. pag. 316.a
Ex fine intento a medico, & magistro. 77.d
A fluminibus nomen amittentibus, cum ingrediuntur mare. pag. 103.b
A fluuio, qui aliorum amniū concursu efficitur insuperabilis, cū prius facile traijci posset. 130.d
A furioso gladium in manu tenente.

nente. 11.c
A gemma anulo inserta. 148.b
A ieiunio, et restitutione, a quibus non plene exoluuntur, qui ea aliqua ex parte implere possunt. 226.a
A ieiunijs, et festis seruãdis. 179.c
Ab igne eliciendo lapidum conflictu. 265.c
Ab imagine prægrandi, in qua facilius artificis errata deprehenduntur. 231.c
Ab imperito homine ingresso officinam artificis. 352.a
Ab incitãte nautas, & milites in periculis. 65.c
Ab inquirẽte auri venas. 277.d
A luce nimia, quę excęcat. 123.a
A ludis Olympicis, in quibus, qui acrius pugnabat, coronam ferebat. 347.d
A lumine vno ex multis scintillis accenso. 3.c
A magnete ferrum trahente. 86.d
A magnete, ferrum ex varijs locis trahente, & sigillo, imaginem eamdem in multiplici cera imprimente. 130.c
A manu ĩ digitos distributa. 27.c
A medico amarum poculum propinante, vt sanet. 87.b
A medico, qui morbũ trahit quæstus causa. 133.c
A medico lædente ægrum. 88. b
A medico non indignato ob conuicia ægroti. 84.c
A membris corporis. 286.a.& 346.d
A mercatore, qui pecuniam suam non patitur otiosam esse. 3.d
A mercenario, qui, vbi ingruit periculum, fugam arripit. 287.b
A milite, tẽpore pugnæ ordines, et aciẽ deserente. 287.c. et 243.a
A milite, qui locum suum deserit. pag. 329.c
A milite, qui in acie nõ educit ensem. 335.d
A milite, qui præcipue a fortitudine laudandus est, non ab alijs rebus. 347.c
A milite sine manu. 219.d
A milite veterano deserente locum. 106.c
A militibus præsidiarijs, qui Ciuitatem ipsam diripiunt. 182.b
A militibus pugnantibus instructa acie. 304.b
A muliere abortiente. 355.c
A muliere adulterante sciente viro. 97.c
A musica, vbi chorda non sufficit ad harmoniam. 111.c
A naue in portu euersa. 355.c
A nummo, & regia figura. 320.b
Ab oculo, et palato non sano. 86.b
Ab ostendente gemmam sacculo inuolutam. 72.c
A partu edendo in lucem. 350.a
A peregrino quęrẽte ducẽ uię. 7.a
A pingente in tenebris. 72.a
A propinante vinũ dilutũ. 90.c
A sale, qui in omni sacrificio aspergebatur. 186.b
A sanguine p venas diffuso. 376.a
A sigillo imprimente in cera. 87.a.& 130.c
A Sole, qui lucet, & lumen stellis impertitur. 311.d
A spectantibus ludentes. 10. c

A spe-

A speculatore, qui insidias hostiũ non detegit. 267.b
A telo resiliente. 133.d
A vasis magis splendentibus in Sole. 121.a
A vendente stannum tamquam argentum. 161.a
A viatore, qui integrum viæ spatium emetiri debet antequam ad vrbem perueniat. 173.a
A viatore, & sumente venenum. pag. 160.c
Ab vmbra sequēte corpus. 230.c
Ab vsuram ficte petente. 82.a
Singularis quando dicatur in malã partem. 127.a
Singularitas est species arrogantiæ. pag. 124.b
Singularitatis nomen non semper male sonare. 126.c
Singularitatis vitandæ causa, an liceat Card. tacere. 124.b
Sixtus V. decreuit omnes Cardinales in Vrbe præsentes subscribere Bullis. 308.a
Sixtus V. paterne hortabatur ad libere loquentium. 48 c
Sixti V. sententia de referentibus se ad beneplacitum suum. 256.b
Socialem ad vitã homo creatus. 2.b
Solemnitates legis prætermissæ infirmant actum. 37.c
Spernens consilium deliquit exemplo Anthemij a S. Gregorio reprehensi. 4.b
Spe fructus aluntur omnes. 75.b
Spei fructus duplex. 78.b
Spiritum contradictionis fugere debent Consiliarij. 213.b
Spiritum sanctum contristat, qui cõtristat Episcopum. 83.b
Statum perfectorum, non perficiendorum referũt Cardinales. 207.d
Status rei mutatur ex accidentibus. pag. 72.a
Statutũ non dicitur, quod bono humano, aut diuino aduersatur. pag. 276.a
Submittere sententiam suam iudicio Principis quo modo liceat. 256.b
Subscribere Bullis Card. absentes solere. 307.b
Vide verbo Bulla, & Cardinalis.
Suffragium. Vide Card. Consultor. Sententia.
Suffragia duplicia esse aperta, aut tacita. 239.b
Suffragia electionis esse exprimenda voce, non per fabas. 245.c
Suffragia tacita apud Romanos. pag. 201.b
Suffragia voce tantum feruntur, eademque sola numerantur in Consistorio. 206 d
Suffragijs in recensendis non consideratur vllum discrimen inter Cardinales. 261.b
Suffragiorum genera xiij. voce, scripto, pedibus, manibus, calculis, fabis, folijs, tabellis, seu punctis, forte, caput aperiendo, tela quatiendo, clamando, & sententiam diuidendo. 238.b
Suffragiorum tacitorum rationes, & vtilitates. 239.d
Suspicio quid sit. 165.b
Sibyllina carmina artificiosa. 214.c
Synodorum propria m formam esse libertatem dicendi. 219.c

TABEL-

T

TABELLARIAE leges Romanæ. 240.a
Tabellis suffragia dari. 238.c
Tacens vbi de damno Collegij tractatur, peccat. 274.d
Tacens. Vide verbo Cardinalis, & verbo Senatus.
Tacentes habentur pro consentientibus in omni Collegio. 197.c
Tacere nolle Sanctos quattuor de causis. 206.a
Tacere iussus Cõsiliarius debet. 70.b
Taciti & expressi idem esse iudiciũ, quomodo intelligitur. 206.b
Taciturnitas absolute considerata. pag. 204.a
Taciturnitas in Consistorio habetur pro consensu. 120.b
Taciturnitas quasi thesaurus consiliorum censetur. 379.d
Taciturnitatis tenebris quædam obtegenda. 16.a
Tacitus consensus fallax, & a solis cõiecturis proficiscitur. 201.d
Tarquinius appellatus Tyrãnus qui decerneret quædam præter Senatum. 271.c
Tela quatiendo suffragia dari. 238.c
Temere, & præcipitanter fieri quæ dicuntur. 174.c
Temporalia ad spiritualem finem ordinantur. 364.a
Tentare Deum qui dicuntur. 4.d
Thebani quomodo Senatum pingebant. 312.a
Themistoclis consilium quamuis vtile reiecit Aristides, quia non iustum. 135.a
Tiberij dictum de Senatu. 65.b
Tiberius Cæsar quomodo elegit consules. 80.c
Tiberius Senatũ uenerabatur. 272.a
Timor inordinatus arguitur. Vide metus. 92.b
Timor reuerentialis cum filiali conuenire videtur. 122.b
Timor reuerentialis est vtilis. 121.a
Tridentinum Concilium. Vide Concilium. 314.b
Tripartita ratione omnes præcedentes casus operis fere comprehendi. 326.b
Triplex persuadendi, seu dandi consilij modus, ratione, auctoritate, exemplo. 211.d
Triplex potest considerari voluntas in Papa. 292.d
Tripliciter aliquem versari posse circa cognitionem. 176.b

V

VANITATIS, aut fastus suspicio abesse debet a Card. pag. 369. b
Varietas graduum, & officiorum ad Ecclesię pertinet perfectionẽ. pag. 368.c
Varietatem ordinum Regina Sabba videns stupebat. 368.c
Verba præcipuum locum inter signa habent. 196.a
Verba signa data vocari solẽt. 195.d
Verbis, & signis standum esse iuxta communem sensum. 198.c
Verecundia aliquando est vitiosa. pag. 117.b
Veri Cardin. forma expressa a quodã ornatissimo Consiliario. 367.b
Veritas abstrusa non sine difficultate comprehendi potest. 277.d

Veri-

Veritas grata est naturæ hominis. pag. 85.d
Veritas odium parit. 218.c
Veritas tamquam in profundo diffi culter eruitur. 265.b
Veritatis virtus, in quo consistit. pag. 195.d
Veritatem opinioni præferendam. pag. 198.d
Verum cõsilium naturaliter mouet. pag. 78.c
Vestimenta non sunt primo instituta ad significandum. 199.a
Vestibus proprijs sectæ Saracenæ nõ licet vti. 199.c
Vicarius Christi. Vide Papa.
Villicationis ratio reddenda etiam de verbo otioso. 7.c
Vincibilis, & uoluntaria est ignorantia, a qua error conscientiæ procedit. 298.b
Virtus Charondę. 49.c
Virtus est qualitas bona, qua nemo male vtitur. 126.d
Virtus perseuerantem animi firmitatem postulat. 107.c
Virtutis actum aliquando reperiri sine virtute. 336.d
Virtutis impedimenta quædam sunt hominum, quędam Prælatorum. pag. 367.d
Virtutis nullam posse dici actionem nisi recta sit per se, & recte exerceatur, colligitur ex Concilio Tridentino. 337.d
Virtutis opus recte facere quid complectitur. 336.d
Virtute vera prediti hominis prestantia. 359.a
Virtutes alię verę, alię falsę. 222.c
Virtutum documenta illustriora prę standa sunt a Cardinalibus, quàm ab alijs. 367.b
Vocationem suam videre quisque debet. 351.b
Vox viua est necessaria, vbi consensus pro forma certo tempore requiritur. 303.b
Vocis viuę efficacitas quanta. 246.a
Voce ferri suffragia, optimum esse: pag. 241.d
Voluntas duplex, perfecta, & imperfecta. 76.a
Voluntas in omnibus rebus damnari debet. 336.b
Voluntas permissionis. 57.d
Voluntas sola Principis non est consideranda. 185.c
Voluntati superioris esse obediendũ, quo sensu habeat veritatem. 69.b
Voluntatem pro facto reputari. 226.b
Vsus generalium regularum. 323.c
Vtile est consilium Principi, & alijs. pag. 78.d
Vtilitas duplex, intrinseca, & extrinseca. 151.d
Vulgo bonum dicunt, quod placet sensui. 87.c

Z

ZACHARIAS est exemplum libere loquendi cum principibus. 220.d
Zaleuci virtus. 49.c
Zelus in veritate dicenda exemplũ. pag. 221.a

FINIS.

DE SACRI CONSISTORII CONSVLTATIONIBVS

PARS I. QVAEST. I.

De Consultationis necessitate in rebus priuatis.

QVAEST. I.

A POSTVLAT instituti nostri ratio, vt cum de sacri Consistorij consultationibus simus tractaturi, ea in primis impedimenta submoueantur, in quæ Lectoris cogitatio in ipso limine posset offendere, addubitantis forte nos in minus necessario opere versari; cum hominum consultationes siue ad priuata, siue ad publica negotia pertineant, earum ex rerum genere esse censeantur, quæ arbitrariæ dicuntur, & quodam potius vsu, quàm certa necessitate institutæ. Vnde nos priusquam de rebus Consistorialibus, quod nobis principaliter propositum est,
B disserere ingrediamur, nonnulla tum de priuatarum rerum, tum de publicarum consilijs persequenda esse duximus, vt certioribus gradibus ad Consistorialia perueniamus.

Posset igitur fortasse alicui in mentem venire minus esse necessarias de rebus priuatis consultationes; eo quòd ius commune neminem cogit alios in rebus suis consulere, neminemve damnat sine consilio rem donantem, aut ementem, aut locantem, seu hereditatem adeuntem, aut de toto patrimonio suo testantem: immo paucis exceptis casibus, quibus tutores, curatores, seu administra-
C tores certis personis, ac rebus adiungi solent, reliquis non solum plenam facultatem rerum suarum gerendarum permitti, sed etiam eisdem indulgeri scimus, vt si quando libuerit aliquos in consilium adhibere, non tamen illud sequi teneantur,[a] cum regula sit consilia suaderi tantum, non imperari:[b] quod & in consilijs Euangelicis locum habet.[c] Et quamuis iure veteri prudentes viros institutos fuisse sciamus, qui cõsulentibus de iure respondebant, eorumq. responsa auctoritatem obtinebant, non tamen quemquam ad illos consilij causa confugere coactum fuisse legimus.[d]

a l. 2. in fi. mãda. & glo. c. cũ olim. de arbit.
b cap. fin. 14. quæst. 1.
c cap. integritas. 32. q. 1.
d l. 2. de orig. iur. §. et quidẽ ex omnibus, & §. Et vt obiter.

A Sed

Sed & amplius ex sacris litteris edocemur, hominem ratione, atque arbitrij libertate a Deo instructum in manu consilij sui, non alieni relictum fuisse.[a] Vnde absurdum videri potest, eum, qui a Deo conditus fuit ad eius imaginem, & similitudinem, vt alijs animantibus præesset, sibi ipsi in rebus suis non sufficere, sed ad alienam opem confugere debere. Hæc & alia huiusmodi aduersus priuata consilia possent fortasse excitari. A

VERUM siquis, re altius, vt oportet, repetita, eam iustis rationibus attentius considerarit, non dubitamus eum longe aliter iudicaturum, & nobiscum hanc rerum humanarum consultandarum necessitatem perspicue agniturum.

CONSTAT siquidem ex ipsis naturæ principijs, hominem summa Dei prouidentia ad socialem vitam procreatum fuisse, non tam delectationis, quàm necessitatis causa;[b] propterea quod cum ex anima, & corpore conditus esset, egebat vtrumque aliena ope, atque adiumento. Nam quod ad corpus pertinet, nemo non videt fragile illud, nudum, atque inerme oportere ab alijs nutriri, foueri, atque defendi. Quod vero ad animum spectat, quis pariter nõ perspicit, nisi aliorum disciplina informetur, ac moribus, & doctrina perpetuo excolatur, rudem prorsus, imperitumq. deprehendi?[c] Quod sane ex ipsa humanæ naturę conditione proficisci receptum est, quę quamuis rationis particeps condita fuerit, quia tamen cum corpore coniuncta erat, necesseq. habebat ad cognitionem hauriendam se ad sensus conuertere, & phantasmata speculari; propterea non licuit illi, prout Angelis, solo intuitu, ac momento, naturaliter res absque vllo labore, atque errore apprehendere.[d] Verum necesse ei fuit, res pedetentim cogitatione percurrere, paulatimq. progressus de vna ad alteram facere, consequentias rerum ex causis antecedentibus longo examine, & circuitu colligere,[e] & tandem magna animi contentione aliquando res comprehendere, aliquando non comprehendere, sed putare se comprehendere, & specie boni decipi,[f] ac plane aperte videre se ad multa percipiéda, & efficienda aliena ope, & consilio necessario indigere. Quæ humana conditio magna certe ex parte etiam in ipso innocentiæ statu se ostendisset, quo non omnes homines æquales proditi fuissent, sed aliqui maiores, qui minoribus consulerent, aliqui doctiores qui simpliciores instruerent.[g] B C D

VERUM post naturam lapsam eo magis hæc hominum imbecillitas patefacta fuit, mutuamq. ferendi sibi inuicem subsidij necessitatem euidétius declarauit, tum propter interni luminis aciem ex peccato debilitatam, quod secum ignorantiam, difficultatemq.

operandi

a Eccli. 15.

b S.Thom. de regim. princip. lib. 4. cap. 2. 3. Aegid. lib. 2. par. 1. & lib. 3. par. 1. cap. 4.

c S.Thom. 1. par. q. 101. artic. 1.

d S.Thom. 1. par. q. 58. ar. 3. 4 & 2. 2. q. 49. art. 5. ad 2.

e S. Thom. 1. par. q. 79. ar. 8

f S.Tho. 2. 2. q. 49. artic. 5. & 8.

g S.Tho. in 1. par. q. 96. ar. 3

A operandi traxit, [a] tum propter rerum ipsarum, quæ extrinsecus apprehendendæ sunt, auctas post præuaricationem ex cæco hominum amore nouitates, varietates, obscuritates, atque incertos exitus, [b] quibus curandis, & quemadmodum oportet administrandis, necessarium est, circumstantias omnes, quæ multiplices sunt, perfecte obseruare, necnon vniuersalia rationis principia ad singularia illa, quæ repente, & quasi momento contingunt, applicare, [c] & diuturno vsu plurima, quæ varia sunt, atque incerta, ac prope infinita, comperta habere. [d] Cum autem hæc omnia in nullo quopiam, quantum satis est, reperiri, nec ab vno omnibus in rebus,
B atque omni tempore præstari possint; [e] euidenter perspicitur hæc petendi consilij necessitas, cum facilius sit a multis multa, quàm ab vno tantum cognosci, [f] quia, quod vni non occurrit, alteri se offert. Qua ex re consilium aliqui dictum esse volunt quasi considium, quod plures simul consideant ad aliquid determinandum, [g] & præsertim quia ad bene operandum [h] non solum perspiciendum est quid fiat, sed quomodo id fiat, non casu, non impetu, non carnis affectu, non proprio sensu, sed recta electione, congruentibusq. fini medijs: tempore item, modo, loco, animi firmitate, alijsq. plurimis circumstantijs perspectis, atque seruatis, [i] quæ vt
C in vno tantum homine naturaliter, perpetuoq. inueniantur, inauditum, ac fere incredibile videtur. [k]

QVAPROPTER sententia tum sanctorum Patrum, tum Philosophorum ea semper fuit, hominem sibi ipsi rebus grauibus, ac difficilibus gubernandis vt plurimum minime sufficere, [l] sed præter supernum [m] auxilium etiam prudentum consilio adiuuandum esse; vt quemadmodum ex scintillis multis lumen vnum accenditur, sic copulatis multorum mentibus, quæ antea diuisæ erant, solidius humanarum rerum administrationibus prospiciatur. Et qui antea singuli duos tantum oculos, ac manus, & pedes habebant,
D vnde non omnia circumspicere, atque attingere poterant, nunc coactis quasi in vnum cœtum multorum oculis, & manibus, vniuersa commodius, & clarius lustrare, & contrectare possint. [n]

Quod eo amplius confirmatur, quia certum est, Christiano homini nullam actionem a deliberata ratione proficiscentem, & in indiuiduo, quod vocant, consideratam tamquam indifferentem propositam esse debere, [o] nihilq. omnino otiose, nihil fortuito, aut inconsiderate ei suscipiendum esse, cum notum sit verbi etiam otiosi rationem illi reddendam. Hincq. negotiatori solet comparari; [p] quoniam quemadmodum mercatores suam pecuniam non solum

a S.Tho.1.2. q.85.art.3.
b S.Tho.1.2. q.77.art.2.4. & seq.
c S.Tho.2.2. q.49. artic.1. & 7.
d S.Tho.2.2. q.49. art.1.et q.47.art.3.ad 2.& 3.
e S.Tho.2.2. q.49. art.5 in fine.
f c.prudentiã. de offic. deleg. c. de quib. 20. distin.
g S.Tho.1.2. q.14.art.3.
h S.Tho.2.2. q.49.art.7.& q.51. artic.1. ad 3.
i S.Tho.supra.
k S.Tho.2.2. q.49. art 3. in corp. & ad 3. in fi.
l S. Tho.1.2. q.14.ex Arist. lib.3.Ethi.c.3.
m S.Tho.2.2. q.52.art.1.
n Arist.lib.3. Polit.c.7.c.11. & lib.4.c.14.
o S.Tho.1.2. q.18.art.9.
p Matth.13.

numquam inanem aut sterilem esse patiuntur, sed eam vtiliter as- A
sidueq. exercere student, vt quàm maximum possunt lucrum inde
referant, sic Christi disciplinam sequenti omnia tum certa electio-
ne, & deliberatione sunt instituenda, tum recta ratione ad debi-
tum finem dirigenda, [a] & ideo prudentiæ virtutem aiunt sapientes
vnicuique esse necessariam, [b] cum enim illa dicatur recta ratio re-
rum agendarum, iuuantur homines illius auxilio non tantum vt
munera, quæ sibi incumbunt, caute, & circumspecte expleant, [c]
sed etiam vt salubria a peritis documenta suscipiant: quod ad do-
cilitatem pertinet, quæ prudentiæ pars integralis dicitur. [d] Nam
cum ab vno homine omnia nequeant, quantum satis est, conside- B
rari, indiget vnusquisque ab alijs erudiri, aut certe admoneri, in
eoq. studium ponere, vt exceptis casibus a Doctoribus traditis, qui
consultationi non subijciuntur, [e] in reliquis alios audiat, & eorum
consilia nec propter ignauiam negligat, nec propter superbiam
contemnat. [f] Hinc S. Gregorius Anthemium reprehendebat, quia
consilia sapientum, & recta suadentium non suscipiebat: [g] qui
enim aliquid ab alijs scire potuit, & noluit, tunc illius ignorantia
eum non excusat; [h] quia nobis non solum commissionis, sed inde-
bitæ etiam omissionis ratio reddenda est. [i]

Quod eo magis affirmant Theologi, quando res, quam aggre-
di quis nititur, eius sit ponderis, & grauitatis, vt probabiliter a- C
gentis scientiam, & experientiam transgrediatur, cum in eo rerum
genere se numquam plene exercuerit: quod quidem in actionibus
humanis frequenter solet accidere, quæ vt plurimum pendent ab
experientia, in quibus sane plus valet, & plus proficit expertus,
quàm qui rationem absque experientia tenet. [k] Vnde & apud Iu-
risconsultos in culpa is esse dicitur, qui talibus negotijs, artibusve
sibi ignotis se immiscet. [l] Immo illud addunt non longe ab ar-
rogantiæ, ac temeritatis vitio eum abfuturum, qui opus illud at-
tentat, quod vires, facultatemq. suam excedit, [m] existimans se vir-
tute, aut scientia, seu auctoritate plus pollere, quàm re vera pol- D
leat; [n] siue præcipitem facile prolapsurum, qui per gradus illos
minime studeat incedere, quibus ratio dirigi, atque ad operandum
ordine perduci solet, [o] alioquin prætermittendo quod potest, &
debet, interpretatiue videri eum ex præsumptione, seu indiscretio
ne (vt eorum verbis vtar) Deum tentare voluisse. [p]

QVAE omnia sacrarum etiam litterarum auctoritate proban-
tur, quibus frequentissime consilij vtilitas commendatur, & ad
consilium capiendum inducimur, qualia illa sunt: [q] *Erit salus vbi*

multa

a S.Tho. 1.2. q.1. art.1.
b S.Tho. 1.2. q.57. art.5.
c S.Tho. 2.2. q.49. art. 7.8.
d S.Tho. 2.2. q.49. art.3.
e Arist. lib.3. Ethic. c.3.
f S.Tho. 2.2. q.49. artic.3. ad 2.
g S. Greg. lib. 11. epist. 29.
h cap. peruenit cũ Glo. in verb: cõsilia. dist. 84.
i S. Tho. 1.2. q.72. art.6.
k In proœmio lib.1. Metaph. c.1. & Aegid. lib.3. de regim. princip. par. 2. cap.17.
l Dec. l. culpa non caret, de reg. iur.
m S.Tho. 2.2. q.21. art.4.
n S.Tho. 2.2. q.130. artic.1. & 2.
o S.Tho. 2.2. q.53. art.3.
p S.Tho. 2.2. q.53. art.4. ad 3. & q.97. art. 1. & ar.3. ad 2
q Prou. 24.

A *multa consilia sunt.* [a] Et: *Ne sis sapiens apud temetipsum.* [b] Et: *Fili sine consilio nihil facias.* [c] Et: *Qui autem sapiens est, audit consilia.* [d] Et: *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* [e] Et: *Dissipantur cogitationes vbi non est consilium: vbi vero sunt plures consiliarij, confirmantur.*

a Prou.3.
b Eccli.32.
c Prou.12.
d Prou.13.
e Prou.15.

QVIBVS multa alia possent tum ex Græcorum, & Latinorum monumentis, tum ex probatis multarum gentium, & Nationum historijs adiungi, ex quibus pateret, communem, perpetuumq. hunc fere apud omnes morem extitisse, non solum res graues, ac difficiles cum prudentibus, peritisq. viris communicãdi, sed amplius eos, qui cautius rebus suis prospicere quæsierunt, minores etiam, & fa-
B miliares causas solitos fuisse ad aliorum consilia deferre: quod olim veteres Romanos obseruasse, Cicero testatur, [f] eum ait ad Sextum Ælium, & Manlium de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio relatum fuisse, & Publ. Crassum T. Coruncanum in Senatu, & apud Populum, & in causis amicorum, & domi, & militiæ consilium suum, fidemq. præstitisse. Hinc sæpe inter Iurisconsultorum responsa, legimus quæsita in Populo frequenter Sapientum consilia fuisse: nunc de testamento condendo, nunc de societate ineunda, de donatione facienda, de manumissione, de nuptijs, de familia,
C de peregrinatione, atque alijs huiusmodi multis. [g] Sed quoniam hæc satis nota esse putamus, ideo ampliore nobis visa sunt non indigere probatione.

f Lib.3 de or.
g Luc.de Pen. l.omnes. C. de Decur. lib. 10. nu. 30. & seq.

SVBDIMVS tamen ea, quæ vniuerse de petendi consilij necessitate hucusque affirmauimus, non quidem ad omnia omnino, quæ in hominum vsum cadunt, pertinere; sed ad ea tantum, quæ ex sapientum regulis consultationi subijciuntur. Nam de ijs, quæ certa sunt, aut arte constant, aut a fortuito euentu pendent, aut ex cursu naturæ proueniunt, aut quæ immutabilia, & æterna, aut quæ parua, & leuia sunt, non est opus consultores adhibere, [h] sicuti nec
D illa, quæ agenti nota satis, atque explorata sunt, in deliberatione ponuntur: nam frustra (vt dici solet) quæritur per agros quod domi habetur.

h Arist. 1. Rhetor. & 3. Ethi. c.3. Aegid. de regim. princip. lib. 3. par. 2. c. 16. 17.

HIS igitur, & aliis huiusmodi casibus exceptis, dicimus eum, qui sapienter actiones suas moderare cupit, prudentum virorum consilio vti debere.

VNDE ad id, quod initio obijciebatur, iure communi neminem compelli sibi consultores in rebus suis adsciscere; Respondetur, nec caueri legibus, vt indigens cibo, & potu alimenta ab habentibus quærat, aut ægrotus vt medicum adeat, siue qui in iudicio

contendit vt aduocatos consulat, aut ædificaturus domum, vt A architectum accersat, hæc enim ius naturæ, & ratio ipsa, atque humanæ imbecillitatis necessitas satis vnumquemque docent, ita vt si quis hæc negligat, aut se illis indigere non agnoscat, se parum iudicio valere manifeste ostendat. Quòd si in rebus corpori necessarijs, vt fame, siti, nuditate, & morbo, diuino quodam naturæ iure vrgemur subsidia petere, multo magis in ijs, quæ ad animum pertinent, & vbi conscientia periclitari potest, id erit faciendum.

SED amplius, dum dicebatur, hominem in manu consilij sui a Deo relictum fuisse, vnde si necessarium esset ei consilium alterius, B penderet potius a manu aliena quàm a sua; Respondetur, sensum illorum verborum esse,[a] datum fuisse homini a Deo liberum arbitrium in rebus gerendis, non quia liceat ei facere quidquid velit, sed quia ad id, quod faciendum est, non compellitur necessitate naturæ, sicut ea quæ ratione carent, cum ipse libera electione possit sequi siue bonum, siue malum.

a S. Tho. 2.2. q.104. arti.1. ad 1.

DVM etiam addebatur, Deum non deesse vllis animantibus in rebus necessarijs ad vitam; & propterea absurdum videri, quòd homo, quem alijs animantibus præfecit, sibi ipsi non sufficiat, sed indigeat alieno consilio, atque auxilio; Respondetur, id nobis non officere, quia sicuti non dicitur natura defuisse homini in rebus C necessarijs, quamuis illum nudum, & imbellem procreauerit, nec ei arma, & tegumenta sicut alijs animantibus dederit,[b] quoniam rationem, & manus ei subministrarit, quibus possit hæc sibi comparare; sic dedit ei liberum arbitrium, quò se ad Dei in primis auxilium, atque hominum conuerteret;[c] cum id, quod per alios possumus, per nos aliquo modo posse dicamur.[d]

b S. Thom. 1. par. q.91. ar.3. ad 2.

c S. Tho. 1.2. q.5. ar.5. ad 1.

d Aristot. 3. Ethic.

ACCEDIT præterea, quòd sicuti Deus, cum omnia possit, inferiorum tamen rerum, quæ causæ secundæ dicũtur, ministerio vtitur propter multiplices vtilitates a Doctoribus explicatas,[e] ita & placuit illi, homines quasi secundas causas, discipulosq. ab eo edo- D ctos, hominibus adiutores constituere, tum vt eos ad imbecillitatem suam magis agnoscendam, humilitatemq. amplectendam excitaret, tum vt veterem progenitorum temeritatem, quæ eos in has angustias coniecit, ante oculos perpetuò haberent, tum denique vt diuinam erga humanum genus benignitatem, quæ numquam illis deest, patefaceret.

e S. Tho. in 1. q.23. art.2.3.

RVRSVS, dum deducebatur, durum nimis videri vrgeri homines in rebus priuatis consultores sibi adhibere, quæ in libera eo-

rum

A rum ſunt poteſtate, cum antiqui iuris ſit regula, vnumquemque iuris ſui retinendi, ac dimittendi dominum eſſe, [a] etiam ſi re propria abſque alterius tamen detrimento abuti velit; [b] Reſpondetur, durum id dici non poſſe, quod in maiorem hominis vtilitatem redundat: ſicuti enim per ignota loca peregrinanti: durũ videri non debet, immo optabile ducem itineris quærere, ſic egentem conſilio a ſapientibus illud petere non graue, ſed iucundum eſſe ſolet. Et verum illud quidem eſt ex humanis legibus, eum, qui dominus rei ſuæ eſt, eam potuiſſe pro derelicto habere, aut in mare proijcere: idem tamen a recta rationis regula declinaſſet, ac ſibi ipſi quã-
B uis non alteri iniuriam feciſſet. Præterea, quòd quiſque de re ſua pro arbitrio poſſit ſtatuere, pertinet ad actum iuſtitiæ: at homo, pręſertim Chriſtianus, præter iuſtitiam, lege etiam charitatis tenetur, vt Deo, & proximo ſeruiat, & rebus ſuis longe aliter quàm leges humanæ permittere ſolent, vtatur.

Ad id etiam, quod ſupra obijciebatur, licere ſcilicet homini actiones ſuas prout velit inſtituere, atque rebus ſuis ad eius arbitrium, cum dominus earum ſit, vti; Reſpondetur, tum morali lege rationem ipſam præfigere hominibus certam bene operandi regulam, tum vero præcipue ex Chriſtianis præceptis teneri ho-
C mines omnia recte, prudenterq. facere, neminemq. abſolute rerum ſuarum dominum appellandum, [c] cùm ei in nouiſſimo die villicationis ſuæ ratio ſit reddenda, atque otioſum etiam verbum ad calculos, vt ſupra diximus, ſit redigendum: [d] proindeq. dicimus non licere eis quidquam perperam agere, neque inepto arbitratu ſuo res ſuas elargiri, aut retinere, [e] quamuis etiam nemini inde iniuriam, aut detrimentum inferret: nam amplius requiritur, vt, cum homines ſint, ſuas omnes actiones debita ratione, ac moderatione, atque ad iuſtum, meritumq. finem dirigant, [f] atque rerum ſuarum vſum vbi occaſio poſtulat, cum alijs communicent. [g]

D Denique ſi replicaretur, hoc nihil aliud eſſe, quàm compedes hominibus inijcere, eosq. libertate res ſuas gerendi, atque de his ſtatuendi ſpoliare, facultatemq. maleuolis præbere illos in iudicium deferendi, atque vexandi, quòd non ad exactam prudentiæ trutinam ſingulas domeſticas res examinarint; Reſpondetur, hoc Doctores, qui ſapienter loquuntur, minime ſentire: nam dicunt teneri quidem vnumquemque, quidquid agit, recte prudenterq. agere, ſed non dicunt debere eum omnibus in rebus conſultores adhibere. Nam ſi res leues ſint, & faciles, aut etiam ſi graues ſint, ſed tamen eidem bene notæ, & perſpectæ, non eſt neceſſaria alia

a l. in re mandata. C. mandati.
b l. ſed & ſi. §. conſuluit. de petition. hæred. l. etiam. §. 1. ſol. matr.
c S. Tho. 2. 2. q. 66. ar. 1. 2.
d Matt. 12.
e S. Tho. 2. 2. q. 185. artic. 7.
f S. Tho. 1. 2. q. 1. artic. 2.
g cap. ſicut hi, 47. diſt. S. Chryſoſt. conc. 2. in Lazarum.

conſultatio, quæ ad cauſas tantum dubias, & difficiles, ſeu graues, atque arduas pertinet: [a] quod quidem quomodo dignoſcendum ſit, non poteſt certa regula comprehendi, cum res eadem ſecundum ſubiectam, vt aiunt, materiam, modo parua, modo magna, modo leuis, modo grauis cenſeri ſoleat, quod ſapientis eſt iudicare. [b] A

a S.Tho. 1.2. q.14.art.4 & q.44.art.2.

b Gl.c. ſi.de re iud.in 6.verb. Illuſtrium.

Sed & illud, quod potiſſimum eſt, addunt, hæc omnia ad forum tantum interius, quod conſcientiæ dicitur, & vbi culpæ examinantur, non autem ad exterius, quod apud Tribunalia Iudicum agitur, pertinere, ita vt vereri nemo debeat, ſi non adhibitis conſiliarijs, res ſuas domeſticas geſſerit, veluti filiam collocando, fundum emendo, villam ædificando, Principem virum hoſpitio excipiendo, ſibi ideo litem apud Magiſtratus intendendam eſſe. Nam hæc & alia huiuſmodi, quæ ad res proprias, ac priuatas pertinent, non cenſuerunt leges foro externo eſſe ſubijcienda: cuius finis cum ad Reipublicæ tantum tranquillitatem dirigatur, ideo peccata illa tantum coercet, quæ ſunt aduerſus iuſtitiam. At vero conſilium non petere, præſertim in rebus proprijs, non repugnat iuſtitiæ, ſed potius prudentiæ: & propterea ad aliud forum pertinet, quod internum dicitur: hoc autem nihil inemendatum relinquit, & latiſſime peccata quæcumque contra virtutes omnes complectitur. Vnde hæc, de quibus loquimur, apud ſupremum Iudicem diligenter erunt ſuo tempore excutienda, & tunc ratio reddenda, quare prætermiſſo conſilio, quod facile peti poterat, maluerit quis proprio quàm ſapientium virorum ſenſu grauiora viribus ſuis aggredi, temereq. tractare. Id autem proxima quæſtione plenius etiam perſequendum, ita eo loco poſtulante, reſeruamus. B C

PARS I. QVAESTIO II.

Quid in rebus publicis, & quæ pertinent ad Principes & Magistratus?

QVAEST. II.

A QVAMVIS probatum satis esse existimemus ex rationibus in præcedenti quæstione adductis, omnes homines consilio omnino indigere; dubitari tamen iure posse videtur, an eadem necessitas etiam Principes & Magistratus in publicarum rerum administratione comprehendat, non solum propter excellentiam status, qua alijs eminent, vnde aliquid maius homine referre videntur, & ideo honor eis, & cultus tribuitur,[a] sed etiam quia cum alijs præpositi sint, vt eos gubernent, & moderentur,[b] absurdum videtur, illis, qui alios regere debent, alieno consilio opus esse. Et præterea, quia in publicis rebus administrandis summa cautione, ac taciturnitate plerumque opus B est, ita vt Principibus nõ tutum sit animi sui sensa pro ciuiũ salute alijs communicare, quod Antigonum Regem Asiæ, & Iulium Cæsarẽ apud Romanos, & alios quàmplurimos obseruasse legimus.[c]

VT igitur dilucide res tota explicetur, notum illud esse scimus, Principes, ac Magistratus, & alios huiusmodi viros duplicem personam referre,[d] alteram priuatam, quæ eis cum omnibus hominibus communis est, alteram publicam, quatenus alijs præsunt, & publicum munus ad communem populi vtilitatem administrant. Quod igitur ad priuatam spectat, dubium nõ videtur communi eos cum C alijs iure censeri: nam cum hæc consultandi necessitas, de qua agimus, tam ex humanæ naturæ conditione, quæ omnes complectitur, quàm ex progenitorum lapsu, qui ignorantiam in posteros inuexit, in vniuersum hominum genus propagatam fuisse diximus, sequitur eandem in Principes etiam, ac Magistratus, qui ex numero mortalium sunt, & humanis conditionibus perinde ac reliqui homines ipsa origine obnoxij, pariter transfusam fuisse.

Quod vero ad publicam spectat, idem plane dici posse videtur: quandoquidem dignitatis gradus, non illis maiorem, aut scientiam, aut experientiam, aut prudentiam, excluso diuinæ gratiæ auxilio

a S.Thõ. 2. 2. q. 102. artic. 1.
b S.Tho. d. qõ. 102. Arti. 2.
c Plutarc. in Demetr. Suet. in Iulio.
d cap. ex litteris, & ibi gl. de proba. l. si consul. ff. de adopt.

xilio, adiũgit: nec illi, adepto sublimiore honore, ob id peritiores, A
aut sapientiores euadunt, sed ampliore tantum auctoritate decorati, latiorem etiam, atque illustriorem tum acquirendæ, tum exercendæ virtutis occasionem nanciscuntur. Immo quo grauiora, ac periculosiora negotia suscipiunt, quippe quæ nõ ad sua quæ ab eis pendent, sed ad aliena, quibus salus populi nititur, commoda spectant, eo perfectiore modo se in ijs gerere tenentur, proindeq. maiorem multorum consultationem, ac solicitudinem adhibere, vt muneri suo satisfaciant. Hinc ab aliquibus Senatus, anima, ratio, & intelligentia Reipublicę vocatur: proinde sicut corpus sine anima perit, & homo sine ratione nihili est, sic remotis consiliis, publi B
cas res pessum ire videmus. Et ideo scribit Lampridius [a] Seuerum Imperatorem nũquam aliquid statuisse absque plurimorum Iurisconsultorum, aliorumq. peritorum corona. Et Augustus quamuis valde sapiens, dicitur tamen adhibuisse ad consilium etiam priuatum Mœcenatem, & Agrippam, sicut Iulius Cæsar Q. Pedium, & Cornelium Balbum. [b] Quemadmodum enim ratio ipsa ostendit, eum, qui multorum administrationi præest, nõ posse tam multiplici officio sine multorum auxilio satisfacere: sic quando Principes eorum hominum comitatu se circumseptos esse delectantur, qui religione, integritate, fide, ac prudentia præstant, voluntatemq. in C
consiliis eorum auscultandis, ac iudicium in deligendo meliora adhibent, eos certe errare vix vmquam posse censendum est, cum facilius omnino videatur, alios nullo perturbatos affectu, quid optimũ sit sentire, quàm eos, qui in rebus suis proprio iudicio nimium fidunt: sicuti qui spectant ludentes, rectius iudicare solent. Hinc etiam Salomonem legimus cælesti quamuis sapientia affluẽtem, de suo tamen sensu semper solitum vereri, vt qui diceret: [c] *Ego paruulus sum, & nesciens egressum & introitum meũ, & nesciens quo me vertam.* Et S. Benedictus in regula sua mandauit, [d] Fratres omnes etiã inferiores ad consilium vocari, quia multa paruulis patefieri solét, D
quæ maioribus absconduntur, & S. Chrysost. sæpe Magistratus & Præfectos ex sacris litteris edoceri scripsit, ne inferiorum suorum consilia spernerent, neve ea, quæ ad aliorum salutem moliuntur, cum illis communicare detrectarent. Hincq. sapientes Principes adeo Consilium, & Senatum necessarium esse ad rectam, salubreq. administrationem censuerunt, vt de Regibus magnis legatur, vetuisse eos, ne filij, ad quos Regnum deferendum esset, scientiarum studijs imbuerentur, vt se rudes agnoscentes, aliorum sibi consilia adiungerent, quippe qui optime scirent eos, qui potestate præditi, se

a In vita Seueri longe ante medium.

b Dio Cassius lib. 52. in prin.

c 3. Reg. 3.

d capit. 3. vbi Turrecrem. tracta. 15.

A se quoque præstare scientia sibi persuadent, audere viribus suis fretos cuncta arbitrij sui impulsu peragere, vnde in perniciem labuntur. Quod & veteres religiosissimi Impp. Theodos. & Valent. rescripserunt his verbis: [a] *Bene enim cognoscimus, quod cum uestro consilio, Patres conscripti, fuerit ordinatum, ad id beatitudinem nostri Imperij, & ad uestram gloriam redundare.* Et Policrates scriptum reliquit, fieri non posse, vt salubriter principatum administret qui consilio sapientum non vtitur.

a l. humanum. C. de leg.

ID vero nihil ipsorum Principum tum sapientię, tum existimationi, atque auctoritati detrahit: quoniam hæc in eorum non sunt B potestate: & sapientis non est, vt ille dicebat, nisi præstare culpam. Hincq. antiquissimum hunc Hebræorum, Aegyptiorum, Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorumq. morem fuisse legimus, quin perpetuũ hunc fere omnium Gentium, Nationum, & Populorum vsum extitisse, vt consiliarios in publicis administrationibus secum adhiberent: id enim maiorem auctoritatem eorum legibus, & decretis acquirere, quæ cum sapientum consilio firmata esse populus videret, præsertim, cum facile sit Principibus ipsis selectissimos, peritissimosq. viros sibi adiungere, quorũ opera, atque industria vtantur: quod priuatis viris non æque conceditur. Vnde & C Arist. ad Alexandrum Regem scribebat, [b] consiliari diuinissimam rem esse, quod inde quid præstantius, & vtilius sit, inueniatur. Siquidem Principis maiestas non in eo tantum dignoscetur, vt possit, sed vt nouerit ex pluribus quid melius sit eligere, & amplius velit id quod vtilius sit, præstare; alioquin verendum est, ne auctoritas sine consilio tanquam gladius habeatur in manu furiosi. Et ideo Plato quoque consilium rem sacram appellabat. [c]

b In Rhetor. ad Alex. c. 1.

c Plat. in Theage, siue de sapientia in prin.

QVOD si quis dicat, alienum consiliũ non esse homini necessarium, qui propria prudentia præditus sit, immo sicut locupletes homines aliorum inopiam subleuant, sic eiusmodi virum aptum D esse potius aliorum imbecillitatem consilio suo adiuuare, quàm vt egeat ipse sibi ab alijs consuli, & ideo Principes, & Magistratus iure optimo in hoc ordine habendos esse, quos præclara merita, & virtutes ad eos gradus euexerunt; Respõderi solet, dupliciter consilium considerari posse: [d] alterum, quod intrinsecus inest: alterum, quod extrinsecus assumitur. Nam cum consilium nihil aliud sit, quàm inquisitio quædam de rebus gerendis, data est homini ratio, cogitatio, & memoria, qua valeat præterita repetere, pręsẽntia animaduertere, & futura prospicere, secumq. diligẽter, quid facto opus sit, expendere, & ratiocinari, vim cõsultiuam intimo corde exercendo,

d Iauel. polit. Christ. trac. 3. cap. 1.

atque

atque interiores animi vires quasi in consilium cogẽdo: quod consilium intrinsecum, & proprium suiipsius dicitur, sicut de Dauide, de Susanna, alijsq. sapientibus viris legimus, qui periculis circumuenti, aut difficilia meditantes, varia versabant in corde suo;[a] & de Cicerone, quẽ librum de suis consilijs conscripsisse Boëtius tradit.[b] Consilium vero extrinsecum est id, quod ab alijs petitur, scrutando quid sentiant: quod fit siue consulendo libros, & monumenta, quæ tamen vt plurimum minus perfecte prosunt, cum singulæ circumstantiæ, quæ negotijs contingentibus adhærent, litteris consignatæ minime reperiantur; siue viuam aliorum vocem, & iudicium præsertim seniorum, & probatorũ virorum exquirendo: quod sane consilium extrinsecum dicitur, atque illud est proprie, de quo nos hic agimus. Quapropter admitti quidẽ potest, Principibus scilicet negandum non esse, quin sibi primum illud consilium probabiliter valeant vindicare, quod ab eorum industria, solertia, ac vigilantia pendet: sed alterum illud extrinsecum non ideo minus necessarium illis esse dicetur ad grauia negotia, vt oportet, administranda, propter particularia videlicet plurima accidentia cum rebus ipsis cõiuncta, quæ cum ab vno nequeant homine peruideri, ac non nisi experimẽto cognosci, certum vtique est melius multo, ac plenius a pluribus, quàm ab vno tantum exploranda illa fore, cum, vt dici solet, plus videant oculi, quàm oculus. Quod & Imperatores in legibus ciuilibus attestati sunt, dicentes, *Dubium non esse, omnia omnino, quæ consilio recte geruntur, iure, meritoq. effectu, & firmitate niti.*[c]

AT si replicetur, immo Principes multos inueniri non tantum ingenij acumine, intelligentia, atque doctrina, sed etiam longo rerum vsu, maximaq. peritia præditos, quibus subsidiaria, aduentitiaq. aliorum opera minus videtur esse necessaria; Respondemus, in moralibus, vt notum est, ad ea respici, quæ vt plurimum, non quæ aliquando tantum, & raro vsu venire solent: certum autem illud est, vt plurimum, plus multos, quàm vnum cognoscere. Dicimus etiam non exigere nos à Principibus, vt in ijs rẽbus, quas bene notas habent, atque experimento didicerunt, cõsiliarios adhibeant; sed hanc eorum notitiam cum vsu coniunctam, qua se prędictos esse aiunt, diligenter obseruandam esse, ne ad alia prioribus minime cohærentia protendatur: non enim, quod aiunt Iurisconsulti, apprehensa possessione partis agri, totum agrum apprehensum censeri; sic in prudentiæ disciplina accidit, cuius campus cum sit latissimus, totum necesse est. per singulas partes peragrari, si totum quis velit obtinere: alioquin quod in præscriptione

dicitur

a Dan. 13. & 1. Reg. 27.
b Boet. lib. 1. de Music. c. 1.
c l. dubiũ non est, C. de repud.

A dicitur, quantum longo vsu fuerit præscriptum, tantum censeri possessum, & non vltra: sic & in prudentia obseruatur, quæ se varie admodum diuersis solet communicare. Vnde videmus aliquos regia industria præstantes, non autem œconomica: & alios politica, non autem militari: [a] & alteram esse prudentiam, quæ singulis ad necessitatem salutis sufficit: alteram, quæ aliorum quoque gubernationi prouidet: [b] deinde alteram, quæ ad Principes: alteram, quæ ad subditos pertinere solet. [c] Ex quo liquet, quamuis aliquis prudentiæ laude aliquot in rebus excellat, non tamen illum vbique tamquam rerum omnium consultissimum esse cen-
B sendum, vnde & vetere prouerbio dicitur: *Nemo solus satis sapit.*

a S.Tho.2.2. q.47. art. 11. et q. 50.in præfat. Arist. 6. Ethic. cap 8.
b S.Tho.2.2. q.47.artic.10. & 12.
c Arist.lib. 8. Politic.c.3. & lib.6.Ethi.c.9.

VERVM si quis obijceret, Principes, & Magistratus, Dei ministros vocari, qui non sine causa gladium portant ad exercendam Dei in terris iustitiam, [d] probabileq. esse, habere etiam adsistentem sibi diuinam gratiam eos in munere suo illustrantem, & illis dotes omnes, atque auxilia subministrantem, quæ ad gerendos, vt oportet, ipsos honores, sint illis adiumento. Vnde si nequeant, nisi multis adhibitis arbitris atque assessoribus vocatis, publicas res decernere, hoc nihil aliud erit, quàm populum censorem regiarum actionum, & morum constituere, & detrahendi occasio-
C nem præbere, & multorum calumnijs Principem obijcere. Respondemus, rudes quidem homines, & ignaros sic forte posse suspicari, sapientes vero, & graues neutiquam, quippe qui norint, Principes exigere consilia, non vt illis sint subiecti, sed vt ea diligenter perpendant, & quod satius fuerit, deligant; cum non minoris sit sapientiæ inter varia multorum consilia quod optimum sit discernere, atque illud exequi, quàm res ipsas ad consultationem deferre. Quapropter ea, quæ iuste Principibus debentur, nos nullo pacto adimimus: sed cum videamus Moysen, Dauidem, Salomonem, aliosq. viros sapientissimos, Deiq.
D spiritu plenos sibi consiliarios, adiutoresq. viros accersisse, existimamus tantum abesse, vt hoc diuinæ voluntati repugnet, vt potius hinc magis illius gratia erga eos prouocetur, quippe qui per semitas, ac media ab eo disposita incedant, [e] minimumq. prudentiæ suæ fidentes, ad alios quamuis inferiores, ac paruulos confugiant. [f]

d Rom. 13.
e S.Tho.2.2. q.83. art.2.in respons.
f Matt.11.& 18.& Luc.10

Sed præterea dicimus ea, quæ obijciuntur, in foro quidem, quod aiunt poli, non autem in foro fori esse accipienda, prout sæpe in alijs materijs seruari solet. [g] Nam apud homines cum quis munus aliquod iure adeptus est, aut ad magistratum euectus, aut digni-

g c.fin.in fi.17 q.4.& c.1.de re iud. in 6.& c.consuluit, de vsur.c.tua nos de sponsal.

dignitatem quamuis amplissimam consequutus, eo ipso ad illud A
quidquid officij est, nisi manifeste inhabilis, atque indignus sit, administrandum idoneus esse censetur, [a] illiusq. prudentiæ considerandum relinquitur, an multis, vel paucis, aut nullis egeat extrinsecus adiutoribus, quibus siue palam, siue secreto prout ipse ijs indigere indicauerit, vtatur; nec ideo ei status sui, aut debitæ in eo munere exercendo peritiæ, controuersiam moueri ius est: quod quidem de iudice delegato in Concilio Lugdunensi ab Innocentio IIII. responsum fuit, [b] & a Doctoribus in similibus alijs casibus firmatum fuisse videmus, [c] ad tollendas scilicet populorum perturbationes, ingentemq. rerum & actionum omnium confu- B
sionem, si quis hæc ad exactam rei veritatem redigere vellet: quod olim etiam in eo, qui pro Prætore se gesserat, [d] & in rerum vsucapionibus ac præscriptionis restitutionibus, alijsq. huiusmodi constitutum fuisse legimus. [e] At vero quoniam non patitur Deus, qui est summa bonitas, veritatem, iustitiam, innocentiam, ac sapientiam offensam, aut violatam apud homines relinqui; propterea in supremo illo, atque acerrimo iudicio, quod forum poli dicitur, hæc omnia ex integro repetenda, atque examinanda reseruat, [f] vt id, quod consulto fieri debuerat, si quis inconsulto maluerit, atque inconsiderate, nec qua oportebat prudentia gerere, C
id sciat in nouissimo die, tamquam culpa infectum congruenti pœna resarciendum, quam nos nec grauissimam semper, nec leuissimam futuram pronunciamus, sed qualem rei conditio postulabit. Idcirco monent sapienter Doctores: Ad quoscumque id pertinet, vt conscientiam suam in muneribus fungendis accurate examinantes, sibi ipsis, dum tempus est, caueant, & culpa carere nitantur.

Postremo si quis diceret Monarchiam, quæ ab vno pendet Principe, præstare Aristocratiæ, quæ plurium administratione nititur, hincq. licere argumentari, minus tutum esse multorum senten- D
tias adhibere, tum quia plerumque negotia varietate opinionum conturbantur, atque implicantur, tum etiam quia Principis dignitati detrahi videtur, si vrgeri illum dixerimus aliorum consilia exquirere, quasi ipse quid agendum sit, non videat, & propterea ab aliorum sententijs pendere debeat, quod indignum videtur.

Respondetur, in Monarcha sicut in Iudice, tria considerari, potestatem scilicet, sapientiam, & probitatem: [g] ex his autem formam quidem essentialem in potestate consistere, quæ penes vnum esse debet, tum propter vnitatis rationem, quæ alijs perfectior est,

tum

[a] Abb. cap. si quando, de rescrip. nu. 3. Ias. Barbarius, de off. prat. nu. 11

[b] c. statutum. §. assessorem, de rescript. in 6.

[c] Inno. c. cum speciali, de appell. Abb. c. vt debitus, de appellat. nu. 28. Franc. nu. 43. Io. And. in addit. ad Specul. lib. 2. par. 2. de requisit. cons. in verb. cõsilium.

[d] l. Barbarius, de offi. prat.

[e] l. 1 de vsucap. Abb. cap. quia plerique, de immun. Eccles. nu. 12. & seq. & in tract. de regul. pol. & for. reg. 40. & 49.

[f] S. Tho. 1. 2. q. 91. art. 4.

[g] S. Tho. in 3. par. q. 59. ar. 1 & in 2. 2. q. 60 art. 2. Plato in Gorgia post medium. Arist. pol. lib. 5. c. 9. Cic. i epist. ad Quintum Fratrem.

A tum propter pacem conseruandam, aliaq. plura commoda, quæ inde ad publicam vtilitatem manant; [a] reliquas vero duas partes esse veluti accidentia, quæ aliquando in alijs gubernationibus meliores inueniuntur, & ideo posse istas in Monarchia aliorum bonorum, & prudentum auxilio suppleri; cum potestas aliunde pendere nequaquam possit, cuius ratione Monarchia simpliciter, & absolute alijs gubernationibus præfertur: vnde, & Veteres a Consiliarijs Rectores distinxerunt. [b] Quapropter nos non dicimus eos, qui in consilium adhibentur, plus Principe sapere, aut
B illum ab eorum iudicio debere omnino pendere, sic enim illius auctoritas ei integra non relinqueretur, sed dicimus illorum esse Principi quid sentiant fideliter denunciare, Principis vero, quæ potior illorum sit sententia, discernere, & diffinire. [c] Tum sibi facile persuadere magnum veritatis argumentum ex eo existere, cum omnes inter se, aut certe quàmplurimi consenserint; quorum sententiam sequi, tantum abest, vt auctoritatem, aut prudentiæ opinionem imminuat, vt potius augeat; sapientis enim est, & veritatem propositam agnoscere, & ei libenter adhærere.

Ex his ita explicatis, quamuis dissolutio eorum, quæ initio quæstionis obiecta fuerunt, satis colligi posse videatur, adhuc ta-
C men sigillatim respondendo, dicimus, Primum non obstare, quo Principum celsitudo, atque eminens eorum status proponebatur, quasi indignum esset eos aliorum consilijs petendis subijcere; Nam respondetur, summæ eorum potestati nihil idcirco derogari, sed ampliorem potius materiam illis ministrari patefaciendæ eorum sapientiæ, dum auditis plurium sententijs, ipsi quid potius, vtiliusve futurum sit, ex ijs deligunt, vnde eorum constitutiones maiorem apud omnes existimationem, facilioremq, executionem nanciscuntur. Quapropter recte Alexander Seuerus ex consiliariorum suorum sententia, quam libere dici ab vnoquoque
D mandabat, propriam sententiam sæpius emendauit, Matriq. Mammææ obiectanti quòd ita imperium debilius, ac contemptibilius redderet, sapienter respondit: At securius, & diuturnius. [d] Quam optimam regendi imperij rationem a Lycurgo, [e] & alijs præclaris Imperatoribus [f] didicisse videtur.

Non etiam secundum, quo dicebatur, absurdum videri eos, qui regere alios debent, aliorum consilio indigere: quoniam sic viderentur potius regi, quàm regere; Nam respondetur, regendi rationem in potestatis, & iurisdictionis auctoritate consistere, quæ eò firmius, efficaciusq. exercetur, quo magis ea, quæ præcipiuntur,

rationi

a S.Thom. de regim. princip. lib. 1. cap. 2. et sequ.

b S.Tho. lib. 4. de regim. prin. c. 14. & 25.

c S.Tho. 2. 2. q. 49. art. 3. & q. 47. artic. 4. & 12.

d Lamprid. in eius vita.

e Plutar. in eius vita.

f Capitolin. & Dio in vita M. Antonini Philos. & Traian.

rationi sunt, atque æquitati consentanea. Ad hanc vero recti, A
honestiq. regulam obtinendam, dubium non est prudentum consilia plurimum conferre, quibus quidem consilijs non regitur Princeps vt imperatus, sed dirigitur, vt melius imperet.

NON etiam tertium, quo dicebatur, publicas res interdum silentio obtegendas esse: quoniam non negamus si quid tale accideret, quod nulli prorsus pandi oporteret, quin liceat illud tenebris taciturnitatis obuoluere: sed dicimus perraro huiusmodi casus vsu euenire, & nimium infelicem Principem illum censendum esse, qui saltem B
pauciores sibi fidos, & intimos non habeat, cum quibus rem tuto possit communicare. Vnde legimus Carthaginenses, Aetolos, atque alios ad huiusmodi pericula vitanda solitos fuisse, selectiores aliquot viros seorsum adhibere: quod sanctius Consilium vocabant.[a]

[a] Liu. lib. 31. 35. & 36.

PARS I. QVÆSTIO III.

An Summus Pontifex Cardinalium consilium, siue consensum in rebus arduis necessario requirere teneatur.

Hæc quæstio paulo fusius tractata fuit, quòd multa se hic explicanda obtulerunt, quæ ad consiliorum materiam pertinent, de quibus in alijs quæstionibus sæpe fit mentio. Complectitur autem octo præcipue capita, seu articulos:

I. *Quo sensu accipiatur plenitudo potestatis Papæ, & quid differat ab ordinaria. Itẽ quid differat consensus a cõsilio Cardinaliũ.*

II. *An Papa vtens potestate ordinaria in arduis consensum, aut consilium Cardinalium adhibere teneatur.*

III. *Quid, si vtatur plenitudine potestatis: an consensum exigere teneatur.*

IIII. *Quid de consilio. An Papa vtens plenitudine potestatis, teneatur necessariò illud requirere.*

V. *An a iure diuino deducatur, Papam ad petenda consilia teneri.*

VI. *An iure naturali, et Gẽtium ad idẽ obstrictum eße, demõstretur.*

VII. *Posito quod teneatur consilium requirere in arduis: An, si non requirat, actus ab eo gestus reddatur nullus.*

VIII. *An Papa, quando requirit consilium, & quod ei bonum, & salutare proponitur, teneatur illud sequi.*

ARTICVLVS I.

Quo sensu accipiatur plenitudo potestatis Papæ, & quid differat ab ordinaria. Item quid differat consensus á consilio Cardinalium.

A INSTITVTAE disputationis argumentum præsentem quæstionem a nobis quodam modo extorsit, a qua libenter nos abstinuissemus, quòd sanctæ Apostolicæ sedis, summiq. Pontificis Maiestatem silentio potiùs, ac reuerentia colendam esse censeamus. Attamen cum consiliarij nomen, de cuius munere acturi sumus, ex ijs verbis habeatur, quæ ad alterum dicuntur: siquidem Consiliarius nemo esse potest nisi alterius gratia, cui consilium dandum est; cumq. hæc duo inter se cohæreant, alterumq. ab altero quo- QVAEST. III.

dam modo pendeat, necessarium visum est, nonnulla prius, quæ A ad Papam spectant, quatenus Cardinales ad consultationem vocat, ab eisq. sententiam exquirit, obiter attingere.

Cvm igitur multiplicia illa sint, quæ ad sacrum eorum Collegium deferri solent, nobis in præsentia propositum est, omissis illis, quæ fidei dogmata attingunt, ea tantum generaliter complecti, quæ ad negotia Consistorialia spectare consueuerunt, an scilicet in rebus arduis decernendis, Cardinalium consensus, aut consilium a Papa necessario sit requirendum.

Nam tametsi materiam hanc a Doctoribus latissime, atque vberrime tractatam esse non ignoremus:[a] quoniam tamen multa adhuc B perdifficilia, ac controuersa ab eisdem relicta, aut non satis explicata fuerunt, existimauimus non alienum ab instituti nostri ratione futurum, si ea, quæ nobis hoc argumento probabilia videntur, in medium afferre curemus, non vt plus ceteris nos vidisse, aut inuenisse arbitremur, sed vt quæ permiste tradita, ac coaceruata ab alijs legimus, in clariorem saltem ordinem redacta, ijs, quibus vacauerit, animaduertenda, & sapietiorum iudicio diffinienda relinquamus.

[a] Felin. Dec. Bero. in rub de constit. nu. 42. & seq. Io. Monach. Gemin. Franc. c. super eo, de haret. in 6. Iacobac. de concil. lib. 7. artic. 5. nu. 117. Alban. de Cardin. quæst. 39. Barbac. cõs. 1. Vasqu. lib. 1. cõtrouers. ca. 23.

Antequam igitur disputationem ingrediamur, operæpretium duximus verba aliquot thematis propositi, quę ambiguitatem parere possent, tãquam terminos rei tractandæ sigillatim declarare.

Ac primum illud est, quòd cum Papa in Ecclesia summam C semper, & plenissimam habeat auctoritatem, cum tamen illam ad actus exteriores, atque ad certum vsum vult redigere, duplici modo hoc solet facere, videlicet exercens facultatem, quam ordinariam, aut facultatem, quam appellant absolutam. Vnde a Doctoribus duplex illius potestas vocatur: altera absoluta, altera ordinaria: quod tamen ad vsum potius potestatis, quàm ad propriam, & naturalem illius vim refertur, quæ semper intrinsecus est plenissima. Ad hunc igitur vsum tam absolutæ, quàm ordinariæ potestatis dignoscendum, & quatenus hæc inter se differant, dispiciendum, illud præmonere Doctores solent, hanc scilicet auctoritatem, quæ D absoluta, seu plenitudo potestatis vocatnr, tripliciter considerari posse.[b] Primo, simpliciter & absolute, & de hac in præsenti non agimus, quippe quæ non Papæ, sed soli Deo competit, qui vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt: & cui voluisse fecisse est, vnde omnipotens dicitur.[c] Secundo, prout Christus eam habuit in terris, in quo erat humanitas hypostatice verbo vnita, & hæc etiam plenitudo non tribuitur Papæ, quamuis Christi vicem in terris gerat: nam multa sunt, quæ peculiariter Christo Domino reseruata fuerunt,

[b] Aegid. de potest. Papæ p. 3. c. 8. 9. & sequ. Rom. 4.

[c] S. Thom. 1. par. q. 25. ar. 3

A runt, qualia illa sunt, quæ vocantur excellentiæ, prout fuit institutio sacramentorum, & alia huiusmodi. [a] Tertio, potest hæc plenitudo considerari tamquam ea, quæ fuit B. Petro ratione vniuersalis Ecclesiæ communicata, siue ordinis, siue iurisdictionis: & hanc plenitudinem dicunt Doctores ad Papam pertinere, non solum quia quod omnibus & singulis Prælatis in Ecclesia Dei concessum est, id solus Papa potest, sed etiam quia amplius quàm illi omnes, & singuli possunt, ipse vnus potest, eo exemplo vtentes, quòd quemadmodum Deus potuit statuere leges naturalibus rebus, vt B iuxta eas operarentur, potest tamen idem Deus præter leges naturæ ex propria virtute sua agere, quod miraculum vocari solet: sic in Ecclesia spectat ad summum Pontificem condere leges morales, & præscribere ius omnibus personis Ecclesiasticis, & toti Ecclesiæ, idem tamen non semper tenetur seruare huiusmodi leges, sed potest agere præter illas. Quando igitur Papa ea vult obseruare, quæ suis legibus continentur, tunc dicitur vti potestate ordinaria. Quando vero aliquid vult exequi supra id, quod legibus constitutum est, tunc dicitur plenitudinem potestatis exercere.

Post hæc, quoniam in quæstione proposita agitur de consensu; siue consilio Cardinalium adhibendo, declarandum hic primo videretur, quid differat consensus a consilio. Verum quoniam C vtrumque ex his verbis varie accipi solet, aliter a Theologis, aliter a Philosophis, & aliter a iuris Doctoribus; [b] ideo nos, omissa multiplici eorum distinctione, & declaratione, [c] quæ ad rem nostram in præsentia non pertinet, sufficere nobis censuimus, de his eo ipso sensu agere, quo iuris Doctores vtuntur, huiusmodi quæstiones in Commentarijs suis tractantes. Illi enim quærunt, quando lex consensum, aut consilium alterius in aliquo actu requirit (prout & nos hic quærimus) quomodo hæc verba sint accipienda. Et videmus eos hæc vocabula potius ab effectibus quibusdam denominare, & distinguere, quàm ab ipsorum propria vi, & natura. D Vnde appellare solent consensum eam voluntatis significationem, & approbationem, quæ quando a lege requiritur, necessaria est omnino ad actus validitatem; [d] Et ideo siue in actu ipso, siue etiam post ipsum, potest interponi, [e] modo constet illum, qui consentire debet, in eo, de quo agitur, conuenire & concordem esse.

At vero consilium dixerunt esse aliquid faciendi, non faciendive excogitatam rationem, [f] siue inquisitionem quandam alterius sententiæ, quam lex præcipit explorari. Sed quia hoc ad multiplices effectus referri potest, ideo non idem de omni consilio

B 2 respon-

a August. de Ancon. q. 58. art. 1. & 2.

b Sum. Tabie. verb. consilium nu. 1. & ver. consensus.

c Greg. Nyss. siue Nemesius. lib. 5. cap. 5. de philos. & Damasc. lib. 2. de fide orthodox. c. 22. S. Thom. 1. 2. q. 14. et q. 15. & 2. 2. q. 52. & q. 17. artic. 3. ad 2. Arist. 3. Ethic. cap. 3.

d Glo. c. 1. §. fi. ne sed. vac. in 6. & in c. si pro te, verb. assensu, de rescript. in 6.

e Abb. cap. 1. de his quæ fiũt a Præl. num. 3. & c. cum in veteri, de elect. num. 12.

f Cic. de inuẽ. lib. 2.

responderunt, sed aliud appellauerunt consilium necessitatis, quod A oritur ex rei natura, quæ obligat in foro conscientiæ.[a] Aliud dixerunt reuerentiæ, cui ob maiorum reuerentiam est obediendum.[b] Aliud auxilij, quod requiritur ad personæ imbecillitatem subleuandam, prout quando impuberi adiungitur consilium tutoris.[c] Aliud officij, veluti cum Prælato datur coadiutor, sine cuius consilio nihil fiat.[d] Aliud perfectionis, prout sunt consilia Euangelica.[e] Aliud præparationis, quod requirit animum hominis esse paratum ad id perficiendum, si vsus veniat.[f] Sic & alijs modis, qui licet ad consilij materiam secundum Canones pertineant, vere tamen disputationi nostræ non congruunt, cum consilium in re proposita in eo B tantum sensu accipiatur, quod proprium, & regulare solet esse huius nominis, videlicet pro exploratione, & scrutatione iudicij, ac sententiæ alienæ in vtilitatem illius qui consilium petit: vnde consilium vtilitatis dici solet, quod, quando a iure præcipitur, exquiri debet antequàm actus ipse conficiatur, cum hæc consilij sit natura, vt actum gerendum præcedat;[g] licet petentem non obliget, vt illud postea sequi teneatur, si præcise in ratione sola consilij confideretur:[h] siquidem non ponitur consilium inter proprios actus legis, cuius est præcipere, sed ponitur inter ea, quæ suadent tantum, & priuatis competunt;[i] lex tamen quando mandat illud adhiberi, idcirco C vult antea exquiri, quia posset is, de cuius re agitur, aliquid audire, vnde adduceretur ad id faciendum, quod alias non fecisset:[k] quando quidem a pluribus veritas facilius, quàm a paucis inuenitur:[l] si tamen, accepto consilio, is, qui petijt, id nõ probet, liberũ est ei id non acceptare, cum consilium voluntatis esse dicatur,[m] & inuito beneficium non conferatur.[n] Hoc tamen ijdem Doctores affirmant non omnino perpetuum esse, cum aliquando hæc duo verba consensus, & consilium ex subiecta materia varientur, & confundantur.[o]

RVRSVS & illud hic se offert declarandum, quæ sint illa, quæ consensum, & quæ consilium requirere soleant. Verum cum hoc D varie a Doctoribus explicetur,[p] nobis in præsenti subtilius id examinare necesse visum non fuit, cum ex ijs, quæ a Doctoribus traduntur,[q] colligere satis sit, vt plurimum in rebus leuioribus nullum nec consilium nec consensum, in grauioribus consilium,[r] in longe grauioribus etiam consensum adijciendum esse.[f]

AMPLIVS & illud declarandnm esset, quæ sint illa ardua, de quibus

a c. Matthæus. in fi. de simon. cũ glo. in verb. consulis.
b c. ad aures, de ætat. et qual. cum glo. 1 verb. consilio.
Clem. 1. cũ glo. in fi. de testib.
c l. impuberib. ff. de suspe tut.
d c. venerabilis, de offi. deleg. cum glo.
e c. integritas, 32. q. 1.
f S. Tho. 1. 2. q. 108. ar. 4. ad 4. et 2. 2. q. 124 art. 3. ad 1.
g Glos. c. cum olim. de arbitr. vbi Abb. nu. 4.
h Bar. l. 1. §. si plures. de exer. nu. 3. et Dec. in c. si pro debilitate. nu. 52. et 57. de of. deleg.
i S. Tho. 1. 2. q. 92. ar. 2. ad 2
k l. si intres. ff. de arbit. c. fin. de arbitr. in 6.
l c. de quibus. 20. distin.
m c. quisquis. §. quod præcipitur. 14. q. 1.
n l. inuito. de reg. iur.
o Ab. d. c. cũ oli nu. 4. et Butr. nu. 15. de arbit.
p Glo. c. cũ nos, de his, quæ fi. a Præl. Abb. c. nouit, eo. ti. nu. 6.
q In cap. 1. de excess. Præl. & in cap. irrefragabili, de offic. ord. Albertin. de hæret. assert. q. 26.
r cap. fin. de dilat.
f Gabr. lib. 7. comm. opin. de criminal. conclus. 36. nu. 3. & seq.

A quibus in præsentia agimus, Verum notum est non posse ista certa regula comprehendi, cum suos gradus habere soleant pro re, tempore, & loco dijudicandos: & ideo receptum communiter est, hæc omnia arbitrio boni, & sapientis viri esse æstimanda.[a]

ARTICVLVS II.

An Papa vtens potestate ordinaria, teneatur in arduis consensum, aut consilium Cardinalium adhibere.

B HIs ita præmissis, nunc vt ad rem accedamus. Quærimus primo loco, an Papa vtens potestate ordinaria, teneatur in arduis consensum, vel consilium Cardinalium pro rerum qualitate adhibere. Quod vt clarius percipi possit, proponimus exemplum Episcopi erga suos Canonicos, & Capitulum. Nam quemadmodum secundum rerum varietatem, quæ decernendæ sunt, tenetur Episcopus iure communi eorum consilium, & quandoque consensum adhibere,[b] sic etiam, cum instituti sint Cardinales tamquam consiliarij, & coadiutores Papæ, & eorum Collegium

C Senatus Ecclesiæ vocari soleat,[c] quærimus nunc, an Episcopi exemplo debeat Papa vtens ordinaria potestate eorum consilium, siue consensum pro rerum conditione, & grauitate requirere.

AC dubium illud primo facit, quòd cum Papa sit vertex totius Ecclesiæ, & caput omnium Episcoporum, & Prælatorum, Pastorq. vniuersi orbis, & a quo alij Episcopi creantur, absurdum videtur, (licet velit ordinaria potestate vti) eum quodam modo in ordinem aliorum redigere, ita vt æqualis cæteris Episcopis esse videatur, qui eorum semper superior, & caput est: & ideo æquum non videtur, cogi illum exemplo Prælatorum inferiorum, consensum, aut consilium Cardinalium adhibere.

D SECVNDO, quia cum Papa summo loco sedeat, & plurimum videat, ac superno etiam lumine adiuuari existimetur; propterea aliorum est ad eum in rebus dubijs recurrere, non autem illius, vt ad alios confugiat, & aliorum consilia exposcat.

TERTIO, quia quamuis Cardinales pars corporis Papæ aliquando vocentur, verius tamen est, illos proprie non vnum corpus cum Papa constituere,[d] cum Collegium Cardinalium non assistat Papæ per modum limitationis potestatis illius, sed instar ministerij.[e] Siquidem Papa auctoritatem suam integram a Deo habet in se vno positam, Collegium vero est tamquam ei ministrans, & communi

[a] *Abb. cap. ad hæc. num. 1. de offi. Archid. & Dec. cap. si pro debilitate. de offic. deleg. nu. 39*

[b] *Toto tit. de his quæ fiunt a Prælat.*

[c] *c. Ecclesia. 16. q. 1.*

[d] *Bellamer. et Prapos. c. in synodo. 63. dist. Gigas de crim. læsæ maiest. tit. qualiter; & a quib. q. 5. nu. 9*

[e] *Aug. de Ancon. q. 6. art. 5. ad 2. S. Antonin. par. 3. tit. 22. c. 5. §. 1.*

deseruiens Ecclesiæ vtilitati,[a] ideo non est par ratio inter Canonicorum Capitulum, & Collegium Cardinalium. A

VERVM in hoc primo capite contrarium respondendum esse omnino videtur, ex ratione illa, quam nuper attigimus, declarantes quomodo ordinaria potestas Papæ ab eiusdem absoluta secernatur: Diximus siquidem, quòd quemadmodum omnipotens Deus, in quo est absolutissima potestas, dicitur tunc ordinario modo operari, quando per causas secundas tamquam per instrumenta sua consueta res disponit, sic vsus ordinariæ potestatis in Papa nihil aliud censetur, quàm id exercere, quod Canones, decreta, & constitutiones iuris declararunt: quod Innocentius III. varijs in locis B indicauit, dicens:[b] *Volentes tamen iuris ordinem obseruare*. Et ibi: *Quantum de iure possumus, procedemus*. Et alibi:[c] *Quia tamen nolumus a iuris tramite declinare.* Et rursus:[d] *Volentes tam rationes, quàm Canones obseruare*. Et Innocentius IIII. in Concilio Lugdunensi dum ait:[e] *Vt in eum, quantum de iure poterit, procedatur*. Et paulo superius: *Iis, quæ in appellationibus antiquitas statuit, non mutatis*. Vnde & vox illa Imperatoria adeo celebris est, & summo vere digna Principe, quod quamuis legibus solutus sit, vult tamen viuere secundum leges.[f] Cum igitur vetere instituto, & communi obseruatione, cuius initij memoria non extat, receptum fuerit, C vt Papa cum Cardinalium consilio res Ecclesiæ administret, idq. lege Canonica, ac perpetuo summorum Pontificum vsu, prout Auctorum monumenta testantur, fuerit probatum,[g] idcirco, vt ordinario iure dicatur res agere, necesse est, vt actiones suas iuxta leges iam constitutas, consuetumq. morem exerceat, in ijsq. ex solito legum cursu, vna cum Cardinalibus progrediatur. Nam & a Doctoribus communiter receptum illud est, non censeri Papam in dubio vti plenitudine potestatis tamquam extraordinario quodam iure, nisi id specialiter exprimat.[h]

HINC legimus in multis constitutionibus, quæ passim occurrunt, eas de consilio,[i] & assensu fratrum factas fuisse.[k] Quod D quidem non sine magna ratione olim dicitur ita institutum. Nam cum hæc, de quibus agimus, ardua appellentur, quæ ostendunt res valde esse difficiles, & implicitas obscuritate, & in quibus etiam ipse intellectus Papæ iustam habet causam subsistendi, merito censetur aliorum præsidio indigere: quandoquidem eiusmodi sunt, quæ non arte, neque certa constant demonstratione, & facti plerumque controuersiam patiuntur, in quo tum propter multiplices, fortuitasq. circumstantias, tum fallaces attestationes sæpe veritas

a Baisius di-
rect. elect. 2.
par. c. 35. n. 6.
et 11. Iac. bac.
de conc. lib. 1.
nu. 119. et lib.
7. ar. 5. n. 282.
b c. cum dile-
cti. de dol. &
contumac.
c c. licet cau-
sam, de proba.
d c. cum nobis
ols. in fi. de ele.
e cap. cordi. de
appell. in 6.
f l. digna vox.
C. de leg.
g Concil. Con-
stätien. sess. 39.
in rub. ne præ-
lati. Alphons.
de Soto tract.
de Card. q. 15.
& 16. Host. c.
ad liberandũ.
de Iudæ. Bal. l.
cũ multa. C. de
bon. quæ lib.
h Innoc. c. in-
notuit. de elec.
Fel. c. 1. de con-
stit. nu. 27. &
in cap. causam
quæ. 2. de test.
in 3. notab.
i c. ad Aposto-
licæ. de re iud.
in 6. cap. 1. de
scism. in 6. Cle
men. ne Roma-
ni, & Clem. ple
risque. de elect.
c. licet. c. Ec-
clesia. 2 de ele.
k c. 1 de renũ.
in 6. c. cũ inter.
de consu. & in
lib. cerim. fol.
132. 173. 195.
& simu.

A ritas inuoluitur; [a] Vnde ipse etiam Papa, qui humana circumdatus est infirmitate interdum labi potest. [b] Propterea cum in ijs multa cautione, circumspectione, solicitudine, ac vigilantia opus sit, [c] quæ quidem ab vno tantum præstari nequeunt, & multo magis in Christianæ Reipublicæ administratione huic necessitati prospici necesse sit, cum Apostolicæ sedis decreta, vt ait sanctus Gregorius, [d] magna semper cum moderatione, ac deliberationis grauitate proferri oporteat. Idcirco præter alias rationes, quibus institutus fuit amplissimus Cardinalium ordo, hæc maxime opportuna visa fuit, vt Papa ipse tot lectissimis, probatissimisq. Consi-
B liarijs circumseptus, totidem veluti oculos, aures, manusq. sibi adiunctos haberet, ex quibus sacer illorum Senatus tamquam vnum corpus summo Pontifici vbique præsto esset, [e] paratusq. ei semper, atque ante oculos positus, ne aliunde subsidia ad res deliberandas accersere cogeretur.

HIS positis, non obstant quæ supra repugnare videbantur. Non primum, quoniam hoc non est illum in ordinem aliorum redigere: ipse enim sponte se ipsum redigit, volens actiones suas ex iure communi, & legibus Canonicis dirigere, cum supersit ei altera potestas absoluta, quæ alijs non conceditur.

C Non obstat secundum, quia, quo Papa plus alijs videt, eo plus sibi ipsi diffidit, cum scriptum sit: [f] *Sapiens timet, & declinat.* [g] Et: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et eo magis appetit aliorum auscultare sermones, vnde legitur: [h] *Audiens sapiens, sapientior erit.* [i] Et: *Si attenderis mihi, disces.* Et: *Si dilexeris audire, sapiens eris.* Hinc ait sanctus Bernardus: [k] *Omnis sensus illis deest, qui sibi nihil deesse putant.* Et sanctus Augustinus: [l] *Vbi dixisti, meus sensus sufficit mihi, ibi defecisti: vbi tuo consilio placuisti, ibi perijsti:* Sic & Episcopos, licet præstare cognitione alijs, qui in Clero sunt, præsumantur, Canones adegerunt, vt cum Capitulo res communicarent,
D siquidem ibi: [m] *Salus, vbi multa consilia.*

NON obstat tertium, quoniam non dicimus Cardinales esse partem corporis Papæ, quo ad ipsam potestatem, quæ a solo Deo dependet, & vni Papæ fuit collata, verum censeri partem, & tamquam membra corpori illius vnita quo ad executionem potestatis, siquidem adhærent illi vt coadiutores in executione, atque Ecclesiæ gubernatione. [n]

a cap. a nobis. il 2. de senten. excom. cap. ex litteris. de in integ. restit.
b cap. si Papa 40. dist.
c S.Tho. 2.2. q.49. art.3. & sequ. S. Antonin. par. 1. tit. 4. cap. 8. §. 1.
d cap. Apostolica, 35. q. 9.
e cap. fundamēta, §. decet. de elect. in 6.
f Prou. 14.
g Prou. 3.
h Prou. 1.
i Eccli. 6.
k Lib. 2. de cōsiderat. ad Eugen.
l De Ciu. Dei lib. 14. c. 13. & in Psalm. 122. & S. Leo ser. 9. de Natiu.
m Prou. 11.
n d. c. fundamēta. §. decet. de elect. in 6. Iacobac. de cōcil. art. 5. num. 282. lib. 7.

A

ARTICVLVS III.

Quid, si vtatur plenitudine potestatis: An consensum exigere teneatur.

NVNC ad secundum caput accedendum est, quo de potestate illius absoluta agitur, in quo cardo difficultatis præcipue vertitur, præsertim propter varias Doctorum sententias. Sunt enim multi qui sentiunt, Papæ, quando hanc liberam potestatem vult exercere, nullum nec consensum, nec consilium alterius esse necessarium. Siquidem cum hæc petitio iure positiuo fuerit introducta, & Papa plenitudine potestatis vtens, sit ab omni Pontificia, & humana lege solutus, [a] cum par in parem non habeat imperium: ideo clarum dicunt esse, id totum, quod ab eo deliberandum est, a mera, & libera illius voluntate, quæ solum Dei, & naturæ legibus subiecta est, pendere, cum alioquin liberum id minime dicatur, quod alterius robur expectat. [b] Et præsertim, quia cum vnum debeat esse caput in Ecclesia Dei, [c] & primatus fuerit iure diuino institutus, qui vnius tantum personæ fastigio niteretur, [d] iam non esset vnum caput, si aliorum voluntas, & auctoritas in rebus decernendis esset necessaria, sed essent quodammodo plura capita: quod valde absurdum esset. Quibus etiam accedit, quod cum Ecclesia militans fuerit instituta ad instar triumphantis, [e] sicut in triumphanti vnus est Deus, cui omnia obediunt; sic in militanti vnus debet esse omnium Pastor, & Rector, & qui Christi, non autem puri hominis vices in terris gerat. B C

a c. proposuit. de conc. prab. c. decreto, 2. q. 6. c. ad honorē. de auct. & vsu pall.
b Glo. in Clement. dudum. §. si vero. verb. libere. de sepul.
c c. in apibus. 7. q. 1.
d Extrauag. vnam sanctā.
e c. Deus omnipotēs. 2. q. 1.

RVRSVS sunt alij, qui ex vna parte videntes necessariam fuisse in Ecclesia Dei hanc potestatis plenitudinem propter accidentia multa, quibus iuris communis prouisio sufficere minime potest: ex altera vero prospicientes magna pericula Christiano orbi imminere posse, si quando summi Pontifices hac potestate abuterentur, ideo dixerunt ad hanc plenitudinem non nisi in extremis admodum rebus tamquam ad sacram anchoram confugiendum esse, cum & Canones raro admodum huius plenitudinis mentionem faciant. Vnde sicuti Deus ipse omnipotens, cuius potestati omnia sunt ex æquo subiecta, seruat tamen fere semper communem rerum ordinem, & naturam, nec miracula facit nisi in rebus admodum necessarijs; sic aiunt, debere Papam hanc plenitudinem potestatis tamquam extraordinarium quoddam remedium, non nisi D

propter

A propter summam Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem exercere.[a]

ALII dixerunt, quòd cum in vniuersali Papæ administratione salus populi sibi commissi sit tamquam finis, officium vero sit, vt omnia fiant ad ædificationem; propterea non tam spectandum esse Papæ quid possit, sed quid debeat, dicente Apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*;[b] ideo aiunt, quòd quamuis hæc plenitudo Papæ non sit deneganda, decere tamen maxime, atque honestum esse, vt ille negotia grauia cum Cardinalibus communicet, eosq. libenter audiat.[c]

ALII tradiderunt, hanc potestatis plenitudinem ad spiritualia tantum pertinere, non autem ad temporalia bona Ecclesiæ,[d] B siue vt alij interpretati sunt, summo Pontifici nullam temporalem potestatem competere directe, sed indirecte tantum, videlicet in ordine ad bonum spirituale;[e] & ideo in rebus temporalibus, & sæcularibus Ecclesiæ ditioni commissis, non posse eum absque eiusdem Ecclesiæ consilio, & consensu pro arbitratu suo de illis statuere, quidquid de spiritualibus sit sentiendum, quorum administratio ei pleno iure est permissa.

SUNT denique alij, qui respondent, quòd quoties Papa hac plenitudine potestatis vtitur, non ad Ecclesiæ vtilitatem prout oportet, valet quidem quod ab eo gestum est propter summam illius C auctoritatem, quæ a nemine iudicari potest,[f] sed tamen grauiter ipse in foro conscientiæ peccabit, ac Deo rationem huius potestatis, qua abusus est, reddere tenebitur, cum non pugnent inter se, quòd actus quandoque valeat, & tamen, qui illum exercet, grauiter delinquat.[g]

IN tanta igitur opinionum varietate, ac rei ipsius grauitate, aliquid omnino certum affirmare, difficile admodum esse videmus. Verum (quod in alijs disputationibus accidere sæpe solet) vt concinna aliqua distinctione diuersæ opiniones facile componantur: sic existimamus nos in præsenti quæstione ea, quæ con- D trouersa valde videntur, non incommode conciliari posse, si ea, quæ proponuntur, aliter, cum de consensu loquimur, aliter, cum de consilio agimus, accipienda esse ostendemus.

NAM quod ad consensum attinet, probatione non indiget, Cardinalium, aut aliorum consensum in rebus Consistorialibus definiendis nullatenus necessarium esse.[h] Quandoquidem cum Primatus in Ecclesia Dei fuerit institutus, non solum vt Ecclesia militans in eius administratione cum triumphante, quæ vnum habet Deum omnia decernentem, congrueret, sed etiam quia status

Monar-

a Aegid. in tract. de potesta. Papæ. p. 3. c. 12. & sequ.

b 1. Cor. 6.

c Phil. & Probus c. super eo. de hæret. in 6. nu. 11. & 36. Abb. cap. 2. de cler. non resid.

d Caiet. in 2. 2. q. 43. art. 8. & de auctorit. summi Pontif. c. 9. in respons. ad 1.

e Idem Caiet. 2. 2. q. 100. ar. 7. & Doct. relati a Bellarmin. to. 1. controuers. lib. 5. de potest. Pont. c. 1. et c. 4. et 6.

f c. cuncta per mundũ. 9. q. 3.

g Glo. Abb. c. non est. de vot. Inno. c. cum ad monasteriũ. de statu monach. Præpos. c. 1. Episcopũ, vel Abbatem.

h Alphons. de Sot. in cõment. Conc. Constantien. verb. collaterales pag. 9

Monarchicus omnium perfectissimus habetur,[a] & quo magis res ad vnitatem rediguntur, eo præstantiores, & solidiores iudicantur.[b] Propterea quando Papa hanc summam suam auctoritatem in ijs rebus, quas publicæ vtilitati necessarias esse iudicat, sibi vten dam esse proponit, dubium nihil esse videtur, eum ad vllius consensum sibi adiungendum nullo modo astringi. Nam cum consensus necessitatem includat illius amplectendi, vt supra diximus; si concederemus eum requiri, sequeretur quòd auctoritas Papæ hoc casu non esset libera, & absoluta, sed duo, vt dicunt, auctorizantes, nec vnus esset Primatus vere, neque vnum caput, sed duo capita, quando aliorum quoque voluntates ad res decernendas essent necessariæ: quod quidem absurdissimum esset.[c] Præterea hoc summæ illi, atque absolutæ potestati detraheret, quæ Papæ vt Christi Vicario competit: & amplius receptam illam magno Doctorum consensu sententiam infirmaret, quæ astruit, summo Pontifici plenissimam in administratione rerum Ecclesiæ potestatem deferendam esse:[d] Ac denique rebus publicis magno posset ea opinio esse detrimento, si quando fortasse nollent Cardinales Papæ deliberationi consentire, vt omnibus satis patet. A B

a Extrauag. vnam sanctã. & S.Thom. de regim. princip. lib. 1. c. 2.

b Aegid. de regim. prin. li. 3. par. 2. cap. 3. S. Dionys. vlti. cap. de diu. nomin.

c c. quoniã in plerisque. §. prohibemus. de offic. ordin. Iacobac. lib. 7. de conc. ar. 5. nu. 186. 189. 194

d S.Tho. 2.2. q. 160. art. 1. ad 3. Innoc. c. nouerint. de sẽten. excommu. Aug. de Ancon. de potest. Papa. q. 1. art. 1. & 8. Siluest. verb. Papa. n. 2. cũ alijs apud Nauar. de spo. cler. § 9. nu. 2. 4. & §. 10. & Rodoan. de rebus Eccles. non alien. q. 44. & 45.

ARTICVLVS IIII. C

Quid de consilio? An Papa vtens plenitudine potestatis, teneatur necessario illud requirere.

QVÒD vero ad consilium spectat, maior vtique hic ambiguitas versari potest, an Papa scilicet in arduis rebus id requirere teneatur. Ex vna enim parte occurrit primo quòd cum suprema potestas Papæ fuerit a Deo eidem tamquam illius Vicario attributa, non debet esse illa vllis humanis legibus astricta, & proinde nec petendis aliquorum consilijs subiecta, quæ a legum necessitate oriuntur, alioquin nec absoluta, nec plenissima hæc auctoritas diceretur, si aliquid extrinsecus expectandum esset. Et si Princeps sæcularis legibus solutus esse dicitur,[e] quanto magis id supremo omnium Monarchæ, diuinamq. auctoritatem referenti congruere debet? D

e l. Princeps. ff. de l. g.

SECVNDO, quoniam hæc potestas, cum iuris publici causam ac patrocinium respiciat, non potest ipse summus Pontifex illi renunciare, aut quidquam de illius iure imminuere, cum hoc in

eius

A eius manu nequaquam ſit, [a] ex quo oritur, quod conuentionibus illis, quæ aliquando inter Cardinales ſede vacante olim iniri ſolebant, quæ Capitula Conclauis appellabantur, minime nouum Pontificem comprehendi, reſponſum fuit, quia non poteſt publica ſummi Pontificis poteſtas priuatis vllis pactionibus reſtringi, aut impediri, [b] multo ergo minus cogendus ille erit ad conſilia petenda, quæ imbecillitatem petentis arguunt, & ſupremæ illius auctoritatis imminutionem.

TERTIO, quia tum Canones, tum Doctores de hac materia loquentes, videntur hanc neceſſitatem excludere, cum dicant tan-
B tum decere Papam, & honeſtum eſſe illum conſilia Cardinalium adhibere, non autem illum omnino ad id compelli. [c]

Ex altera vero parte, quòd immo Papa res arduas ad ſapientum hominum conſultationem, inter quos primum locum Cardinales obtinere ſolent, deferre teneatur, multa proponi ſolent, ſed illud in primis, quòd cum ea ſit vis propria, & natura conſiliorum, vt ea inuitus ſequi nemo teneatur, licet etiam maior pars Collegij aliter ſentiret, [d] non occurrit ſolida vlla ratio, propter quam non debeat Papa libenter eorum ſententias auſcultare, ex quibus incommodi nihil, ſed adiumenti plurimum poſſit deriuare. Nam inter
C alias cauſas, quæ ſuadent omnibus omnino hominibus, quicumque mortalem hanc vitam degunt, mutua conſilia eſſe neceſſaria, quas ſupra attigimus, [e] illa præcipua eſt, quòd Papa quamuis in altiſſimo ſolio poſitus, humana tamen circumuentus imbecillitate, [f] debet ijs maxime gaudere præſidijs, quibus illius intellectus magis poſſit illuſtrari, & facilior ei aditus ad res diſquirendas, ac dijudicandas aperiri, ſalua ei ſemper, atque integra manente præcipiendi, atque exequendi poteſtate. Sicut enim manus in digitos diſtributio, eius nec robur, nec decus imminuit, ſed illius vſum expeditiorem, atque vtiliorem reddit, cum ſemper ab eius pendeat imperio illos huc, vel
D illuc deflectere: ſic Papa auditis conſilijs, poteſt ea tamquam digitos in manu comprimere, aut ſi placeat alicui operi vtiliter admouere.

HIS igitur rationibus vtrimque propoſitis, quæ inuicem pugnare videntur, occurrit nobis non incongrua forte diſtinctio, ex qua difficultates omnes ſuperari poſſe exiſtimamus. Ea autem eſt, vt iudicemus, quandocumque ex hac conſilij petitione publica res poſſit incommodari, tunc minime Papam ijs petendis eſſe adſtrictum: quando vero nullum damnum publice ſequi poſſet, ſecus eſſe dicendum.

AC priorem quidem partem ea ratione potiſſimum probari aſſerimus,

a c. ſi diligēti. de foro comp. Alex. cōſ. 224. nu. 1 in 6. Vaſqu. controuerſ. illuſt. li. 1. c. 26 num. 17. Aug. de Anc. q. 61. art. 3. ad 3.

b Abb. c. ſicut noſtris num. 1. de iureiur. Fel. c. 1. num. 7. de prob. Martin. Lauden. tract. de Card. q. 33. Burſat. conſ. 1. in 4. volum.

c c. fundamēta. §. decet. vbi glo. de elect. in 6. & gloſ. in c. ad Apoſtolica. de re iud. in 6. Ioan. Monac. c. ſuper eo. de heret. in 6. Fel. Dec. Bero. in rub. de conſtit.

d Bal. l. 1. q. 6. de offic. conſul. Fel. c. cum omnes. de conſtit. in 10. limit.

e diximus in quæſt. 1.

f c. preterea. 23. diſt. cap. ſi quādo. in fi. de reſcript. c. tum ex litteris. de in integ. reſtit. c. ſententiā. 35. q. 9. Tiraquel. de nobil. c. 31. nu. 537.

ferimus, quòd cum hæc summa potestas fuerit Papæ diuinitus attributa, vt eo tutius, ac salubrius Christianæ Reipublicæ prospiceret, ita vt nullis vinculis, aut repagulis extrinsecus esset impediendus,[a] ex quibus publica vtilitas possit retardari. Idcirco ferendum non esse dicimus, vt quoties consiliorum petitio possit eius finem, aut studium iuuandæ Reipublicæ perturbare, ille tunc istis consilijs exquirendis sit subiectus. Exempli causa, quando eiusmodi negotium verteretur, quod secreto admodum esset tractandum propter insigne aliquod periculum, quod immineret, si res detegeretur: ac veluti etiam, si negotium illud nullam moram pateretur, nec tempus daretur Consistorium conuocandi, aut singulorum Cardinalium, vel aliorum prudentum consilia exquirendi; siue si qui alij casus similes emergerent, quibus Papa boni publici causa suaderetur, ne Consistorium conuocaret, aut alios rerum vsu, ac iudicio præstantes accerseret. A B

AT vero vbi nulla esset suspicio, aliquid incommodi ex hac consiliorum petitione in publicam rem redundare posse, nulla tunc subesse ratio videtur, cur ille non debeat, ac teneatur prudentum aliquorum sententias, & vt moris est, Cardinalium explorare, cum hæc consilia non in detrimentum, sed in præsidium, ac robur Pontificiæ dignitatis fuerint instituta: quod autem prodesse potest, minimeq. nocere, euidens est a sapientibus viris semper amplectendum esse. C

HOC igitur casu, quando nullum prorsus rebus publicis incommodum sequi possit, quòd tunc Papa, licet plenitudinem potestatis velit exercere, teneatur tamen consilium in rebus arduis requirere, adeo rationi necessitati, publicoq. bono consentaneum multis esse videtur,[b] vt hoc non tantum cum generali iuris naturalis, & gentium obligatione coniunctum esse, sed etiam a iuris diuini, nobis veteri, ac noua lege positi primordijs quodam modo pendere existimarint. Quod quoniam nimis nouum, atque insolens aliquorum auribus videri posset, audientibus Papam plenitudine auctoritatis vtentem, adhuc tamen compelli ad aliorum consilia confugere: ideo paulo diligentius tractandum censuimus, vt saltem ceteri, auditis vtrimque rationibus, possint de re tota certius pronunciare. D

a c. nemini. 17. q. 4. c. ita Dominus, 19. distin.

b Lud. Rom. sit. vlt. post cons. nu. 12. & 18. Alex. cons. 224. in 6. Host. c. ad liberãdum. de Iudæis. Bald. l. cum multa. C. de bon. quæ lib. Alpons. de Sot. in trac. de cardin. q. 15. & 16. & in comment. Conc. Constantien. verb. (cum summo Pontifici.) et in verb. (collaterales.) & in verb. (maiorem partem.)

A

ARTICVLVS V.

An a iure diuino deducatur, Papam ad petenda consilia teneri.

QVAPROPTER de iuris diuini obligatione primum agentes, illud præfamur, videri aliquibus nullum ex sacris litteris locum existere, quo Papæ præcipiatur, vt in rebus decernendis aliorum consilium adhibere cogatur; immo cum hæc necessitas petendi consilij nullis Regibus, Principibus, Magistratibus, Iudicibus, alijsve huiusmodi præstantibus viris iniuncta esse reperiatur, nec vmquam auditum fuerit, eorum sanctiones, decreta, & deliberationes hoc nomine damnari, quòd scilicet non præcedente aliorum consilio habita fuerint, durum videtur, Papam, qui omnium eximius, sanctissimus, & sapientissimus est, his cancellis circumscribi, atque angustijs concludi.

B

VERVM quoniam, vt in Ethicis dicitur, [a] non in omni re est certa eadem demonstratio quærenda, sed sufficiunt probabilia interdum in quibusdam argumenta, [b] ideo in hac materia paulo obscuriore minime prætermittendum putauimus, quin ad pleniorem eius excussionem, aliorum etiam, qui ab his diuersum responderunt, sententiam referremus.

C

a Ethic. 1. c. 3. & 7.
b S.Tho. 2.2. q.70. art. 2. in corp.

NON enim defuerunt qui tradiderint ex iure diuino scripto deduci posse, Papam in rebus arduis debere prudentum virorum consilia explorare: quo posito, id sequi ex eodem iure dixerunt, primum locum in his inter ceteros sapientes Cardinalibus esse deferendum.

PRIMVM illud ex varijs sacrarum litterarum auctoritatibus ostendi dixerunt, quibus omnes homines, nemine excepto, ad consilia capienda monentur, & excitantur, quale illud est: *Fili sine consilio nihil facias.* [c] Et illud: *Erit salus, vbi multa consilia sunt.* [d] Et: *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* [e] Et: *Ini consilium, coge concilium.* [f] Et: *Cōsilium semper a sapiēte perquire.* [g] Et alia huiusmodi, quæ vniuersè ad omnes pertinent, etiam summos Principes, & Magistratus, vt aliàs ostendimus. [h] Quod & pluribus exēplis suaderi tradunt, adducētes primum Moysen, qui facie adfaciem cum Domino loquebatur, & tamen consiliū Ietro libenter auscultabat: [i] Et Salomonem omnium sapientissimum, qui Deum enixe rogabat: *Domine da mihi cor docile, ut sciam iudicare populū meū, et discernere iter bonū, et malū.* [k]

D

c Eccli. 32.
d Prou. 11. & 24.
e Prou. 13.
f Isaia 16.
g Tob. 4.
h Supra in 2. quæst.
i Exo. 18.
k 3. Reg. 3.

Quod

(Quod verbum docilitatis ad audienda maxime cõsilia pertinet.)[a] A
Et sanctum Chrysostomum ex beati Apostoli verbis, cum dixit: *Quis consiliarius eius fuit?*[b] colligentem hoc de vno tantum omnipotente Deo scriptum fuisse, *Cum reliqui omnes, quotquot sunt, aliorum consilio egeant*.[c] Et denique memorabile illud Christi Saluatoris nostri, cuius Vicarius est Papa, exemplum recensentes, qui cum nullius colloquio, seu collationibus, aut dissertationibus indigeret, interdum tamen aliquos ex Apostolis consulebat quid esset facturus, quemadmodum cum dixit ad Philippum: *Vnde ememus panes?*[d] aliquando eos procul abducebat, vt ab omni solicitudine liberi, prout sanctus Chrysostomus ait,[e] nõ dubitarent aperte dicere quid B
sentirent, & non de sua ipsorum tantum, sed etiam de aliorum sententia eos interrogabat dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis, & vos quem me esse dicitis?*[f] non quòd hinc eum ab illis consilium quæsisse dicant, sed vt eos admoneret decere maxime, teneriq. aliquando ipsos etiam Principes tametsi sapientia præstent, nihilominus ad illius imitationem selectos plures bonos, prudentes, ac veraces viros habere, a quibus quandoque sciscitari studeant, quid de ijs homines sentiant, quid ad populorum salutem aptius ab illis fieri posse iudicetur, quidve præcipue in eorum administratione a Christi fidelibus desideretur.

SECVNDVM vero ex recepta illa a permultis grauissimis, cla- C
rissimisq. Doctoribus sentẽtia probari aiunt, affirmãtibus hoc consulendi in Ecclesia Dei munus, quod hodie Cardinalibus tribuitur, veteri diuino iure institutum fuisse,[g] figuratiue saltem, vt aiunt: ac nostri temporis Cardinales, tunc prænunciatos fuisse,[h] quamuis quo ad nomen, & quo ad aliquid, siue per accidens, eorum institutio dicatur esse de iure canonico positiuo,[i] quod & in Libro Ceremoniali significatum fuit.[k]

VERVM quoniam hæc opinio, quòd Cardinales diuino iure fuerint instituti, ab alijs acerrime impugnatur, contendentibus eorundem dignitatem, ministerium, ac functionem nonnisi multo post D
Christi Domini nostri tempora proditam, vsuq. receptam fuisse:[l] ideo omissa hac controuersia, dicunt illi negari saltem non posse, quin amplissima summi Pontificatus administratio, semper adiutoribus, & operarijs indiguerit, & ideo antiquissimis usque temporibus aliquos habuerit peculiares ipse summus Pontifex auxiliarios, qui illi assiduo adsisterent, & eum opera, & consilio suo adiuuarent, quocumque nomine tunc hi appellarentur,[m] qui tamen deinde proprio uocabulo Cardinales semper nuncupati

sue-

a S.Tho. 2.2. q.49. art. 3. 4.
b Rom. 11.
c S. Chrysost. homil. ad Roman. 19.
d Ioan. 6.
e S. Chrysost. homil. 55. in Matt. in prin.
f Matt. 16.
g Mart. Lauden. de Card. q. 26. & 34. di rect. elect. c. 35. par. 2. num. 7. Barb. de præst. Cardin. in 1. q. Card. Alban. q. 5. Host. c. 2. de cler. non resid. Lãcel. Corrãd. in lib. templum omnium Iud. lib. 2. c. 2. §. 1. cum alijs. arg. c. per venerabilẽ, qui filij sint legit. vbi Abb. nu. 20. & Præpos. n. 142. & Num. c. 16.
h Spec. tit. de legat. §. sequitur. Gondis. de Card. q. 1. & 2 Turrecr. lib. 1. de eccles. c. 83.
i Ioã. Brunel. Aurelian. tractat. de dignit. & pot. leg. conclu. 3. 4. et seq.
k lib. 1. cerim. sect. 8. c. 6.
l Sot. ĩ 4 sẽ. dis. 24. q. 2. art. 4.
m Ioan. Ant. Delphin. lib. de Eccles. 2. tit. de Card. concl. 9.

A fuerunt. [a] Ex quo illud ſequi aiunt, quòd ſi diuino iure monetur
Papa paſcere oues Chriſti, non quomodocumque, ſed ſancte, &
vtiliter: hinc etiam intelligi eum coniunctim moneri ad res arduas
pro Eccleſiæ, & gregis ſalute conſultandas cum viris rerum peritia,
ingenij acumine, ac virtutis integritate præſtantibus, inter quos
Cardinales iure optimo ſemper præcellere habiti fuerunt, cum ad
hoc ipſum conſulendi munus potiſſimum delecti, & longo vſu e-
xercitati dignoſcantur. Quamobrem, ſicuti ridendus eſſet qui in
morbis corporis alios quàm medicos accerſeret: aut in nauigatio-
ne, alios quàm remiges, & nautas: aut in colendo agro, alios quàm
B agricolas: ſiue in conſtruendo ædificio, alios quàm architectos
adhiberet, cum vetus ſit dictum, ad peritos in arte recurrendum
eſſe: ſic in conſilijs petendis abſurdũ eſſet eos omnino prætermitti,
qui hoc munus profitentur: quandoquidem Cardinales, prout in
monumentis legimus, valde præcellunt alios Conſiliarios, cum
ipſi ita ſint Conſiliarij, vt ſint membra ſummi Pontificis; & portio
huius ſacroſanctæ Reipublicæ. Ipſi eligunt Principem, ille ex eo-
rum corpore eligitur: [b] Ipſi in Eccleſia vniuerſali, in ordine hierar
chico primarium locum obtinent: ijdem præcipui in Eccleſia Ro-
mana ſublimiori quodam modo de rebus communibus conſulunt,
quàm ceteri conſiliarij. Item perpetui ſunt, & inſtar Apoſtolorum
C adſiſtentium Chriſto Domino, adſunt & ipſi Papæ eius Vicario,
illiusq. ſunt coadiutores, & cooperarij, ac in ſumma, rerum publica-
rum peritiſſimi, prudẽtiſſimi, atque virtutibus omnibus ornatiſſimi
publice habentur. [c] Cum igitur dicunt, eos a Papa in conſilium
adhibendos, non negant, ſi ita ei libeat, quin poſſit arbitratu ſuo
alios etiam extra hunc ordinem ſibi priuatim adſciſcere, dum ta-
men ſuus quoque Cardinalibus locus relinquatur, ac more veteri
in Conſiſtorio de rebus arduis conſulantur, atque alibi etiam ipſe
eos nunc ſeorſum, nunc in Congregationibus, quomodo, & quo-
ties ei videbitur, audiat: alioquin ſi cum ijs res graues non com-
D municarentur, irrita fere, & inanis eorum poſſet euadere inſtitu-
tio: quod magnum rebus publicis afferret detrimentum.

HAEC in ſumma ea ſunt, quæ in hanc partem præcipue pro-
poni ſolent, quibus non refragari aiunt quod primo loco obijcieba-
tur. Nam interpretantur ipſi ſacræ legis verba ad ipſum quoque
Papam, a quo ceteri exemplum ſumere debent, pertinere, proin-
deq. & Cardinales licet non expreſſim, ex decenti tamen quadam
conſequentia ibidem includi, vt ſupra explicatum eſt.

AD illud quoque, quod ſecundo loco de Regibus, et Principibus
dedu-

a c. præſul. 2. q. 5. c. paſtoralis. 7. q. 1. c. in nomine Domini. 23. diſt.

b Lud. Rom. ſerm. vlt. poſt conſil. nu. 18. & in Bull. Sixti V. de Card.

c S. Tho. 2. 2. q. 70. art. 2. ad 3. ubi Caieta. & Caiet. in 2. 2. q. 185. ar. 5. verſ. & ſi rurſus.

deducebatur, respondere solent, non adeo arcte hanc obligationem petendi consilij accipiendam esse, vt, ea prætermissa, actus nullus, atque irritus reddatur: quod in articulo septimo declarabitur. Verum & Reges in rebus arduis, si sine causa consilium prætermittant, culpa non carere contendunt: immo Principes ipsos, quo maiora tractant, eo maiori periculo expositos esse, & ideo maiore insignium virorum consilio indigere censent: [a] nam præclara est illa sententia, *Omnia Regna, Ciuitates, Nationes, vsque eo prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuere. Vbicumque autem, gratia, timor, voluptas, ea corrupere, post paulo imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremo seruitus imposita est.* [b] Vnde sapientes Principes exemplo Apellis, qui clam obseruabat quid alij dicerent, legimus adeo audiendis aliorum iudicijs delectatos fuisse, vt mutata interdum veste in medio foro, atque inter hominum circulos versarentur. Hodieq. in Libro Pontificali cautum legimus, [c] quòd Rex coronandus facit professionem in manibus Metropolitani, & dicit inter cetera, quòd seruabit legem, iustitiam, & ministrabit pacem Ecclesiæ Dei, populoq. sibi subiecto, sicut in consilio fidelium suorum melius poterit inuenire. A B

Vnde hoc amplius de ipso summo Pontifice addunt, quòd, cum illius auctoritas sit a iure diuino, habere etiam debet suos proprios modos, quibus regitur, quosq. decet longe perfectiores esse ceteris omnibus secularium Principum moribus, & institutis, qui humana tantum, & a maioribus immediate accepta funguntur potestate. C

Quare nihil de summa, & plenissima potestate Papæ detrahi dicunt, tametsi multa illius administrationi adminicula fuisse adiecta asserunt, quibus eius amplitudo fulciatur, ne in illius vsu ac ministerio labatur: nam his potius illius præstantiam, ac dignitatem magis roborari, atque muniri contendunt, præsertim si quo ad executionem consideretur, sicuti dici solet, Deum non posse peccare, non mentiri, non fallere: hæc enim maiorem indicant illius tum perfectionem cum summa potentia coniunctam, tum in bono immobilitatem. [d]

QVAE quidem omnia ad hunc articulum pertinentia sic a nobis relata fuerunt, vt plenius Lectori satisfieret, si hæc sparsim tantum apud Doctores diffusa, hic vno aspectu collecta inueniret, non vt de his quidquam nos pro tenui facultate nostra statuamus, sed vt ea potius maturiori sapientum iudicio, ac sanctæ Matris Ecclesiæ auctoritati diffinienda relinquamus. D

a Andr. Iser. in rub. Hic ergo finit lex nu. 6. & sequ. Afflict. in constit. Regn. lib. 1. rubric. 45. incip. (vt vniuersis) nu. 58. & seq.

b Salust. in 2. orat. ad Cæsarem.

c In rubr. de benedict. & coronat. Regis. fol. 88.

d S. Tho. in 1. p. q. 25. art. 3.

ARTI-

A

ARTICVLVS VI.

An iure naturali,& gentium ad idem obstrictum esse, demonstretur.

NVNC iure etiam diuino positiuo seposito, ostendendum est, Papam tum proprio rationis munere, tum iure naturali,& gentium ad petenda hæc consilia obstrictum esse. Quod inde deducitur: Primum, quia, cum ad veram administrandæ Reipublicæ rationem quattuor requirantur, Princeps, Consilium, Iudicium,& Populus: [a] vtique in vniuersali Ecclesia, quæ est Respublica omnium perfectissima, hæc maxime obseruanda sunt. Vnde sicut vnus fuit Princeps a Christo Domino institutus, beati Petri successor, qui est Papa: sic & consilium ei adesse oportuit, quod in rebus arduis,& dubijs præsto esset: [b] ideoq. ait Augustinus de Ancona, traditum esse pro forma,& Papæ,& alijs, vt negotia grauia,& ardua non nisi aliorum consilio determinent,& sic facere teneantur; [c] hoc autem consilium, cum viros probos, prudentes,& expertos in primis exigat, [d] iam ostendimus ad Cardinalium Collegium potissimum pertinere: qui tamquam Senatus Ecclesiæ priscis vsque temporibus semper habitus fuit. [e]

B (at line "publicæ rationem"); C (at line "tos in primis exigat")

PRAETEREA tenetur Papa naturali obligatione, ac iuris gentium ad promissiones suas seruandas, quamdiu sanctæ & iustæ sunt, inter quas hæc præcipue numerari solet, vt res arduas cum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus de more communicet. Nam in primis extat vetus formula professionis fidei summorum Pontificum, quæ legitur in collectione Canonum Cardinalis Deusdedit, & in Libro Diurno Bibliothecæ Vaticanę, cuius libri, [f] & professionis fidei, ab alijs auctoribus fit mentio. [g] In ea autem hæc inter cętera leguntur verba: *Si qua uero emerserint contra canonicam disciplinam, ego cum filiorum meorum S.R.E. Cardinalium cōsilio, directione,& rememoratione ministeriū meum geram,& emendare curabo.* Quæ quidem formula latius etiam extensa a Bonifacio VIII. seruata fuisse in eadem Bibliotheca Vaticana comperitur. Quinimmo hoc ipsum institutum res cum Cardinalibus communicandi, omnibus Pontificibus continuatum fuisse, docet Liber Ceremonialis, siue rituum Ecclesiasticorum S. R. E. in quo scriptum est, Cardinalium Collegium diuina inspiratione institutum fuisse, cum quo Pontifex omnia ardua Ecclesiæ negotia explicaret,& quos consiliarios Romanæ Ecclesiæ,

D (at line "guntur verba")

a Arist. 3. polit. c. 1. Aegid. de regim. prin. 2. par. 3. lib. cap. 1.
b Aegid. d. li. 3. c. 16. & seq.
c Aug. de Ancon. q. 74. ar. 1. ad 3.
d Arist. in 6. Ethic. cap. 11.
e ca. Ecclesia. 16. q. 2. Innoc. Abb. c. cum te. de re iud.
f Iuo in decre. 4. par. c. 132. & apud Grat. c. sancta. dist. 16. cū annot. sub Greg. xiij.
g Epist. Ant. Aug. lib. 6. ca. 39. fol. 434.

coadiutoresq. haberet.[a] Indeq. recenset varijs in locis huius moris A
obseruationem, veluti cum agitur de canonizatione alicuius Sancti,[b] nam inquit, quòd exquirit Pontifex sigillatim a quolibet suam in ea re sententiam: & cum omnes dixerint, agit gratias eis de bono consilio, & in forma protestationis dicit: *De fratrum nostrorum consilio decernimus, & diffinimus.*[c] Item cum de creatione Cardinalium agitur, idem repetitur, quòd scilicet Cardinalium vota exquiruntur: & si sunt infirmi per certos Cardinales in eorum domibus sententiæ explorantur.[d] Et cum agitur de claudendo, seu aperiendo ore nouis Cardinalibus: de creandis Episcopis Cardinalibus: de eligendo Legato Apostolico: de dando pallio Archiepiscopali: & sic alijs multis in locis idem replicatur. Ex quibus colligitur, generalem, & inueteratum in Ecclesia esse summorum Pontificum morem in arduis quibuslibet negotijs ipsos Cardinales consulendi.[e] B

H I N C inferimus, quando nouus Papa creatur, tametsi nihil tunc verbis expressim promitteret, nihilominus ex suscepti officij natura, tacite illum quasi contrahere intelligi cum sede Apostolica, se instituta illa, & consuetudines, & veteres ritus, qui fideli populo, ac sanctæ Ecclesiæ vsui, & gubernationi rectæ necessarij esse possunt, & a prædecessoribus sanctè obseruata, constanter, fideliterq. etiam obseruaturum.[f] Hincq. obligari illum etiam secundum plenitudinem suæ potestatis dicimus ad ardua consultanda non vinculo aliquo legis humanæ, cui ipse quoad vim coactiuam non subijcitur, sed propter hanc ipsam officij Apostolici acceptationem, quæ sicuti varias obligationes secum eo ipso trahit, quæ verbis nullis exprimuntur, quemadmodum quòd debeat vniuersum populum verbo, et exemplo pascere, super omnibus vigilare, atque Ecclesiam sanctè, & salubriter administrare: sic etiam modum consuetū ista faciendi tacite includit,[g] nempe eum, qui semper a maioribus seruatus fuit, & recta, ac legitima Ecclesiæ totius gubernandæ ratio postulat, vt scilicet quando ardua sunt negotia, ea cum Cardinalium Collegio communicentur: sicuti qui beneficium sibi collatum acceptat, videtur per quasi contractum se obligare ad debitam illius administrationem.[h] C D

Q V I B V S sic positis nihil obstare videtur quod primo loco obijciebatur[i] de plenitudine potestatis Pontificiæ. Nam huiusmodi auctoritas, quæ etiam potentia absoluta a quibusdam vocatur, licet illum a vinculis legis humanæ eximat, non tamen eum soluit a iuris naturalis, aut gentium præscriptione,[k] cum hæc iura dicantur immutabilia, omnesq. quotquot sunt homines, & Principes

etiam

a *Lib. cerem. cap. 3.*
b *lib. 1. sect. 6. cap. 1.*
c *lib. 1. sect. 6. c. 2. & seq.*
d *Sect. 8. c. 4.*
e *lib. 1. ceremon. sect. 9. c. 3 in fi.*
f *Abb. c. officium. de offic. Archid. & in c. custos, de off. cust. & Host. in sum. de offi. cust. nu. 2.*
g *Arg. l. cum quid, si cer. pet.*
h *Card. Zabarel. consil. 147. alias 192. Fel. c. quæ in Ecclesiarum, de constit. nu. 42.*
i *Supra in arg. 4. in princ.*
k *Spe. de lega. §. nunc ostendendum. vers. 18. nu. 14. Vasqu. lib. 1. controu. c. 26. nu. 12. 14. & seq. Crot. cōs. 184. in 2.*

A etiam ipsos comprehendant,[a] qui cum sint ad imaginem, & similitudinem Dei facti, sunt necessario & ipsi rationi, atque æquitati subiecti, vt Doctores declarant,[b] alioquin eiusmodi potestas, quæ rationi subiecta non esset, iniuria potius, & summa violentia, ac barbarica quædam iurisdictio esset appellanda, quæ Christiano Principi non congruit,[c] nedum supremo omnium Antistiti sit tribuenda.

NON obstat quod secundo loco de Capitulis Conclauis adferebatur. Nam respondemus ex hoc argumento contrarium potius colligi, siquidem conuentionibus illis Papam non adstringi, Doctores aiunt, si quando eæ huiusmodi essent (quod facile creden-
B dum non est,) quæ auctoritatem Pontificiam ad bonum publicum institutam, possent auertere, aut impedire, quod minime licet.[d] At vbi nihil inde posset publica vtilitas lædi, aut perturbari, quin potius adiuuari, tunc nihil obstat, cur priuatis illis conuentionibus, quatenus æquæ, honestæq; sint, Papa perinde ac ceteri obligetur.[e] Cum igitur in re nostra id tamquam firmum proponatur, ex his consilijs a Papa petitis, nihil prorsus publicum ius aut lædi, aut interturbari posse, iam sequitur eum illis exquirendis minime solutum esse, cum hoc ad officium eius, itemq. ad exemplum, ædificationemq. aliorum, atque ad salubrem pascendi rationem
C plurimum pertineat.

AD tertium etiam respondetur, agi a nobis in præsenti rationibus potius, quàm priuatis auctoritatibus; ideo in primis eas spectandas esse, non quid vnus, vel alter senserit. Addimus tamen, quòd si eorundem Doctorum sententia bene expendatur, nihil fortasse ab hac parte discrepare reperietur: sicuti enim duplex debitum inuenitur, alterum legale, quod omissum lege punitur: alterum morale, quod in foro exteriori non astringit, sed tamen peccatum aliquando est, quia præter morem est:[f] sic & duplex in legibus seruandis necessitas consideratur, altera, quæ coactiua: altera, quæ directiua vocatur.[g] Vnde Doctores de coactiua, quæ extrinseca
D est, sensisse videntur: nos de directiua, quæ est intrinseca, loquimur;[h] illi de ea, cuius forma non seruata actus redditur nullus: & ideo Papam illi subiectum non esse merito responderunt: nos de ea, qua omissa, non ideo actus vitiatur: illi de ea, quæ in foro etiam exteriore: nos de ea, quæ in foro tantum conscientiæ obstringit, prout infra latius probabitur.[i] Quapropter cum Papam dicimus obligatione teneri, vt ardua de more cum Cardinalibus communicet, de hac loquimur, quæ interior est, & a lege æterna

C 2 deriuatur,

a Felin. c. 1. de constit. nu. 31. in 1. declar. & num. 34.

b Fortun. in l. Gallus. §. & quid si tantum. col. 1. 40. vers. (dicebat Baldus) ff. de lib. & posth. Couar. in epit. de matrimon. tit. 6. §. 9. nu. 10.

c Couar. lib. 3. variar. resol. c. 6. num. 8. & seq.

d Iacobac. de conc. lib. 7. art. 5. nu. 165. Barbac. cons. 1. n. 30 & seq.

e Dec. cõs. 151 nu. 10. Ancharan. cons. 281. & colligitur ex decis. Rotæ coram Chissam die 14. Iunij 1560.

f S. Tho. 2. 2. q. 102. ar. 2. ad 2. vbi Caieta. & Viguer. in sum. de virtute iust. §. 5.

g S. Tho. 1. 2. q. 96. art. 5.

h Felin. c. 1. de constit. nu. 25.

i infra ead. q. art. seq.

deriuatur, atque vni tantùm Deo se ipsam prodit; [a] quæ etiam necessitas suppositionis dici potest, siquidem Papa ipse acceptando hanc dignitatem tacite se his conditionibus deuinxisse videtur; vnde obligatio hæc non ab alijs, sed a semetipso proficiscitur, qui sponte sua acceptauit munus illud cum oneribus illi annexis: & ideo non proprie coactio, sed volũtaria potius muneris susceptio nominanda est. A

ARTICVLVS VII.

Posito quòd teneatur consilium requirere in arduis: An si non requirat, actus ab eo gestus reddatur nullus. B

HIS sic vt supra traditis, & expositis, quæ tum iure, tum summa æquitate dictante facile defendi posse videntur, exurgit nunc alia difficultas necessario explicanda, an quod dicitur, teneri Papam in arduis Cardinalium sententias explorare, in foro tantum interiori admittatur; ita vt si Papa sine causa eas explorare prętermittat, culpæ reus apud Deum constituatur, ceterum actus ipse ab eo gestus in foro exteriore subsistat: an vero talis omissio generaliter etiam in foro exteriore effectum operetur, ita vt actus ipse nullus, inualidusq. omnino censeatur. C

NON defuerunt enim olim aliqui, qui totum hunc actum irritum plane reddi opinati sunt, varijs adducti rationibus. Primo ex præsumpta mente Papæ, quippe qui non seruans consuetum ordinem, & quem ipsemet sibi quodam modo initio præscripsit, censetur potius eo animo fuisse, vt huiusmodi actus ab alijs ratus non haberetur. [b] Secundo, cum substantia facti hoc casu potuisset immutari, quia ex vnius consiliarij sententia Papa a priore proposito potuisset discedere; [c] idcirco dixerunt hi, hanc consiliorum petitionem inter graues sollemnitates censeri, quæ si negligatur, tunc actum nullum, atque inualidum effici. [d] Tertio subdunt, quòd etiam Doctores, qui negant consiliũ Cardinalium esse Papæ necessarium, eosdem tamen vnanimes affirmare illud de honestate adhibendum esse, [e] ex quo inferri aiunt, quòd cum honestas, & iustitia æquiparentur, pariaq. sint aliquid fieri contra iustitiam, vel contra honestatem, [f] & illud, quod non est honestum, vel in quo versatur peccatum, aut est contra bonos mores, dicatur non posse fieri, [g] vnde leges decernunt spectandum esse non quod licet, sed quod honestum est, [h] & alia huiusmodi: propterea concludere volunt actus D

huius-

a Caietan. in d.q.96.art.5. vers. ad hoc du bium.

b Arg. l. si quis in prin. de leg. 3
c l. si in tres. de arbitr.
d Bart. l. 1. §. si plures, de exercit. num. 3. Ioan. And. ca. non est. de consuet. in 6. & in addit. ad Spec. tit. de requisit. cons. §. 1. vers. vt autem. Abba. ca. cum in veteri. de elect. num. 12.
e Iacobac. in tract. de conc. ar. 5. li. 7. Fel. Dec. in rub. de constit. glo. c. ad Apostolica. de re iud. in 6. & in c. fundamenta. §. decet. de elect. in 6.
f c. erit autē. 4. dist. vbi Glo. Archid. & Gemin.
g l. non aliter. de vsu, & habi. l. nepos Proculo. de verb. signif. l. filius. de condit. instit. c. faciat homo, 22. q. 2. cũ Gl.
h l. non omne. de reg. iur.

A huiuſmodi a Papa non requiſitis Cardinalium conſilijs tamquam aduerſus ius, & æquum, atque honeſtum, geſtos, irritos euadere.

VERVM abſit, vt noſtrum vmquam intellectũ occupet tam fallax opinio, quæ ſummam Papæ poteſtatem labefactat: primatum illius debilitat: eminentiſſimam eius poteſtatem legibus humanis ſubijcit: ac denique diuinam auctoritatẽ cum ſæculari cõfundit. Nam cum abrogatio, atque extinctio actus illius, qui geſtus eſt, dicatur pœna iure poſitiuo impoſita, ſæpius diximus Papam nõ ſubeſſe huic iuri, quo ad vim coactiuam: & ideo nõ teneri pœna, quæ inde oritur, ſiquidem regula eſt apud Doctores, quòd in adiutorio Principis quã

B do poteſtatis plenitudinẽ exercet, nullitati locus eſſe nõ ſolet,[a] quoniam hoc ad iudiciale forũ pertinet, cui Papa minime eſt ſubiectus.

ACCEDIT, quòd cum actum infirmare, atque irritum reddere pendeat a vi, quæ coactiua dicitur, Papa nulli huiuſmodi poteſtati ſubijcitur, quæ illum neceſſario cogat, immo nec ipſemet aduerſus ſeipſum huiuſmodi vim poteſt exercere, vt sãcti Doctores declarãt.[b]

NON obſtat ergo primum, quod dicebatur, Papam ipſum præſumi voluiſſe hunc actum non valere. Nam, cum ad eum explicandum magna cum deliberatione plenitudinem poteſtatis exer-

C cens acceſſerit, præſumitur potius contraria omnia, ſi quæ obſtarent, de medio tollere voluiſſe.

NON obſtat ſecundum, quòd grauis, & neceſſaria ſollemnitas prætermiſſa infirmet actum: nam iure ciuili, & ex legum humanarum ratione hæc poſſunt admitti. Verum, cum hic poteſtatem quandam legum omnium vincula ſuperantem, ijsq. minime adſtrictam conſideremus, non eſt cur ex illis argumentemur, quæ valde inferiora ſunt, & longe ab ijs, de quibus agimus, diuerſa, cum, vt dici ſolet, ex diuerſis non fiat illatio.

NON obſtat tertium, quod de honeſtate dicebatur: nam non negatur decere id maxime Papam, ſed non hinc ſequitur, quòd ſi omittatur ab eo conſiliorum petitio, inde res ab eo geſtæ infirmen-

D tur: aliud enim eſt actum dici poſſe iniuſtum, & aliud nullum: ſicuti ſententia alia eſt iniuſta, & alia nulla: & teſtamentum aliud iniuſtum, aliud irritum: & excommunicatio alia nulla, alia iniqua.[c] Siquidem nullum id dici ſolet, quod eſt aduerſus formam ſubſtantialem legis: iniuſtum vero, quod in alijs rebus peccat.[d] Admittunt igitur Doctores, Papam poſſe, neglectis huiuſmodi conſilijs, ſe culpabilem Deo in foro interiori reddere, verum non ideo pœnæ vlli exteriori ſubijciendum dicunt, qualis eſſet ſi huiuſmodi actus nullus, & inualidus pronunciaretur.[e]

a Felin. c. ad petitionem. de accuſ. nu. 2. & cap. in cauſis. col. 1. & 2. de re iudic. Vant. de nullis. tit. an qualibet nu. 7. & ſequ.

b S. Tho. 1. 2. q. 96. ar. 5. vbi Caiet. late.

c Papiẽ. in tit. form. ſent. diſ. nu. 10. Couar. in c. alma mater. in 1. par. §. 7. nu. 5. de ſentẽ. excom. in 6.

d l. non dubiũ, vbi Bal. et Iaſ. nu. 22. C. de legib. Abb. conſ. 66. in 2. Nauarr. in Manual. c. 27. n. 3

e Guido Papa q. 153. Silueſt. verb. Papa. q. 15. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 12.

ARTICVLVS VIII. A

An Papa, quando requirit consilium, quod ei bonum, & salutare proponitur, teneatur illud sequi.

POSTREMO ad pleniorem quæstionis propositæ tractationem, illud examinandum superest, quod plerisque negotium non leue solet exhibere. An, sicut Papa tenetur Cardinalium consilia scrutari, ita ab eis data, si salutaria sint, teneatur sequi. Nam cum tritum illud sit, & a nobis sæpe dictum, teneri Papam consilium Cardinalium in arduis exquirere, non tamen illud sequi, durum hoc multis, & plane repugnans prima facie videtur, B
cum finis petendi consilij ille sit, vt inde quis melius instruatur, & veritas ei plenius aperiatur: quem vtique finem assequi ille nequit, qui consilia data respuit. Quare sicuti exempli causa, ridiculum esset, si diceremus eum, qui fame premitur, teneri quo tempore cibo indiget, petere eleemosynam, atque eundem minime teneri vltro sibi oblatam accipere; sic, cum consilium sit spiritualis eleemosynæ genus, si Princeps in rebus arduis, & quo tempore publica res subsidio eget, adstringitur Senatum conuocare, & sententias explorare, cur non magis debet bona, salutariaq. consilia sibi pro- C
posita sequi, atque amplecti? Nam, vt dici solet, propter quod vnum quodque tale, & illud magis:[a] & cum media obligare non soleant, nisi propter finem, petamusq. eo animo vt acceptemus, & sequamur, vtique absurdum nimis videtur, cogi aliquem ad petendum, liberari autem ab acceptando.

VERVM, si res ordine, atque exacte expendatur, cessabit omnis difficultas. Notum siquidem est, quòd sicuti duplex forum, siue tribunal a Doctoribus cōsideratur, quorum alterum interius, alterum exterius ab ijs appellatur: sic quasdam etiam res esse, quæ vtrique fo- D
ro communes esse cēsentur: quasdam, quæ vni tantum eorum conueniunt.[b] In re igitur proposita duo sunt actus: alter est petendi consilij: alter est acceptandi. Petitio consilij, vbi de rebus arduis, ac dubijs deliberandis agitur, in foro conscientiæ Principi etiam dicitur esse necessaria, quoniam cum illius animus pplexus reperiatur, nec quid Reipublicæ vtilius sit futurum, satis ei constet, dictat illi interior instinctus, humanaq. ratio, optimum, & saluberrimum, immo necessarium esse antea inquirere diligenter quid sit eligendum, atque in eo prudentium virorum consilia, & sententias, priusquàm aliquid diffiniat, audire;[c] siquidem cum hoc nocere nihil possit, & maxime pro-

a *Auth. multo magis. C. de sacrosan. Eccl. Arist. 1. poster. contex. 5.*

b *Innoc. Butr. & Abb. c. quia plerique. nu. 7. 19. & sequ. de immun. Eccl.*

c *S. Tho. 1. 2. q. 14. art. 1 in corp.*

desse

A desse,dubium nihil est id fieri maxime debere,[a] cùm & Deus iubeat,vt ordinate omnia fiant,[b] & leges pariter humanæ,vt omnia debitis medijs peragantur.[c] At vero vbi de sequendis consilijs agitur, tunc diuersa est ratio fori exterioris,ac interioris.Nam si quæramus in exteriori foro,quæ sit ratio communis opinionis,qua affirmatur, nõ teneri Principem,qui consilium petit,illud etiam sequi; inuenie mus non eam esse,quam aliqui putant:quòd scilicet fauori suo quilibet potest renunciare:[d] ea enim in rebus priuatis,& proprijs locũ habet,in quibus vnusquisque est moderator,& arbiter. [e] Verum,cũ nos de rebus publicis agamus,secus esse agnoscemus,[f] quarum vtili tati seruire et Princeps ipse tenetur,quãdo,vt sæpe diximus,Rex pro B pter Regnum,nõ Regnum propter Regem fuit institutum.Quapropter veram esse rationem illam cõperiemus,quòd in rebus huiusmodi exterioribus,& politicis,Princeps est tamquã suprema causa,qui omnia iudicat,& a nemine iudicatur:ideo nõ debet ab extrinsecis, & inferioribus causis pẽdere,& illis alligatus esse vi quadã necessa rio cogẽte:sed ĩ manu eius est positum,tãquã clauũ tenẽtis,quẽ sibi tutiorẽ cursũ prudẽtia sua legibus munita suaserit,intrepide tenere.

Nam si dicas ea,quæ illi proponuntur consilia, bono publico salutaria esse,cui ille seruire tenetur; Respondetur non esse aliorum, quãuis etiam simul omnes collecti essent,iudicare, & diffinire quid C sit magis vtile Reipublicæ,sed ipsius tantum , cui gubernacula eius sunt commissa:forte enim id,quod ab alijs proponitur,non ita expediens ei videtur,aut non eo tempore,aut nõ eo modo:siquidem consiliariorum est proponere solum materiam æqui,& iusti: sed Principis est quod opportunius iudicauerit, seligere:quemadmodum qui ligna in nemoribus cædunt,solam materiam ministrant architecto ad fabricam struẽdam:ille vero vtilia ab inutilibus secernit,& quod aptius censuerit,ad ædificium transfert.Sic igitur in rebus difficilibus post explanata ab alijs consilia,decernit Papa quid agendum:& D ideo illius vnius iudicio tamquam supremæ regulæ, & non aliorum standum esse dicimus, alioquin status Monarchicus peruerteretur.

At vero in foro interiori suprema causa est Deus, ipse qui mouet intus animum Principis, & suggerit conscientiæ illius quid sit iustum,quid bonum,& salutare.Vnde in sacris Litteris cor Regis dicitur in manu Domini esse;& propterea non debet Princeps ab eo discedere,alioquin grauiter peccaret,& a Deo rationem reddere teneretur.[g] Quapropter dicimus cogi illum sæpe in foro interiori hæc consilia sequi,non præcise, quia sibi sint a maiori parte, vel ab hoc,aut ab illo,qui auctoritatis sit,proposita;sed quia ipse animo ita

a l.2.§.1.ff.solut. matrim.
b Cant. 2.& Rom.13.
c l.1.ff.d. alb. scrib.l.gradatim. ff.de muner.& honor.
d l. penult.C. de pact.
e l.in re mãd. C.mãdati,l.2. in fi.ff.mãdat.
f Glo.Abb.Feli.c.si diligẽti. d. foro compe.
Prou. 21.
g S. Tho.1.2. q.96. artic.5. ad 3.

iudicat, & iudicare tenetur, dimisso quouis priuato affectu bono communi noxio, Deo ita animum suum ducente, qui arbiter est rerum omnium. Nec nouum est, immo maxime frequens apud Doctores, vt multa sint in humanis actionibus, quæ aliter in foro pœnitentiali, aliter ex legibus iudiciarijs sunt diffinienda.[a] A

Ex quibus constare potest, nihil ea obstare, quæ supra obiecta fuerunt, cũ alia ratio sit petendi, & alia sequendi consilij. Ad petendum plurima sunt quæ vrgent: rei agendæ difficultas: dubius Principis animus: Senatus conuocatio: antiquissimus Consistorij vsus: Cardinalium munus: communis Doctorum ita sentientium explicatio: perpetuum Ecclesiæ institutum: ac publica populi expectatio. At vero, B auditis consilijs, concludere, & diffinire quid sit ex ijs amplectendum, hoc ad solum Principem pertinet, qui non ad plures, sed ad meliores sententias respicere debet: nõ enim vis, & auctoritas decernendi a multitudine pendet, sed a sui tantum ipsius auctoritate, nec consilia ipse petit, vt illis stare cogatur, sed vt ex illis eligat quod sibi aptius visum fuerit, cũ (vt dici solet) causa formalis, cur Princeps ita decernat, non ea sit, quia sic alij consuluerint, sed quia sic sibi visum fuit, adeo quòd ad consilia petenda is non accedit, vt illis adhæreat, atque alligetur,[b] sed vt sumat materiã iudicij sui dirigendi, & quod C sibi æquius visum fuerit, decernendi. Quapropter, vt cõcludamus, finis petendi cõsilij non est ea sequi cæco quodam impetu, prout argumẽta contraria innuebãt, sed est, vt ex cõsilijs traditis Princeps ipse discernat, & dijudicet id, quod Reipublicæ vtilius esse arbitrabitur.

HAEC quo ad Consistorialia negotia. Ceterum notum est, multa alia minora esse, quæ non solet Papa ad Consistorium deferre, sed in ijs inferiorum industria, & solicitudine vti. Nam cum illi totius Ecclesiæ gubernatio sit commissa, debeatq. rebus quibuscumque ad eius administrationem pertinentibus solerter prouidere, indiget necessario Nuncijs, Gubernatoribus, Magistratibus, Officialibus, Iudicibus, & alijs Ministris, inter quos diuersa onera partiatur. Vnde D sunt hi tamquam minores quidam consiliarij, & adiutores in rebus ijs, quæ eorum curæ, atque industrię demandantur. Quemadmodum enim Moyses admonitus fuit, vt minora negotia Tribunis, & Centurionibus committeret, maiora autem ad se referrentur: sic in Ecclesiasticæ Oeconomiæ gubernatione prisco vsque instituto obseruatum semper fuit, vt grauiora cum sacro Consistorio communicarentur, leuiora ad alios deferrentur, atque ita partito proportionabiliter cum pluribus onere, Pontificia administratio commodius, sapientius, atque salubrius exerceretur.

[a] Bened. Carophyl. in tract. de reg. iur. fori, & poli, in 2.6.8.13.17. reg. & sequ.

[b] Siluest. verb. consilium.

Exo. 18.

PARS

A

PARS I. QVAESTIO IIII.

An Cardinales a Papa requisiti, teneantur vinculo charitatis ad consilia prompte, & sincere proferenda.

QVAEST. IIII.

B ACCEDIMVS nunc ad illud tractandum, quod principaliter nobis est propositum: quæ scilicet sint partes dominorum Cardinalium in consilijs suis erga summum Pontificem. Quod vt clarius innotescat, declaranda inprimis videtur consultationum huiusmodi origo, non quidem qua de causa, aut ad quem finem illorum munus fuerit institutum, quod aliàs attigimus, sed vt sciamus quo iure, seu obligatione eorum functio nitatur: plurimum enim interest, an quis sponte aliquid faciat, nullo necessitatis vinculo, an potius lege cogente, aut maiorum præcepto, seu alia obligatione. C Nos igitur, omissis longioribus hac de re disputationibus, communem illam, & frequentiorem Doctorum regulam sequimur: qui humanas obligationes ad duo principaliter capita redegerunt, aliud charitatis, siue (quatenus ad rem propositam pertinet) morale debitum appellantes: aliud iustitiæ, aut legale debitum vocantes.[a]

QVARE quod attinet ad debitum charitatis, in memoriam reuocandum ducimus, nos scilicet de ijs negotijs principaliter differere, quæ quando a Papa deliberanda sunt, Cardinali videntur repugnare publicæ vtilitati, & tamquam noxia Pontificiæ dignitati ab eo apprehenduntur: & tunc quærimus an charitatis vinculo obD strictus idem censeatur candide quid sentiat significare, ac periculum etiam, siquod immineat, fideliter denunciare.

a S.Tho.2.2. q.80.art.1.& q.188. art.4. ad 4. S. Antoni.par.4.tit.5. c.12.§.3.Nauar.in Manuali c.24.nu.18. & 21.

DVBIVM enim illud primo facere potest, quod, cum charitas sit vis quædam dilectionis, ac studium alterius iuuandi, videtur hoc ad eos potius, qui maiores alijs, aut sapientiores, seu locupletiores sunt, pertinere, quàm ad inferiores, & tenuiores erga superiores, qui illis vt plurimum non indigent, & eo minus necessarium hoc esse erga Papam, in quo culmen omnis virtutis esse censetur: immo existimari potius posse a nimia audacia illum non

abesse

abesse, qui se quodam modo aptum ad consulendum Principi, ac se prudentiorem illo audeat sentire. A

SECVNDO, non videtur ratio, cur Cardinales teneantur magis adiuuare Papam in consilijs dandis, quàm alios Principes Christianos, quando peterent: nam, cum charitatis obiectum sit Deus, & ratio diligendi proximum ex charitate vna sit, videlicet propter Deum, sequi videtur, hanc charitatem omnibus, qui Christiani sunt, æque deberi, & consequenter omnibus petentibus consilia esse impertienda, quia omnes æque sunt filij Dei.

TERTIO, non videtur pariter ratio, cur hanc consilij dandi necessitatem potius imponamus Cardinalibus, quàm alijs, qui sunt B consanguinei, aut familiares, aut a secretis Papæ, seu illius in varijs muneribus ministri. Nam charitatis præceptum, cognita proximi necessitate, illos magis obligare deberet, qui sunt arctiori vinculo cum eo coniuncti. Cum vero hi, quos modo nominauimus, Papæ sint magis intimi, & assidui, & notiores habeant illius necessitates, ideo ad illos magis hoc iuuandi studium pertinere videretur.

ATTAMEN, si recte res consideretur in casu a nobis proposito, contrarium omnino erit respondendum. Nam præter generale illud præceptum, quo scimus vnicuique mandatum esse de proximo suo, quod vsque ad diligendos inimicos producitur, certum est in charitatis officio ordinem maxime obseruandum esse, & quo C quis alteri est coniunctior, aut propinquior, eò maiori vinculo teneri ad eundem adiuuandum.[a] Verum, cum Cardinales dicantur præcipuo quodam modo filij, & membra Papæ, quinimmo proprio nomine Consiliarij illius, dubitandum non est, eos potissimum ad consilium Papæ dandum adstringi non eo solum nomine, quia pater est, & pastor, & dominus, sed quia caput est Apostolicæ sedis, cui adiuuandæ illi peculiariter vt immediata membra se deuinxerunt. Vnde si omni opera, atque industria, ac sanguinis etiam effusione vbi res postularet, ei subuenire tenentur, quanto magis verbis illi suffragari, ac petenti consilium illud fideliter, D prompteq. subministrare debebunt?

Eccli. 17.

[a] S. Tho. 2. 2. q. 26 art. 1. & sequ.

ACCEDIT, quòd sicut naturaliter brachia mouentur ad tuendum caput, & obsistendum, ne quid ei noceat, etiam cum periculo illorum: sic quoque naturalis ratio suadet, vt cum Papa dicatur veluti Cardinalium caput, ipsiq. eius tamquam membra, nullam debeant occasionem prætermittere illius iuuandi, non solum in maximo discrimine, sed etiam in quibuscumque fere rebus, quæ Papæ dignitatem lædere possint, sicuti in quotidiano etiam vsu, membra naturali

A naturali ratione impelluntur, vt capiti obſequium, & miniſterium præbeant.[a]

Et cum a ſacris Theologis hoc pridem receptum ſit pro eo ſanctæ ſocietatis fœdere, atque humanitatis vinculo, quo omnes inuicem iuncti, conſtrictiq. ſumus, debere Chriſtianum quemlibet fraternæ correctionis, & admonitionis officium, debitis obſeruatis circumſtantijs exercere,[b] præſertim vbi de cauenda culpa agitur, ne committatur,[c] idemq. officij genus etiam ab inferioribus erga Prælatos ſuos data opportunitate præſtandum eſſe.[d] Quis dubitet Cardinales, qui ſunt membra Papæ, eò arctius obſtrictos eſſe, quando ad ſua ſibi conſilia præſtanda, vltro a Papa inuitantur?

B Tractat Pontifex maximus catholicæ Eccleſiæ gubernacula, & tamquam nauis gubernator, clauum tenens, in puppi ſedet: ipſi vero Cardinales illius ſunt adminiſtri, & adiutores, & quaſi nautæ, qui gubernatoris nutum intuentur, vt illi operam ſuam, ac ſtudium nauent. Quid ergo, ſi gubernator de nauigatione ad dexteram tenenda, eos conſulat, qua tutum iter eſſe putet, ipſi ſi ſcopulos latentes præſentiant, ſilere, & gubernatorem admonere prætermittent?

Cardinales præterea cardines orbis dicuntur, vt Eccleſiæ molem omni ope fulcire conentur: id vero commodiſſime fit, ſi C ſummum Pontificem, cum præſertim ab eo vocantur, tamquam ſapientiſſimum architectum, quo loco ruina quæpiam imminere videatur, ſtatim admoneant: ſic qui in domo ſunt ad patrem familias, tribuni, & centuriones ad Imperatorem perferunt ſi quid periculi, aut incommodi in Republica vel exercitu emerſerit.

Qvod charitatis officium multo magis neceſſitatem illius amplectendi oſtendit, vbi cum publica vtilitate, fideliumq. ædificatione coniungitur. Nam, cum quilibet homo ſit pars totius Communitatis, debet vnuſquiſque pro virili ſua in illius incolumitatem propenſus eſſe, alioquin impoſſibile eſt, vt ait ſanctus Thomas, D aliquem eſſe bonum; niſi ſit bene proportionatus bono communi.[e] Hincq. a Doctoribus receptum fuit, quòd vbi in Vniuerſitate agitur de rebus in publicam vtilitatem cedentibus, tenetur vnuſquiſque tamquam pars Vniuerſitatis curam illius gerere,[f] & ſi quod damnum publico bono oriri poſſet, illud quantum in ſe eſt, omnino auertere.[g]

Quod eò magis in Cardinalibus locum habere debet, quia eorum conſilio, vt ait Concilium Tridentinum, Eccleſiæ adminiſtratio nititur:[h] quam ſententiam ſunt qui adeo amplectantur, vt ſcribant

a S.Tho. in 1. par. q. 60. ar. 5

b S.Tho. 2.2. q. 33. art. 2.

c Caſſan. conſ. 1. verſic. ad 2. nu. 12. & ſeq.

d Turrecrem. de Eccl. lib. 2. c. 106. Aug. de Ancon. lib. de Poteſt. Eccleſ. q. 7. art. 1 Et S. Thom. 2.2. q. 33. art. 4.

e S.Tho. 1.2. q. 92. artic. 1. ad 3.

f Innocent. & Abb. cap. 1. de his, quæ fiunt a maior. par. ſumm. Silueſt. verb. cõſenſus, num. 4.

G Gondiſ. in tract. de orig. & poteſt. Cardin. q. 5. n. 15. & ſequ.

h Conc. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 1 in fi.

bant, Cardinales in eorum aſſumptione ex charitate ſe obligare vſ- A
que ad ſanguinis effuſionem ad ea, quæ perfectionis ſunt in conſi
lijs dandis ſummo Pontifici, vbicumque opus fuerit.[a]

NEC obſtat quod primo loco ſupra obijciebatur, ſtudium ſcili-
cet iuuandi ex charitate, eorum eſſe, qui maiores ſunt, non autem
minorum, quales ſunt Cardinales erga Papam. Nam reſpondetur,
quòd etſi Papa ratione dignitatis ſemper ſit ſuperior, tamen ratio-
ne neceſſitatis conſilij accipiendi vbi res poſtulat, poteſt eſſe infe-
rior, & vt talis adiuuari. Ipſe vero Cardinalis, qui ad dandum con
ſilium accedit, non ideo tamen temeritatis arguendus eſt, quan-
doquidem certum eſt, nullum eſſe in præſenti vita, qui immunis
prorſus ab omni culpa reperiatur, & conſequenter, quem non alius B
Dei beneficio aliqua in re poſſit antecellere.[b]

PRAETEREA, cum rationis tres ſint actus, quorum Primus
pertinet ad conſilium, & inquiſitionem: Secundus ad iudicium:
Tertius ad præceptum,[c] certum eſt, ex his tribus tertium, qui in
præcipiendo conſiſtit, præcipuum eſſe, cum ad eum alij duo ordi-
nentur.[d] Quare etſi Cardinales, quatenus conſilium dant, videan-
tur quodam modo præcellere, tamen cum Papa de rebus, quæ ab
ijs in medio proponuntur, iudicet, & quod ſibi æquius, atque vti-
lius viſum fuerit, fieri præcipiat, ſequitur, eum in prudentiæ acti-
bus conſiliarios antecellere.[e]

ACCEDIT, quòd vbi publica tractatur vtilitas, etſi minor C
iudex veritatem inueſtigauerit, nulla tamen maiori irrogatur iniu-
ria, vt Valentinianus Imperator reſpondit:[f] immo charitatis offi-
cium tunc magis elucet, quando inferior ſuperiori ſuo res ab eo mi-
nus animaduerſas communicat: quem quo in eminentiori loco, eo
in maiori periculo verſari videt, vt ait S. Auguſtinus.[g]

ET ſi quis diceret, charitatis præceptum eſſe affirmatiuum, &
ideo præfixum illi, certum nullum eſſe tempus explendæ obliga-
tionis,[h] niſi forſan in extrema neceſſitate, quæ raro contingit;
Reſpondemus, tunc conſilij dandi neceſſitatem ſe oſtendere, quan-
do ſummus Pontifex a Cardinalibus illud expoſcit: nec enim extre- D
mam indigentiam in charitatis præcepto ſpectandam eſſe Docto-
res dicunt, ſed ſufficere maximam,[i] ad quam ille redactus præ-
ſumitur, qui conſilium ab alijs petit. Quod infra latius etiam
erit pertractandum.

NON obſtat ſecundum: nam reſpondetur, charitatem ſuos gra
dus habere,[k] & in ea ordinem eſſe obſeruandum, non modo ex
parte obiecti, vt aiunt, ſed etiam ex parte ipſius diligentis. Vnde
quemad-

a Roſerg. Toloſ. tract. de auctor. Card. c. 5. & 7.

b S. Tho. 2. 2. q. 33. artic. 4. ad 3.

c S. Tho. 1. 2. q. 57. art. 6.

d S. Tho. 2. 2. q. 51. art. 2.

e S. Tho. 2. 2. q. 51. artic. 3. in fi.

f l. potiores. C. de offic. Rect. Prouinc.

g S. Auguſ. in Reg. c. 44.

h Archid. c. ſi peccauerit. 2. q. 1. S. Tho. 2. 2. q. 33. art. 2.

i Nauarr. in Manual. cõfeſ. c. 11. nu. 7. 8. & ſeq. c. 24. & in comment. c. inter verb. 11. q. 3. nu. 713.

k S. Tho. 2. 2. q. 26. art. 1. & 6. cum ſeq.

A quemadmodum inter Episcopum,& suam Ecclesiam cathedralem, maior est communio,quàm inter Episcopum, & alias Ecclesias inferiores, [a] ita & vinculum coniunctionis inter Papam, & Collegium Cardinalium excedit alios omnes, [b] ipsiq. Cardinales tum ratione officij, quod gerunt,tum,quia membra Papæ,& de corpore illius dicuntur, quoties Papa petit consilium ab eis, tenentur eidem ex charitate illud potius quàm alijs ministrare.

AD tertium respondetur,eos,qui sunt coniunctiores secundum spiritum,teneri arctiori charitatis vinculo ad beneficia ea præstanda, quæ pertinent ad morum instructionem: licet autem Papa sit
B vniuersalis Pater Ecclesiæ, & omnium fidelium caput,quia tamen speciali nexu Cardinalibus est adiunctus, quippe qui sunt immediata membra illius,ac ratione officij,quod gerunt, sunt eidem intima quadam vi copulati: propterea,quantum attinet ad consilium dandum, quod est opus morale, obstringuntur magis ipsi Cardinales Papæ, ceteris paribus, quàm alij quicumque eius consanguinei, aut affines, seu alia ratione cum Papa coniuncti. [c]

a c. requisist. de testam. vbi Hostien. & Io. Andr.

b Hostien. & Card. c. antiqua. de priuil. Martin. Lauden. in 2. tract. de Card. q. 3.

c S. Tho. 2. 2. q. 26. art. 8. ad 2. et ibi Caiet.

PARS I. QVÆSTIO V.

An iustitiæ vinculo ad eadem consilia teneantur.

C

QVAEST. V.

AD ea, quæ supra dicta sunt, alterum dubitationis caput accedit, vtrum D D. Cardinales obstricti sint speciali vinculo ad consilia, quando rogantur, fideliter explicanda: quod iustitiæ debitum appellatur. Et ratio dubitationis ea se offert, quia iustitia est virtus vni-
D cuique ius suum tribuens: sed reddere ius suum vnicuique, pertinet ad Principem, seu Magistratum, qui iurisdictionem habet. Quare, cum Cardinales hac iurisdictione careant, non videntur teneri ad consilia danda Papæ.

Secundo, quia iustitiæ nexus inter superiores, & inferiores cadere non videtur, cum nomen iustitiæ æqualitatem quandam significet, [d] quæ maioribus, & minoribus inuicem non congruit.

Tertio, quia aut Cardinales tenentur ad consilia danda ex iustitia,

d S. Tho. 2. 2. q. 58. art. 2. & q. 80. art. 1.

tia, quæ est virtus generalis, dirigens actus hominum, prout respi- A
ciunt commune bonum: aut ex iustitia, quæ est virtus particularis
ordinans ad bonum, quod est singularis personæ. At dici non po-
test primum, quia sic non magis Cardinales, quàm ceteri ciues
tenerentur ad procurandum bonum Principis, & Reipublicæ suo
consilio, atque industria. Non secundum, quia huiusmodi parti-
cularis iustitia in negotijs Consistorialibus, de quibus agimus, ca-
dere non solet.

Attamen verius est hoc quoque vinculum DD. Cardinali-
bus accedere quod non extrinsecus assumitur, sed propria volun-
tate contrahitur, specialiq. iuris auctoritate nititur. Diximus si-
quidem aliàs varijs ex causis Cardinalium ordinem in Christiana B
Republica fuisse institutum; atque inter ceteras, vt ijdem a consilijs
essent Papæ, eumq. industria, fide, ac dicendi synceritate iuuarent.
Dubium autem non est, eos, qui suscipiunt aliquod officium, iure
obstringi ad ea præstanda, quæ officio illi sunt coniuncta, [a] sicut
Episcopum ad pascendum gregem: religiosum ad obedientiam, ca-
stitatem, & paupertatem: militem ad pugnandum: medicum ad me-
dendum: lectorem ad legendum, & alios ad huiusmodi alia, [b] &
præsertim cum ratione illius officij quis stipendia percipit, [c] qua
de causa eo arctius DD. Cardinales ad munus suum præstandum
obstrictos esse multi dixerunt, quòd illis ad sustinendam eorum di- C
gnitatem, vt Papæ commodius seruiant, redditus Ecclesiasticos as-
signatos fuisse tradunt: [d] Vnde quoties ab eo accersuntur, debent
illi fideliter consilium suum, & quamcumque aliam operam im-
pertire, cum ita suscepti officij ratio, & obligatio, & iuris vin-
culum exposcant.

a l. 3. §. 1. de recep. arb. cap. qualiter, & quando, de accusat.
b c. rationi cõgruit, cum glo. de reg. iur. in 6.
c cap. rationes 100. dist.
d Pet. de Baisio. de elect. 2. par. c. 35. n. 9. & Martinus Laudẽ. de Cardin. 2. par. q. 6.

2 Quòd si Magistratus secularis, cui stipendium a Republica
constitutum est, auctoritasq. tributa, vt publicam rem tueatur, vi-
deat seditionem exortam, ac ciuium bona periclitari, nec huic
malo viribus omnibus obsistat, sed taceat, & consertis manibus
spectando sedeat, grauissimam sane culpam incurrit, [e] atque ad D
damni compensationem tenetur, nec absolui potest sine proposito
in posterum ab ea desidia abstinendi; quis inficiabitur Christianæ
Reipublicæ Cardinales, quibus tanta dignitas fuit delata, vt Prin-
cipi consilia, ac veritatem ministrarent, si deinde ingruere damna
Ecclesiæ videant, teneri quantum ijs licet, ea dicendo auertere,
& se tamquam murum periculis opponere?

e S. Tho. 2. 2. q. 62. artic. 7. Nauar. in Manual. confess. c. 24. nu. 18.

Nam si veritatis ea est conditio, vt eam alter alteri ex debito
morali, quod commune est omnibus, manifestare debeat, vtique
eum,

A eum, qui ad hoc munus consulendi, cuius proprium est vera loqui, delectus fuit, præter generale illud vinculum veritatis proponendæ, ad hoc amplius ex actu quodam iustitiæ obstrictus erit; [a] alioquin vt est apud Tacit. si consiliarius non fideliter offerat Principis auribus id quod vere sentit, iam non cum ipso, sed potius cum eius fortuna loqui videbitur. Quod præterea inde constat, quia qui in aliquod Collegium ascitus est, eum dicunt Doctores eo ipso teneri ad illius honoré, & commodum tuendum, ita vt non possit saluo munere suo in ijs, quæ ad illud pertinent, non libere loqui quæ oportet: in quam sententiam multa præclare a Cardinali Albano piæ memoriæ conscripta fuerunt. [b]

B Ad quod etiam pertinere illud videtur, quod Salomon dixit: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneũ manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus proprijs sermonibus.* [c] Et infra: *Discurre, festina, suscita amicũ tuum: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ*, &c. Nam qui suscipit officium, obligat se ad illius executionem quãtum in eo est, & quodam modo spondet pro illo fideliter exercẽdo, constituitq. se illius curatoré, & defensorem.

Quod eo magis confirmatur, quia iurant ijdem Cardinales, cum hac dignitate exornantur expressis verbis, [d] honorem, & auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & D. N. Papæ se cõseruaturos, auctu

C ros, & promoturos: & in hanc eandem deinde sententiam, cum summus Pontifex eisdem galerum imponit, his vtitur verbis: *Ad laudem omnipotentis Dei, & sanctæ Sedis Apostolicæ ornamẽtũ accipe galerum rubrum, insigne singulare dignitatis Cardinalatus: per quod designatur, quod vsque ad mortem, et sanguinis effusionem inclusiue, pro exaltatione sanctæ fidei, pace, et quiete populi Christiani, augmẽto et statu sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, te intrepidum exhibere debeas*, &c. [e] Quamobrẽ quãdocumque interrogãtur a Papa de rebus ad Sedis Apostolicæ dignitatem pertinẽtibus, nõ possunt nõ respõdere syncere quod sentiunt, si muneri suo sollemni iuramento confirmato satisfacere volunt.

D Ex quibus sequitur in proposita quæstione de Cardinalium obligatione, eos præter charitatis vinculum, ad quod vt proximi erga proximum tenentur, prout supra diximus, iustitię etiam debito propter obligationem status, & fidelitatem suscepti officij ad id astringi, quod pertinet ad iustitiam, ita quòd obligatio, seu officium, quod antea erat generale erga omnes proximos, fit etiam speciale propter statum vitæ contractum, & arctius ligat ex lege iustitiæ iuxta qualitatem officij suscepti. [f] Hoc autem nec absonum, nec superuacaneum videri debet, vt scilicet duplici Cardinales vinculo ad id, quod

a S. Tho. 2. 2. q. 109. ar. 3. in corp. & ad 3.

b in tract. de Card.

c Prou. 6.

d in lib. Iuramentum.

e In lib. ceremon. sect. 8. c. 7. in fi.

f Dom. Ban. in 2. 2. q. 32. art. 6. vlt dubit. & q. 33. artic. 3. dubit. 1.

quod vere sentiunt respondendi munus teneantur, quandoquidem A nihil impedit, vnum, & eundem actum ad plures virtutes referri: [a] & quemadmodum constat acquirendi titulos posse multiplicari, [b] & plures debendi rationes simul posse concurrere, sic nihil repugnat, eum, qui charitate ad aliquod opus ducitur, eundem & iustitiæ lege ad id posse cõpelli: quod varijs exemplis Doctores declarant. [c]

Concludimus ergo vtroque capite hanc DD. Cardinalium obligationem niti, quod ex multis etiam summorum Pontificum constitutionibus facile colligi potest, qui hoc ad Cardinales proprie pertinere dixerunt, vt summa dicendi fide, ac veritate se in rebus necessarijs apud summum Pontificem gerant. Nam Nicolaus B IIII. dicit: *Eidem Romano Pontifici in omnibus, quæ pro tempore imminent, libere consulant, & assistant.* [d] Et in Libro Ceremoniali admonentur Cardinales, vt in consilijs, seu votis explicandis, solum Deum præ oculis habeant. [e] Et Pius II. hunc in modum Cardinales alloquebatur: *Ad Collegium Apostolicum vocati estis consiliarij nostri, & coniudices orbis terrarum, super quos militantis Ecclesiæ ostium voluendum est.* [f] Et Leo X. scriptum reliquit: *Liceat (vt par est) Cardinali cuique secundum Deum, & conscientiam suam libere, & impune quodcumque sentiat, dicere.* [g] Et Paulus IIII. inquit: *Cardinales vocantur in partem solicitudinis, vt assistant Romano Pontifici.* [h] C Et Pius V. vocat Cardinales *Templi Dei bases, Clarissima Ecclesiæ lumina, qui pro animabus populorum, pro fide, pro iustitia, pro veritate peruigilant.* [i] Et Sixtus V. præter multa de Cardinalium dignitate, & officio ait: *Proprium esse Cardinalium munus, assistere Christi in terris Vicario, eiq. in regenda Ecclesia Catholica consilium, et operam assidue præstare, atq. cum eo Ecclesiæ necessitatibus prouidere: ipsosq. tum ad id ex ipsius officij debito, tum ex sãctorum Patrum decretis teneri.* [k]

Quod deinde etiam in sacro Consistorio ab eodem Sixto nobis ipsis, & reliquis omnibus Cardinalibus audientibus fuit sæpius confirmatum, dum oblata occasione paterne omnes admoneret, vt libere vota sua proferrent, cum id de iure naturæ esse diceret, & a D nemine dubitandum, quin ex conscientiæ, & iustitiæ legibus quisque debeat, ac teneatur quod sentit respondere.

Nec repugnant quæ supra obiecta fuerunt: nam quod dicitur iustitiæ esse, reddere vnicuique quod suum est; Respondemus, hoc contingere dupliciter. Primo per modum imperantis, & dirigentis: & hoc pacto Principes, & qui iurisdictionem administrant, dicuntur iustitiam exercere. Secundo per modum executionis, & ita subditi reddunt vnicuique quod suum est. Vnde Cardinales cum persol-

[a] S. Tho. 2. 2. q. 32. artic. 1. ad 2.
[b] cap. post electionem. de concessio. prebend. Panor. & Fel. in c. in nostra. de rescrip.
[c] Nauarr. de reddit. Eccles. q. 3. c. 31. nu. 2
[d] c. fundamenta. §. decet. de elect. 6.
[e] Lib. 1. sect. 8. cap. 10.
[f] Lib. 1. Ceremon. sect. 8. cap. 6.
[g] In Bull. 11. fol. 193. in Bullar.
[h] in Bull. 8. fol. 578. in Bullar.
[i] In Bull. 93.
[k] in Bull. de anno 1586.

A persoluunt officium consiliarij, & dant fidele, ac rectum consilium Pontifici, tunc exequuntur quod iustum est, alioquin iniusti haberentur.

Ad secundum respondetur, quòd Cardinales ipsi suscipiendo publicum officium Cõsiliarij, obligant se Deo, Ecclesiæ, & summo Pontifici ad illud fideliter obeundum. Hæc autem obligatio est actus iustitiç; quç parit æqualitatem: æqualitas enim in eo consistit, quòd inter officium exercẽdum, & actiones illius personæ, quç illud officium suscepit, oportet seruari mutuam quandam conuenientiã, non quidem æqualitatis arithmeticæ, sed proportionis, vt vocant, B geometricæ, ita vt neque actio personæ excedat limites officij, neq. illos deserat, sed omnia sibi congrue, mutuoq. respondeant.

Ad tertium dicitur, Cardinales teneri, non modo ex eo iustitiç vinculo, quod respicit commune bonum, cui tuendo, & procurando se deuinxerunt, sed etiam quia ratio suscepti muneris hoc peculiariter exposcit, vt rectum, & fidele consilium Papç petenti administrent. Vnde arctius ipsi, & magis propriè ad huiusmodi cõsilia suggerenda tenentur, quàm reliqui omnes.

Et si quis replicaret, quandoque accidere, vt hæc consilia præ- C termittantur, non odio, non prauitate, aut vllo malitiæ genere, sed potius animi infirmitate, & summo obsequendi studio, quod eos vt nihil contradicant, nihilve Principi denegent, quodam modo cogere videtur; Respondemus, eos adhuc ab iniustitiæ culpa non abesse, cum Consiliarium oporteat, iuste munus suum exercere, constantẽ, & fortem esse, nec ab eo, quod ratio postulat, vllius aut gratiæ, aut obsequij, seu humanitatis specie diuelli: nã fortitudo, dum alterius, aut publicum, aut priuatum commodum procurandum est, ad iustitiam refertur.

Præterea, si videmus hoc iustitiæ tuendç decus tanti apud Gentiles habitum fuisse, vt, cum aliquando liceret culpam vel dissimu- D lare, vel errorem defendere, maluisse eos tamen pœnas etiã proprij corporis supplicio subire, quàm vt fraus iustitiæ legibus fieret, prout de Zaleuco, & Charonda litteris proditum est; [a] quid à Christianç religionis cultoribus, Ecclesiasticisq. viris, immo totius Ecclesiç primarijs Prçsulibus obseruandum erit, qui ad hoc iustitiç debitum fidem etiam publicam, quam uiolare nefas esse veteres nondum, diuino lumine illustrati censuerunt, [b] in purpura ipsa suscipienda, ad altare sacrum iureiurando adiunxerunt? [c]

a Cic. lib. 2. de legib. Laert. in Pytag. Stob. serm. 42.

b Valer. Max. de fide publ. c. 1. & seq.

c In d. lib. Iuramen.

An Cardinales, etiam non requisiti, teneantur ex natura officij sui, vbi res postulat, Papæ consilia subministrare.

QVAEST. VI.

QVOD a nobis supra conclusum fuit, Cardina- A
les duplici iure, tum charitatis, tum iustitiæ astringi ad consilia sua proferenda, intelligendum est, quando a Papa sententiam rogantur. At, Papa nihil petēte, dubitatio maior videtur, an, si ipsi nihilominus rē Ecclesiæ indigere putāt, debeant vltro se inferre, vt publicis necessitatibus, consilio, operaq. sua, quantum in eis est, subueniant.

DVBIVM enim id primum facere videtur quod dici solet, ne-
minem ad consilium nisi vocatum accedere debere, atque immatu- B
ra haberi ea consilia, quæ non postulantur; & videmus etiam quando leges decernunt aliquid in alterius fauorem faciendum esse, id sub tacita ea conditione intelligere, si ille, in cuius gratiam id faciendum est, vltro id fieri postulet.[a] Secundum, quia, cum dare consilium sit species quædam misericordiæ, hæc autem præstanda necessariò, non sit, nisi vbi miseria, & indigentia dignoscitur; propterea, quando Princeps a consiliarijs non requirit consilium, argumentū illud est, eum nullatenus illo indigere: & ideo nihil est, quòd tunc Consiliarij se inferant ad illud ministrandum, quod ministrari non petitur. Tertium, quia, cum summus Pōtifex longe plus alijs sapien-
tiæ opibus affluere censeatur, ad eumq. alij in rebus difficilibus, & C
dirimendis controuersijs confugiant, non videtur ille spiritualis huius eleemosynæ subsidio vllo pacto indigere.

VERVM si exactè res expendatur, veriùs fortasse illud inuenietur, vt ēt non requisiti teneantur ea, quæ necessaria bono publico iudicant, vltro denunciare; siquidem nō sunt ipsi ex eo Consiliariorū numero, quos solēt sibi Principes arbitrio suo adsciscere, mutare, & repellere, sed sunt potius eius ordinis Cōsiliarij, qui vel innati Principi ipsi[b] dicuntur, vel munus hoc eorum dignitati annexum habent, prout sunt multi Archiepiscopi, Episcopi, & alij Magistratus

a l. 4. §. hoc autem, de damno infecto.

b Boer. in addit. ad trac. de auctor. mag. cons. Ioan. Mōtan. num. 132.

A in varijs Regnis, & Prouincijs, qui ex humanis conſtitutionibus cum primum dignitates illas ſunt adepti, tamquam conſiliarij legibus inſtituti Comitijs, publicisq. alijs negotijs ad publicam vtilitatem intereſſe ſolent, ita vt quemadmodum quidam ſunt Legati, quos legatos natos Doctores appellant, quoniam eorum dignitatibus Legationis Apoſtolicę munus ipſo iure eſt adiunctum,[a] ſic videtur, Cardinales iam inde ab initio, quo eorum dignitas adiuuandam Sedem Apoſtolicam fuit inſtituta,[b] hoc conſulendi munere fuiſſe obſtrictos.

QVOD ſane, cum non ſolum propter ipſum Papam, ſed etiam B propter publicam Romanę Eccleſiæ, & omnium aliarum Eccleſiarum vtilitatem fuerit inſtitutum,[c] cenſentur Cardinales ſe quodam modo debitores dandi huius conſilij conſtituiſſe, ideoq. non poſſe, aut debere, etiam ſi velint, communi huic beneficio renunciare,[d] quominus Pontifici etiam nõ petenti conſilia ſua boni publici cauſa ſubminiſtrent, tametſi illis auditis totum ius ſtatuẽdi ipſi ſummo Pontifici relinquatur.

QVAE quidem cum ſanctorum Patrum conſtitutionibus maxime cõueniunt; nam, cum in ſeptima Synodo appelletur Bonifacius C conſiliarius Benedicti Papæ,[e] & Pelagius Papa vocet Theodorum conſiliarium ſuum,[f] & S. Gregorius Theodorum, virum eloquentiſſimum, dicat conſiliariũ ſuum,[g] Doctores hoc nomine eos de Cardinalibus ſenſiſſe communiter interpretantur.[h] Et quamuis aliqui alios fuiſſe eo tempore hos conſiliarios, alijsq. muneribus perfunctos exiſtiment, certum tamen illud eſt, Cardinales Romanæ Eccleſiæ ſemper coadiutores Papæ in executione officij ſacerdotalis extitiſſe,[i] proindeq. illius conſiliarios in regenda Eccleſia olim habitos fuiſſe,[k] & hodie non alios eius conſiliarios, quàm Cardinales ipſos agnoſci & nominari,[l] quos etiam modo Collaterales, ſiue adiu- D tores Papę, modo filios primi gradus, ſeu partem corporis eius appellatos eſſe ſcimus;[m] Quinimmo Doctores nõnulli, in primis graues, eos Senatorum, ſeu Decurionum, qui Reipublicæ erant conſiliarij, locum nunc obtinere tradiderunt.[n] Alij eoſdem primum in lege veteri Sacerdotes Leuitici generis, deinde in nouo teſtamento Apoſtolos, tertio loco domini Papæ conſiliarios, poſtremo S.R.E. Cardinales dictos fuiſſe, ſcriptum reliquerunt.[o]

QVAE cum ita ſe habeant, ſequi videtur quòd, ſi, poſtulante neceſſitate, hi Papam admonere, & conſilio ſuo ingenue, & intrepide iuuare prætermittant, muneri ſuo nequaquam ſatisfaciant, immo damnationis æternæ pœna teneantur, vt idem Auctor te-

a Panor. in c. 1. de offic. dele.
b Mart. Laud. tract. 1. de Car di. q. 34.
c c. bona, de poſtul. prel. Conc. Trid ſeſ. 25. de reform. c. 1. i fi.
d c. ſi diligẽti, de for. compet. cum ſimil.
e c. conueni. ntibus, 1. q. 7.
f cap. in parochia, 16. q. 1.
g c. Eccleſiaſticis, 12. q. 2.
h Lud. Roma. cõſ. 498. num. 16. & conſ. vlt. nu. 12. & ſeq. Barba. de præſtantia Card. q. 1. num. 24. Iacobac. de cõcil. lib. 1. num. 177. & 245. Card. Alb tractat. de Car. q. 4
i c. per venerabilem, qui filij ſint legit.
k c. fundamẽta, §. decet, de elect. in 6.
l front in Bullis ſummorum Pontif.
m S. Antonin. par. 3. tit. 21. de ſtat. Card. c. 1. & ſeq.
n Inn. c. cũ te, de re iud. p tex. in c. Eccleſia, 16. q. 1. Ludo. Ro. d. cõſ. 498. nu. 16. & ſeq.
o Roſerg. Toloſ. tract. de auctor. Card. c. 6.

[a] *Idem Rosterg. ca.7. & 10. S. Th. 2.2.q.62. art.7. Nauar. in Manuali.c. 11.nu.16.et c. 17.nu.18.*

[b] *Sub Leone X. sess.9.*

[c] *De Concil. li. 4.art.2.nu.29*

[d] *Gondis. Villad. de Card. q. 3.nu.15.et seq.*

statur.[a] Hinc in Concilio Lateranensi nouissimo scribitur: *Ad Car-* A
dinales spectat operum optimorũ cura: pro viribus laborabunt scire, quæ
regiones hæresibus, erroribusq. ac superstitionibus contra veram, & or-
thodoxam fidem infectæ sint, & vbi mandatorũ Ecclesiæ deficiet discipli
na. Et infra: *Hæc, & huiusmodi, scire, & Romano Pōtifici pro tēpore exi*
stēti referre operā dabũt, vt opportuna, & salutaria remedia talibus ma
lis, ac pestibus, vigilanti studio excogitari valeãt,[b] &c. Et similia legũ-
tur in Bulla Sixti Papæ V. dum Cardinales cōparat septuaginta se-
nioribus, qui multa deferebant ad Moysen, ēt non requisiti. Itē Moy
sen comparat summo Pontifici, illi autem Ietro socer consiliũ dedit
non requisitus. Ibidē dicuntur Cardinales primi socij laborũ, & con B
siliorum, & semper assistere Papæ, ne tanta mole succumbat, &c.
At certe non sunt perfecti socij, nec perfecte iuuant, si eo solũ mo-
mento se offerunt qñ requiruntur, prætermissis alijs temporibus qñ
summum Pōtificem laborare, & auxilio indigere perspiciunt. Hinc
ēt Iacobatius hoc scriptũ reliquit: *Et est officiũ DD. Cardinalium sem-*
per suadere Domino Papæ, vt ponat pacem, & quietem inter Principes
Christianos. Item pro reformatione Ecclesiæ, & ad extirpandas hæreses,
errores, & schismata.[c] Et Gondis. ait: *Cardinalis acceptando officium,*
quod principaliter in consulēdo versatur, tacitè videtur fateri se sufficiētē
ad illud: & quando Ecclesiæ vtilitas postulat, nō dēt prætermittere quod
muneris sui est.[d] Quòd si in cœlesti Hierarchia supremi spirituũ or- C
dines hominũ petitiones ad Deũ deferunt, certe Cardinales, qui Pō
tifici maxime propinqui inter Ecclesiasticos gradus sublimem lo-
cũ tenent, vbi alicui incommodo remedium adhibendum vident, il
lud illico ad eum, qui Dei locum in terris tenet, referre debent.

HIS ERGO sic constitutis, non obstat primum, quod diceba-
tur, neminem nisi rogatum, & rogantibus tantum consilia dare de-
bere; Nam respondemus: sicuti pro Reipublicæ vtilitate vniuersis
ciuibus competit actio, quæ popularis dicitur, ita, & multo magis
in eo, quod bonum commune attingit, ius consulendi, & publicam
causam iuuandi cuique permissum esse debet. Dicimus præterea, D
Papam, cum aliquem Cardinalem creauit, eumq. tamquã in specu-
la Ecclesiæ Catholicę positum sibi adiutorem ac socium laborum
adsciuit, eo ipso censeri semel in vniuersum ei mãdasse, vt ad se quæ
necessaria viderētur semper referret, ita vt perpetua dicatur hęc ius
sio, nec sigillatim repetenda, veluti etiam satis rogatos dicimus il-
los, quibus aliquid ex officio incumbit exemplo illius, qui obliga-
tus est ad eleemosynas distribuendas: nam semper rogatus intelli-
gitur, vt omnibus eas partiatur, quibus viderit expedire, siue pe-

tant,

A tant, siue non petant, alioquin peccaret contra iustitiam; sic consilium, cum sit spiritualis eleemosynæ genus.[a] ministrandum est ab eo, qui consiliarij munus sustinet, Principi etiam non petenti, dummodo eum indigere videat.

a S. Tho. 2.2. q. 32. art. 2. in corp.

ET quamuis dici soleat, legibus aliquid in alterius fauorē mandantibus, tacitam subesse conditionem si ab illo postuletur; attamē præter supradicta respondemus, quòd cum petitio propterea fieri soleat, vt petentis necessitas significetur, certe si aliunde ea dignoscatur, non erit necessaria petitio: quemadmodum dicunt Iurisconsulti, quòd quamuis Iudex officium suum non impertiatur nisi petenti;

B vbi tamen publica versatur vtilitas, aut notoria est necessitas, nō est alia petitio necessaria.[b] Sic etiam quando assessor publice constitutus, videt Principem suum, ea fortasse ignorare, aut in ijs errare, quæ ad gubernationem spectant, non est necesse vt expectet se a Principe accersiri, cum res ipsa, occasio, seu necessitas, loco sit postulantis, & interpellantis, atque ob id illius opera fuerit conducta, ipseq. Consiliarij nomen,[c] & munus propterea exerceat.

b l. congruit, de offic. præsid. Soc. reg. 197. 1. & 19. fallent.

c Glo. l. 1. C. de assessor.

NON obstat secundum: quoniam etsi Princeps expresse non petit, ipsa tamen Respublica, quę necessitate premitur, & rei euidentia satis interpellat, subsidiumq. loco ipsius Principis postulat. Vnde

C Cardinalis ad has publicas voces, communisq. boni periculum exurgere, seq. excitare debet, vt imminens damnum suo consilio, atque industria repellat.

NON obstat tertium: nam præter aliàs dicta, respondetur, proprium esse, vt etiam Gentiles scribunt, solius Dei non errare, homines vero sæpe labi, eidemq. humanę necessitati Principes, etiam sapientissimos, subiectos esse; hincq. sequi, papam quoque interdum alieno indigere cōsilio, & Cardinales ob id institutos, vt eum industria, ac solicitudine sua adiuuent. Huc accedit q cum ea, quæ sunt facti, etiā prudentissimos fallant, vt aiunt Iurisconsulti,[d] ac pro rerū

D humanarum varietate multa sint vsu ipso pusillis interdū notiora, quàm sublimioribus, non in ijs casibus loquimur, in quibus inferiorum consilia adiumēto maioribus esse possint. Quod a S. Augustino his verbis declaratum est: *In quo quisq. pauper est, ibi illum uide; quia tu in eo forte diues es, in quo ille pauper est, & habes unde accommodes. Forte membra tua accommodas, & plus est, quàm si pecuniam accōmodares. Consilio indiget, tu plenus es consilio. In consilio ille pauper est, tu diues es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis, das consilium, & præstitisti eleemosynam.*[e]

d l. 2. ff. de iur. & fact. ignor.

e S. August in Psal. 125. Qui seminant in lacrymis.

Ex ijs, quæ diximus quamuis sequi videatur DD. Cardinales ob-

strictos esse ad consilia Papæ suppeditanda, siue ea requirat, siue A non requirat, dummodo necessitatem agnoscant. Hæc tamen ita declaranda ducimus, quòd vbi consilia requiruntur, arctior tunc vrgere intelligatur obligatio, ita vt quotiescumque efflagitantur, pro veritate, & conscientia numquam omitti debere videantur. Vbi vero non petuntur, tunc antequam ad ea sponte danda Cardinalis accedat, quædam prius prudenter sunt examinanda, veluti: An antea de eadem, similive causa, & quo fructu cum Papa sit locutus: An tempus, locus, aliarumve rerum status, id tunc officij requirat: An potius opportunius differri debeat: B An ipsemet, qui suasurus est, acceptus, aut parum gratus esse soleat: An per alium commodiùs, oblataq. occasione id vtilius fieri posse existimetur: An alij Cardinales, & quo euentu, seu quam prospere idem tentauerint. Hæc & alia huiusmodi, quæ certa nequeunt lege præscribi, faciunt, vt ab hoc vltroneo consilio interdum differendo, eos excusari posse censeamus: vtq. si præstari nihilominus ea debeant, priuatim id potius, quàm publice agendum esse iudicemus.

FINIS PRIMAE PARTIS.

DE

DE SACRI CONSISTORII CONSVLTATIONIBVS

PARS II. QVAEST. I.

An propter ſupremam, atque à Deo immediatè pendentem ſummi Pontificis in vniuerſos auctoritatem excuſandi ſint Cardinales, qui nulla in re illi cenſent repugnandum.

A POST explicitas rationes, quibus DD. Cardinales ad ſubminiſtranda Papæ conſilia obſtringi videntur, offerunt ſe nunc multiplices dubitationes ex varijs impedimentis, ac difficultatibus exortæ, propter quas non immerito quæri poſſe cenſetur, an interdum ceſſet huiuſmodi obligatio. QVAEST. VII.

IN primis igitur excutienda difficultas illa occurrit, quando aliquid a Papa proponitur, quod aliorum auribus paulo durius, atque alienius videatur, an ſuprema, atque a Deo immediate pendens illius auctoritas poſtulet, vt ſtatim ei ſit acquieſcendum. Nam cum
B ex receptis ſanctorum Patrum auctoritatibus nemini liceat de prima Sede iudicare,[a] profecto qui rationibus ab eo adductis aſſentitur, aut quód a Pontifice propoſitum eſt non probat, is aliquo modo de eo iudicare videtur, qui a nemine iudicandus eſt, quippe qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerat in terris,[b] *Cum ipſa Petri Sedes*, vt ait Nicolaus III. *in Romano ſolio collocata libertate plena in ſuis agendis per omnia potiri debeat, nec ulli ſubeſſe homini, quæ ore diuino dignoſcitur eſſe prælata.*[c] Hincq; ſæpius veteribus Agathonis, Stephani, Gregorij, & aliorum ſanctionibus cautum eſſe ſcimus, vt ab illo probata irrefragabiliter obſeruetur,[d] nec quiſquam eis audeat

a cap. cuncta per mundum. il 1. 9. q. 3. c. ſi Papa, 40. diſt.
b c. quanto, de tranſl. Epiſc.
c c. fundamenta, §. ne autem de elect. in 6.
d c. enimuero c. nulli, 19 diſt.

contraire tamquam si ipsius Petri voce essent firmata. Quibus accedit, quòd cùm scriptum sit: *Cor Regis in manu Domini est, & quocumq. voluerit, inclinabit illud*,[a] non videtur Principum conatibus, licèt severioribus, esse obsistendum, quandoquidem eorum placita, diuina prouidentia regũtur, ac sacris litteris sępe monemur, populos interdum iniquioribus etiam Principibus à Deo committi ad illos coercendos, atq; erudiendos.[b] Quod si in sæcularibus Principibus locũ habet, quorum potestas à Deo quidẽ, sed populo mediante prodit,[c] quantomagis in summo Pontifice erit obseruandum, cuius auctoritas immediatè pendet à summo Deo,[d] & ad quem id pertinet, quod legimus: *Qui vos audit, me audit; & qui uos spernit, me spernit.*[e] Ex quibus argumentis indignum valde & absurdum censeri potest, si quis velit summi Pontificis dicta, ac pronunciata perinde ac reliquorum hominum sententias in disceptationem vocare. A B

Haec & his similia aliquorum animos possent mouere, vt Papę auctoritatem lędi arbitrarentur, quando res eius iudicio probata, & tamquam salutaris in sacro Consistorio ab eodem proposita, aliquibus impugnanda esse videretur.

Verum re diligenter considerata, quilibet sapiens (vt putamus) aliter planè respondendum iudicabit. In primis enim, cum aliæ sint res, quæ ad orthodoxã fidem, sacraq. dogmata, ac veteres Catholicę Ecclesiæ traditiones, receptosq. ritus pertinent, de his nihil in præsenti à nobis tractari constat, quę certa sunt, ac diffinita, nec in dubium in Consistorio vocari solent. Sunt alię res, quę ad Ecclesiasticam œconomiam, ac populorum administrationem pertinent, & quæ secum dubitationes non leues, ac difficultates in deliberando deducere solent: & propterea ad Consistorium vetere more à Papa deferuntur, vt de ijs suorum Consiliariorum iudicia scrutetur & exquirat. Quibus in rebus nec nouum, nec mirum est, magnas opinionum varietates sępe oboriri, cum etiam inter sanctos idem accidisse veterum exempla testentur,[f] quandoquidem, cùm hæc circa contingentia, quæ plurima sunt, & incerta versentur, credendum est omnibus consulentibus eundem in rebus illis finem esse propositum, nempe publicę vtilitati prodesse, tametsi media diuersa ab eis deducantur: quod nihil nec mutuę eorum consensioni, nec illorum muneri officit.[g] C D

Dicitur deinde, quòd Papa ipse in Consistorio dupliciter considerari potest, siue vt Princeps statuens, & qui suam vult plenã exercere potestatem, quæ nulli subditur (de quo etiam nunc non agimus) siue vt Princeps consultans, & deliberans: quæ propriè est quęstio

a Prou. 21.

b Iob 34. Ose. 13. Greg. li. Moral. 25. c. 16.

c Caiet. in tracta. de auctor. Papæ. ca. 1.

d c. ita Dominus, dist. 19. S. Tho. contra Gẽtil. lib. 4 c. 76. Aug. de Ancon. de Potest. Eccl. quæst. 1. art. 5.

e Luc. 10.

f S. Hieronym. epis. 60. S. Aug. epist. 8. & seq. S. Greg. Naziãzen. orat. 1. de pace, circa medium.

g S. Tho. 2. 2. q. 29. art. 3. ad 2.

A quæstio nostra: & tunc cum nihil ab eo tamquam certum & diffinitum proferatur, sed vt dubium, difficile, & nondum satis excussum, pleneq. examinatum; tantum abest, vt consiliarius, qui ex rationibus, quas iustas arbitratur, ab eius relatione in Consistorio habita declinandum putat, dicatur eius auctoritati reniti, vt potius censeatur pro eius dignitate obniti: pariterq. iudicetur potius illius vtilitati accedere, quàm ab eo, quod ex eius re est, velle vllatenus discedere. Non enim qui non statim assentitur, repugnare censendus est: sicuti nec rerum difficultates scrutari, pericula proponere, quid vtilius sit perquirere, publici boni vias indagare repugnare est, seu Papæ auctoritatem impedire, aut quodam modo suspendere; sed
B potius quasi onus graue ferenti, & lubrico in loco ambulanti, est adminiculum præbere, & opem ferre. Is vere repugnat, qui minime curat, quo iure, quave iniuria obsistat, aut contradicat: qui vero prudenter rerum momenta expendit, rationem ducem adhibet, & quod sibi æquius, ac verius visum fuerit, sequitur, hic nullo pacto contradicit, sed Principis auctoritati maxime seruit, cuius dignitatem, publiciq. boni patrocinium sibi tuendum proponit.

VNDE non obstat quod dicebatur, Summum Pontificem vicem Dei in terris gerere, nec licere cuiquam de prima Sede iudicare. Non enim, vt modo diximus, de his rebus agimus, quæ ab illius de-
C liberata voluntate proficiscuntur: nec illi, qui in Senatu sic respondent, id gerunt in animo, vt velint ab eius placitis iniuste dissentire; immo illud maxime agunt, vt ei obtemperent, dicentes ex illius iussu quod sentiunt, atque ea, quæ sibi recta, & salutaria visa sunt, explicare curantes.

QVOD etiam dicebatur, cor Regis in manu Domini esse; Respondetur, prçter varias sanctorum Patrum explicationes,[a] certum esse, quòd cum omnia diuina prouidentia administrentur, duoq. sint causarũ genera, naturale scilicet, & morale: naturalia quidem Deum
D auctorem agnoscunt, qui illarum executionem inferioribus causis ab eo constitutis tradidit[b] cum illis semper cooperando: moralium vero defectus, cum a solo hominis arbitrio integre proficiscantur, non in Deum, a quo malum culpæ non egreditur,[c] sed in hominem ipsum referendus est: permittit tamen Deus ea euenire, quæ voluntas permissionis a Theologis vocari solet, dicente S. August. *Non fit quidquam nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo.*[d] Licet autem hac ratione non Regum tantum, sed omnium etiam hominum corda in manu Domini esse dicantur, peculiariter tamen videntur sacræ Litteræ, cor Regis nominasse,[e] quòd id

a S. Hiero. in Abacuc. ca. 3. S. Ambr. psal. 118. serm. 14. S. Aug. de gratia, & lib. arb. cap. 21. S. Tho. 1. 2. q. 6. art. 4. ad. 1.
b S. Thom. 1. par. q. 22. ar. 3
c S. Tho. 1. 2. q. 79. art. 1.
d S. August. in Enchir. c. 95.
e Iansen. in Prouerb. c. 21.

id maxime ſit liberum,& alienæ poteſtati minus ſubiectum,quodq. fauente Deo, plus alijs poſſit Reipublicæ prodeſſe: ſubtrahente autem manum, plus alijs nocere.

ET quamuis rurſus ſcriptum legamus, eos, qui poteſtati reſi- ſtunt,Dei ordinationi reſiſtere,[a] & Principibus etiam dyſcolis tam- quam a Deo poſitis eſſe obediendum,[b] atque illorum edicta licet acerbiora,placide tamen,ſicut amara pharmaca ægrotis ſuſcipienda, quod illis ſalutaria interdum ſint euaſura: idcircoq. exiſtimari poſſe,non ſolum nihil errare eos,qui nulla ratione illis contradicendum putant,ſed magna potius laude dignos eſſe. Attamen reſpondemus non tractari nunc de Principis decreto iam deliberato, ſed deliberando,quando videlicet Princeps ob id conſilium ſuum conuocat, vt, accurate re inter eos examinata,ſtatuatur quid ſit agendum,& ſigillatim vnuſquiſque ſententiam ſuam aperiat. Nam ſi tunc id,quod conſultandum proponitur, minus rectum, aut vtile,aut honeſtum alicui videatur, quis dubitat,& ſummi Pontificis auctoritatem poſtulare,& Deo maxime placere, vt vnuſquiſque quantum in ſe eſt, ei refragetur, & futura incommoda impediat, ac quam ipſe publicam ſalutem putat, eam pro officij ſui munere adiuuet, & tueatur.

a Rom. 13.
b 1. Petri 2.

PARS

PARS II. QVAESTIO II.

An laudabilius sit in rebus a summo Pontifice propositis, intellectum suum cum humilitate captiuare propter eius eximiam sapientiam, ac supereminentem perfectionem, quàm proprium sensum aliter dictantem sequi.

A ALTERA surgit difficultas, quæ suadere videtur, id quod a summo Pontifice in Consistorio pronunciatur, statim debere vniuersorum assensum obtinere: idq. duplici præcipue ex capite, quorum Primum manat ab eximia illa Papæ sapientia, ac perfectione, quam omnes suspicere, & reuereri debent. Secundum, ex ea, quam quisque debet de sui ipsius ingenij infirmitate ac virium tenuitate opinionem conceptam habere. QVAEST. VIII.

NAM si veteres nondum lumine gratiæ illustrati, adeo magnorum virorum doctrinæ & grauitati deferebant, vt, loquente, exempli causa, Catone, reliqui cuiuscumque ordinis cum admiratione
B silentes, ab illius ore penderent, & quod a Pythagora prolatum affirmaretur, id nulla alia adiecta ratione, sola illius sapientiæ fama ratum haberetur; multo id magis erit obseruandum in summo Pontifice, quem Spiritus sanctus illustrat, spiritus veritatis suggerens omnia, atque omnia docens, ita vt quod ab illo in Consistorio proponitur, statim a Cardinalibus sine vlla aut excussione, aut hæsitatione ptobandum videatur.

Accedit, quòd, cum perfectum id dicatur, cui nihil addendum superest, in Papa autem summa sit perfectio, videtur illius esse, vt
C alios potius ducat, quàm ducatur. Vnde si aliquem melius quidquam eo sentire dicamus, simul & fateri videbimur, illum a prudentiæ apice abesse, quæ virtutum omnium est auriga.

EX ALTERA parte, cum maxime deceat vnumquemque de seipso parce, humiliterq. censere, nec sensui proprio, qui sæpe nos decipit, facile credere, moneantq. Sapientes, proprio iudicio tamquam pessimo consultore haudquaquam esse fidendum: tum vero id eis præcipue congruere solet, qui in consessu inueniuntur magnatorum, & Principum virorum, dicente Scriptura: *In multis esto*

quasi

quasi inscius, & audi tacens simul, & quaerens: in medio magnatorum A
a Eccli. 32. *loqui non praesumas*, [a] vsque adeo, vt si etiam ad loquendum inuitentur, ipsi tamen summam Principum sapientiam reuerentes, conentur potius se a dicendo abstinere; sicut de Hieremia legimus; qui nunciante Domino: *Prophetam in gentibus dedi te*, respondebat: b Hiere. 1. *A, a, a Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum*: [b] etenim sicut solis splendore stellarum lumen obscuratur, & offunditur; sic ad summi Pontificis oracula, dignum videtur, vt aliorum voces conticescant.

Ex his, atque huiusmodi alijs rationibus possent forte censere aliqui, DD. Cardinales non solum excusatione, sed etiam commendatione dignos esse, qui, proponente aliquid Papa in sacro Consistorio, illius sapientiae, & perfectionis eminentiae, vt par est, deferentes, animi sui sensum, quamuis aliter intus suadentem, in Papae sententiam flecterent, eiusq. iudicio simpliciter subscriberent. B

VERUM iuxta quaestionis statum supra a nobis firmatum, cum secus respondendum esse putemus, dicimus etiam obligationem illam charitatis, & iustitiae vinculis constrictam, qua DD. Cardinales consilia sua fideliter explicare tenentur, minime ex superioribus rationibus solutam, aut remissam esse intelligendam. Nam quod de eximia Papae sapientia dicitur, cui ab omnibus sit concedendum, quis hoc vnquam inficiabitur? Sed cum ad illam pertineat non solum ratio finis, sed etiam earum rerum omnium, quae sunt ad finem, C ita vt ex hoc sapientiae munere noscat Papa non modo suas omnes solicitudines, ac cogitationes in Deum, tamquam vltimum finem referendas esse, verum se etiam ad media quaecumque aptiora, & vtiliora deligenda teneri, quibus Christianae Reipublicae salus procurari, & augeri possit. Hinc dicimus, quando a Papa petuntur fratrum consilia, tunc eius sapientiae semina magis excoli, & fructuosiora reddi, cum hinc prouidentia, circumspectio, vigilantia, docilitas, aliaeq. insignes multae virtutes efflorescant. [c] Sed & amplius addimus, quando a Cardinalibus cõsilia syncera praebentur, eo ampliorem campum Papae aperiri, eiusdem sapientiae illustrandae, & stabiliendę, quandoquidem dum varias sententias, & cogitationes in medium proferũt, alliciunt illum, vt quae potior, vtiliorve futura sit, pro iudicij sui acumine discernat, atq. amplectatur. Vnde ait Salomon: D

c S. Tho. 2. 2. q. 49. art. 3. & seq.

d Prou. 1. *Da occasionem sapiẽti, et sapiẽtior erit.* [d] Quòd si quęrerent hi tantum consilia sua ad illius sensum accommodare, nec quod ipsi vere indicant, explicare, struerent potius illi periculum labendi, quàm veram recte & iuste definiendi viã demonstrarent: quod absurdissimũ esset.

HINC

A H I N C patet, diuersum valde esse, quod supra de Catone, & Pythagora obijciebatur, cum illi tamquam sapientes, & magistri doctrinam discipulis traderent, hic vero Papa res Ecclesiæ antequam eas stabiliat cum fratribus suis, ad eam, quam supra diximus, vtilitatem consultandas esse indicet.

Q V O D autem de supereminenti Papæ perfectione dicebatur; Respondemus, quòd cum perfectio dupliciter considerari possit,[a] tum ratione status, & officij, tum ratione personæ; ea, quæ pertinet ad statum, non in eo posita est, vt plena rerum omnium cognitione affluat, ac perfectam rerum deliberandarum scientiam, atque
B vsum teneat, quoniam hæc alijs quoque possent interdum esse communia: Verum in eo sita est, quòd vnius sanctæ Sedis Apostolicæ, summiq. Pontificis proprium est, atque supra alios omnes status eminentissimum, nempe, Quòd fides illius numquam debeat deficere:[b] Quòd de necessitate salutis sit, vt eum tamquam caput Ecclesiæ fideles omnes agnoscant[c]: Quòd ipse alios iudicet, & a nemine iudicetur:[d] Quòd tamquam agens vniuersale Ecclesiasticas omnes potestates veluti agentia particularia sua auctoritate contineat;[e] ac sine exceptione solus ipse omniũ peccata soluere, spiritualemq. in omnes iurisdictionem valeat exercere,[f] præter plurima alia huiusmodi, quæ plenitudinem illius auctoritatis amplis-
C simam, atque cumulatissimam ostendunt.[g] Altera etiam, quæ personæ dicitur, cum sit gratia gratum faciens, & in actu charitatis consistat, non necessario semper omnimodam prudentiæ politicæ virtutem secum exigit, qui in rerum publicarum gubernatione, & administratione, aliorum quoque opera & auxilio sæpe indigeat, cum videamus sanctis etiam viris nonnulla in alijs regendis quandoque defuisse,[h] & ideo aliorum sententias libenter auscultasse, eorumq. industria vsos fuisse: quoniam qui vere sapiens est, non multum laborat quemodocumque vtilitati publicæ prospicere possit, siue per veritatem, siue per occasionem, vt ait Apostolus, dum
D modo annuncietur Christus.[i]

S E D nec illud obstat, quod dicebatur, humilitatis officium postulare, vt aliquis alieno potius, quàm proprio tribuat iudicio; Respondemus enim, hoc limites suos habere iustitiæ, & veritatis, quos transgredi numquam licet: nam, vt ait sanctus Augustinus, *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod euitaras: nam quomodo est humilitas, vbi regnat falsitas?*[k] Humilitatis siquidem est, exteriores actus debita ratione moderari, & diuini fiducia auxilij potius charismata meliora æmulari.[l]

a S.Tho.2.2. q.184.art.4.

b Luc. 22.

c Extrauag. vnã sanctam.

d c.cuncta per mundũ.9 q.3.

e cap.duo.96. dist.

f cap.solita.de maior.et obed.

g c.per venerabilẽ, qui filij sint legit. c.patet. cap.nemo, c.aliud, & seq. 9.q.3 cap.ad Apostolica. de re iudic.in 6. Clem.1.de iure iuran.

h S.Tho.2.2. q.47.art.14. ad 1.

i Philip.1.

k S.Aug. de verbis Apost. serm.29.alias 31.& c.humilitatis.22.q.2.

l S.Tho.2.2. q.161.art.3. ad 3.

At si

At si homo honorem sibi a Deo tributum non intelligens, aduersus certam rationis, officijq. sui legem ineptæ submissionis studio operetur, comparat se tunc iumentis insipientibus, & similis fit illis,[a] cum scriptum sit: *Noli humilis esse in sapientia tua.*[b] nam vt scribit S.Gregorius: *Aliquando timor incompetens, humilitas creditur: & cum temporali formidine pressus quisque ad defensionem veritatis tacet, arbitratur quòd iuxta Dei ordinem humilem se potioribus exhibeat.*[c] A

a S.Tho.2.2. q. 161.art.1. ad 1.
b Eccle. 13.
c Lib. Moral. 32. c. 17.

QVINIMMO tantum abest, vt Consiliarius iussus a Principe sententiam dicere, debeat humilitatis specie prætermittere quod officij sui est, vt hoc ipso maxime ostendat se ab humilitate alienum esse,[d] dicente eodem S.Greg. *Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cum ad respuendum hoc, quod vtiliter subire præcipitur, pertinax nō est.*[e] B

d S.Tho.2.2. q. 185. art.1. ad 3.& art.2. in respons.
e S. Gregor. in pastor. par. 1. cap. 6.

QVOD etiam obijciebatur, sapientis esse, intellectum suum captiuare, quoties Princeps secus ab eo sentiat; Respondemus, non esse Principis opinionem, præsertim rem consultantis tamquam fidem, cui oporteat constanter hærere: siquidem fides nititur veritate infallibili. At Principis opinio potest falli: vnde non tenentur alij statim ad illius dicta intellectum suum captiuare, quamuis eo præcipiente, illius iussis exterioribus obtemperare compellantur.

SED præterea dicimus, sicut aliud est tempus loquendi, aliud tacendi,[f] sic in rebus Consistorialibus, alterum esse tempus antecedens, quo res proponuntur tractandæ inter DD.Cardinales consultandæ, & examinandæ: & hoc non esse tempus captiuandi intellectus, aut tacendi, sed loquendi, & sententiam suam syncere explicandi: quoniam adhuc res versatur in disputatione, & ad deliberandum de ea petuntur a summo Pontifice consilia. Alterum est tempus subsequens, quo res iam satis tractatæ & excussæ sunt, nec de ijs agit summus Pontifex amplius tamquam deliberandis, sed decreto suo illas firmat, & concludit, & tunc tempus aduenit pure obediendi, prout inferius suo loco latius persequemur.[g] Alioquin si quis diceret, priore illo tempore, quo petuntur consilia, intellectum esse captiuandum, is certe destrueret totam naturam deliberationis, frustraq. Consilia, & Senatus cogerentur, nec quidquam inter Consiliarios, & alios, qui absunt, ciues interesse. C D

f Eccle. 3.
g Infra q. 46.

POSTREMO, vt concludamus; illud meminisse oportet, Consiliarios nihil proponere summo Pontifici animo illum cogendi, aut compellendi, vt eorum dicta sequatur: satis enim norunt hoc se nequaquam posse, nec debere, sed tantum materiam cupiunt Papæ offerre, atque occasionem illi ministrare, vt quod eidem vtilius, tutius, ac sanctius visum fuerit, possit pro arbitrio suo ex pluribus ab

A eis propositis decernere:& ideo volunt ipsi potius ab eo duci,quàm illum ducere, cum videant ita eorum officio ac prudentiæ, tum etiam aliorum exemplo, atque vtilitati publicæ conuenire. Non omittimus etiam, quòd sicut Consiliarios decet, quæ illis occurrunt, magna tum fide, tum reuerentia profiteri: sic Principem ea patienter excipere, [a] & cum multorum viderit suffragia conuenire, Marci Anton. Imp. qui sapiens appellatus fuit, sententiæ non obliuisci, dicentis æquius esse, vt ille tot, taliumque amicorum consilium amplecteretur, quàm vt tot, talesq. amici suam vnius voluntatem sequerentur.

a c. si quando. de rescript.

B

PARS II. QVÆST. III.

An religionem, & debitum Papæ obsequium Cardinalis in aliquo lædere censeatur, qui rebus a summo Pontifice propositis consulendo dissentit.

C

CVM ad religionem pertineat, vt verus cultus, & obseruantia, tum interiori mente, tum exterioribus actibus non modo summo Deo exhibeatur, sed etiam excellentibus aliquibus illius creaturis propter quandam diuinitatis participationem eisdem communicatam, tribuatur; hinc dubitari posse videtur, illos, qui eam in dicendo libertatem sectantur, ex qua Papę, qui omnium D est dignitate, & potestate supremus, sententiæ obuiam eatur, dictave eius oppugnentur, a religionis, ac cultus officio discedere, culpaq. non vacare, & præsertim, quia Christiana religio postulat, vt non solum omnibus Ecclesiæ præceptis, eiusq. capiti, qui summus Pontifex est, obtemperemus, [b] sed alijs etiam obsistamus, qui eius voluntati repugnare conantur, ad quod præcipue Cardinales obstricti sunt, qui etiam cum sanguinis effusione, si oporteat, eam tueri debent. Vnde cum obsequi, & contradicere sint opposita, & Christiana religio postulet, vt Papæ obsequamur, religionem illi lædere dicentur,

QVAEST. IX.

b Extrauag. vnã sanctam.

dicentur, qui in consilijs dandis Papæ se obijciunt, eiq. cōtradicunt. A

VERVM cum satis supra ostenderimus, Cardinalem, qui id suadet, quod honestum putat, & vtile, tunc maxime implere partes suas; tuncq. vere dici ei parere, & obsequi, cum rogatus ab illo quid sibi videatur, detegit syncere ac reuerenter animi sui sensum.

ADDIMVS nunc, regulam extare, quidquid contra conscientiam agitur, peccatum esse. Propterea, si ponamus, Cardinalem, qui responsurus est, conscientiam suam, re bene examinata, omnino repugnantem rei propositæ sentire, affirmamus, ipsum adstringi officij sui, & conscientiæ vinculo libere quid sentiat, reuerenter tamen, proferre, quamuis eius iudicium a vero aberret, quod in ceteris quoque Consiliarijs dubio procul est recipiendum: nam res, quę B tunc proponitur a Papa, licet sui natura, aut indifferens, aut etiam vtilis, & bona sit; quia tamen vti noxia, & mala a Cardinali apprehenditur, eundem, si illam amplectatur (hoc iudicij errore posito) criminis reum facit. Et si dicas erroneam conscientiam potius esse deponendam; Respondetur nondum ei constare eam esse erroneam, & quòd Princeps ipse negotium ad consultationem detulerit, ex eo colligi rem esse dubiam, & difficilem, cum de huiusmodi rebus in quibus nobis ipsis satis non fidimus, soleat esse consilium.[a]

Quod igitur ad quæstionem propositam pertinet, cum idcirco Senatus conuocetur, & sententiæ singulorum exquirantur, vt quod quisque animo sensit, vere depromat; mirum non est, si inter diuersa multorum iudicia, aliqua etiam, quæ a Principis ipsius sensu C dissentiant, reperiantur.

[a] S.Tho.1.2. q.14.art.4.& q.44.art.2.

QVOD quidem nihil religioni detrahit: tùm quia hic non de causa fidei disceptatur, vt alias diximus, sed de ijs rebus, quibus administratio populorum continetur, & quæ varia sæpe hominum iudicia suscipere solent. Tum etiam quia satis Pontificem ille colit, qui suo consilio occasionem, & materiam ei præbet rectius ea deliberandi, ac definiendi, quibus Christiana religio propugnetur, atque amplificetur, simulq. Apostolica decreta facilius ab omnibus recipiantur. D

QVIBVS addimus, Consiliarij officium esse, libertatē loquendi cum cultu coniungere, & ita coniungere, vt, licet alijs satius sit fortasse tacere, Consiliarius tamē si vult suam personam sustinere, non solum possit, verumetiam debeat vbi opus sit Principi repugnare. Vt enim auri, quamuis vnum & idem sit, alia tamen est ratio, cum rude est, & alia, cum signatum; tunc enim non solum aurum, sed nummus est aureus, & pretium rerum, quæ emuntur, & venduntur:

eodem

A eodem modo Consiliarij licèt re vera Principi subiecti sint, tamen si sumuntur vt Consiliarij, & quatenus ad eos negotia a Principe deferuntur, alio modo debent cum ipso agere, atque alij ciues: decet enim ipsos libere suam sententiam proponere, &, si res id exposcat, iterum atque iterum replicare. Vnde tantum abest, vt qui sic loquuntur, & consilium suum licet a Principis consilio diuersum proferunt, dicantur religionem lædere, aut Papæ ipsi, qui religionis vertex est, debitum obsequium denegare, vt potius eo ipso censeantur eidem plurimum deferre; qui cum iusserit, vt ab omnibus id, quod magis expedire putabatur, libere pronunciaretur: satis etiam norat

B non eadem omnium solere esse consilia, ita vt si quid ab aliquibus alienum ab Principis sensu fuerit prolatum, hoc non ad minorem erga eum officij cultum pertineat, sed rei ipsius sit qualitas, quæ in consultationem venit, quæ Consiliarium compellit ita respódere,[a] vt muneri suo, ac publicæ vtilitati seruiat. Et præsertim, quia ipsa consiliorum petitio, quæ fit a Principe, aliquid politici dominatus referre videtur, in quo ciuium séntétiæ, liberaq. iudicia auscultãtur, cum in despotico ad nutum Principis, nemine repugnante, omnia peragantur.[b] Vnde scribitur, Tiberium veluti ioco nominasse Senatores, quandoque homines ad seruitutem paratos, quandoq. etiam indulgentissimos dominos, vt qui ad eius voluntatem se vbique de-

C flecterent.[c] Quod & summorum Pontificum constitutiones ostendunt: quæ cum admoneant, Cardinales vt secundum Deum, & conscíétiam libere, & impune loquantur,[d] satis colligitur, eas loqui in casibus difficilibus, & vbi potest esse suspicio, ne aliqui offendãtur: alioquin vbi nullum est periculum, quid opus est suadere libertatẽ in dicendo? sicut nec miles ad pugnam incitatur, vbi nullus est, qui obsistat: nec nauta ad remigandum vbi secũdo flumine cursus peragitur: sic nec Cõsiliarios admonere necesse est, vt libere dicant, quãdo res ipsa caret cõtrouersia, seu quando quod Princeps proposuit, id statim omnibus optimum ac saluberrimum esse clare se ostẽdit.

D NON desunt preterea vetera multorum, tum prophetarum, tum sanctorum Patrum exempla, qui suo nos instituto docuerunt recte licere aliquando a Principum placitis dissidere, nec id eorum cultui quidquam prorsus abrogare. Inter quæ sufficiat illustre illud exemplum quod in Act. Apostolorum legitur de Petro, & Ioanne, quibus cum denunciarent Principes Iudæorum, ne ea de Christo Domino prædicarent, ipsi responderunt: *Si iustum est, in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate: non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.*[e] Quo loco nullum uerbum exasperans,

a *Turrecrem. c. ideo. dist. 4. col. 2. & 10. ad 2.*

b *S. Tho. in 1. q 81. artic. 3. ad 2.*

c *Corn. Tacit. li. 3. Plin. Min.*

d *Nicol. III. c. fundamẽta. § decet, de electio. in 6. Leo X. in Concil. Lateranen. sess. 9. in Bulla reform. Curia.*

e *Act. 4.*

nullum impatientiæ, aut detractionis signum animaduertitur, sed cum summa modestia, summa etiam tuendæ veritatis constantia, & officium dignoscitur: sic etiam S. Hieronymus admonet: Si quando malum illud est, quod præcipit Præses, responde ei illud Apostolicum: *Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus*.[a]

[a] *Act. 5. c. Imperatores, dist. 9.*

E x quibus omnibus facile erit colligere nihil ea obstare, quæ initio quęstionis obiecta fuerunt, cum hic de his rebus agamus, quę in consultatione versantur ad iuuandam magis Sedis Apost. dignitatem, ita quòd quidquid a Consiliarijs dicitur id totum eo postulante, aut patiente, ac permittente dicitur, atq. omnia de ipsius Principis voluntate, atq. auctoritate examinãtur, quippe qui ex illa responsionũ varietate magnũ fructum capere poterit ad rem cõsultius decernẽdã, cuius definitio ipsi omnino integra, absolutaq. relinquitur. B

N e c quemquam moueat quod dicebatur, tantam deberi Principi obseruantiam, vt nefas videatur illi repugnare. Nam dicimus: si ipse tantum consideretur vt Princeps, fortasse non erit prudentis saltem sine graui causa illi aduersari. At vero si perpendatur non solum vt Princeps, sed vt Princeps qui consultat, tunc Consiliarij munus erit exhibere illi summam obseruantiam vt Principi, & dare ei fidele, & liberum consilium vt Principi, qui consilium petit. C

A d id quoque, quod objciebatur, obstrictos esse Cardinales etiam cum proprij sanguinis effusione obsistere alijs, qui Papæ refragantur, nedum ipsi aduersari; Respondetur, verum id esse, quando post rem a Papa deliberatam se illi opponerent: nam tunc contra eum seipsos sisterent: at vero quando consilium ab eis quæritur, tunc aperte respondere, non est obsistere, sed potius parere. Quando etiam sic responderent, vt supremam eius auctoritatem minuerent, tunc in aduersantium numero haberi possent: sed si in rebus differendis sic respondent, vt Papæ in decernendo auctoritatem illustriorem, & omnibus acceptiorem reddant, tantum abest vt eidem aduersari dicantur, vt eo ipso illorum erga eum obseruantiam, atque obedientiam maxime testatam relinquant. D

D e n i q v e quod dicebatur obsequi, & contradicere esse opposita, nec vere obsequentem Papæ eum dici posse, qui illius voluntati quoquo modo repugnat, dicitur minime obstare, si consideretur, Cardinales obsequi Papæ, tum quando præcipit, tum quando ab ijs petit vt respondeant quod sentiunt: quamuis enim verbis dissentire ab illius sensu quodam modo videantur, re ipsa tamen eidem obsequuntur, qui id, quod sibi vtile videtur, aperte ei prout iussum ab eo fuit, denunciant.

PARS

PARS II. QVÆSTIO IIII.

Quando Cardinales cupientes obedire Papæ ſe a dicendo abſtinerent, eo quòd gratius illi futurum cenſerent, eos ſilere, quàm loqui, an venia digni eſſent.

A CVM obedientiæ laus in eo maxime verſetur, vt Maiorum voluntatem quomodocunque ea nobis ſiue expreſſe, ſiue tacite innoteſcat, alacri ac prompto animo exequamur,[a] quamuis etiã ſenſui noſtro dura, atque repugnans videretur, prout exemplum Abrahæ filium ſuum ſacrificare conantis euidenter oſtendit;[b] poſſent forte interdum Cardinales aliquibus ex coniecturis, aut argumentis eã eſſe mentem ſummi Pontificis interpretari, vt cuperet eos potius tacere, quàm a rebus propoſitis palam diſſentire, proindeq. quoniam illum conſtat eſſe Vicarium IESV CHRSITI,[c] hoc eſt ſummum Prælatorum omnium ſuſpicari, nihil melius, aut ad obedien-
B tiæ virtutem accommodatius eos facere poſſe, quàm ſilentium tenere, & ſe illius etiam tacitæ voluntati totos ſubmittere.

QVAEST. X.

a S.Tho.2.2. q.104. art.1.

b S.Tho.2.2. q.104. art.4. ad 2.

c cap. 2. §.1. de transl. Epiſ.

VERVM quoniam ex varia huius quæſtionis acceptione, aliter atque aliter reſponderi poſſe putamus, ideo ſtatus illius in primis clare conſtituendus erit, cum triplici modo id, quod in themate proponitur, accidere poſſe videatur. Primus eſt, cum exiſtimaretur optari generaliter a Papa, vt qui in Conſiſtorio ſunt, conſentanea eius voluntati reſpondeant, &, ſi ſecus ſentiant, ſileant potius, quàm diuerſa ab eo loquantur. Secundus eſt, cum aliqui ſibi perſuaderent a ſeipſis peculiariter optari ſilentium. Tertius eſt, cum nominatim
C Papa aliquibus ſilentium certo tempore, aut certo in negotio indixiſſet.

AD primum, antequam reſpondeamus, illud præfamur, veriſimile quidem eſſe optare Principes, quod & reliqui homines ſolent, vt ſecum alij ſentiant potiùs, quàm diſſentiãt. Verum, quoniam pro humanæ naturæ varietate, vſu venire videmus, vt non omnes eiuſdem ſemper ſint iudicij, ac voluntatis; hinc dicimus, quod ad rem

nostram spectat, verisimile non esse, Papam summa sapientia præditum, qui optime nouit ingeniorum diuersitates, & Consistorij locum ad singulorum iudicia exquirenda destinatum esse, quærere deinde vt Cardinales eo conuocati sileant potius quàm diuersa ab illo pronuncient. Nam qui solitus est illos Consiliarios suos non solum nominare, sed profiteri etiam, se de eorum consilio graues res decernere, quomodo credetur, nunc mutata prorsus ratione, nihil huiusmodi nec loco, nec personis, nec veteri tribuere instituto? & præsertim quia coniecturam hanc de illius mente facere, nihil aliud esset, quàm illum calliditatis, & duplicitatis insimulare, vt qui consilium aperte postulans, nolit tamen secum in respondendo liberaliter agi, & qui clara voce Cardinales interpellans ad loquendum, tacite eos ad tacendum vrgeat: quod de summi Pontificis sanctitate suspicari est maxime absurdum. Demum, quia cum summus Pontifex, cui pro eximia rerum cognitione, atque auctoritate multiplices rationes non defuissent ad negotium constituendum, hanc tamen præ ceteris delegerit, vt causa ad Consistorium delata, singulorum iudicia de more exploraret, existimandum est, eum nihil minus, quàm huiusmodi commentum non necessarium, quo Cardinalibus illuderet, excogitasse. A B

SED demus nunc sic Cardinales existimare, eo quòd multa ab illis obseruata fuerint, ex quibus non dubia signa voluntatis Papæ extare videantur; Respondetur, potuisse illum mutare voluntatem, immo apparere de illius mutatione, cum nunc præsentibus Cardinalibus in Consistorio a singulis petat quid eis videatur, & cum de priore voluntate nihil certum dici possit, quoniam multa, quæ supradicta sunt, ei probabiliter repugnant, præsentis autem voluntatis clara, & euidentia signa sint ex verbis ab eo prolatis, quibus singulorum sententiam exposcit: quandoquidem nulla est maior mentis significatio, quam verba ipsa;[a] propterea regulam esse, incerta certis cedere debere.[b] Nam, vt aiunt Iurisconsulti, iudicandum est secundum ea, quæ foris patent, non secundum ea, quæ occulta sunt, & mente retinentur:[c] alioquin, si liceret inferiori tales sibi notiones de Prælatis suis, quando ei aliquid præcipiunt, formare, actum esset de omni obedientia: nam diceret vnusquisque alium sensum, quàm eum, quem verba Prælati indicant, tacite sibi innotuisse. C D

[a] Arist. lib. 1. Perihermin. in princ.
[b] l. continuus. §. cũ ita. ff. de verb. oblig.
[c] l. illicitas. §. veritas. ff. de offic. præsid. l. cogitationis. ff. de pœn. multa Cato apud Gell. lib. 7. c. 3.

NEC enim Christianis auribus callida illa, ac nimis fallax eorum, qui Politici dicuntur, vox est admittēda, qui carnalis prudentię regulis innixi, aliter Principibus pro loco loquendum, & aliter sentiendum,

A tiendum, aut agendum putant, addentes eos, qui simulare nesciunt, nescire etiam regnare. Nos certe prudentiam, circumspectionem, & cautionem non tollimus, sed dolos, & fallacias, & insidiosas simulationes, religione, quam nos colimus, indignas prorsus repudiamus. Absit enim vt peruersæ hæ cogitationes a morali etiam philosophia damnatæ in Christianum pectus, quod templum Spiritus sancti est, & summam cordis munditiam requirit, vmquam irrepant, nosq. proinde, cum aliquid a Prælato expressim iussum esse audierimus, ne minimum quidem de alia illius mente & proposito disputandum esse statuamus.

B ACCEDIT, quòd quamuis etiam de clara summi Pontificis mente, eaq. minime mutata constaret, adhuc tamen non liceret bono Cardinali, si eam pro conscientia sua publicæ causæ repugnantem sentiret, aliter quàm fides, & officium postulet se gerere: ideoque e loco suo minime conticescere, sed clare, & syncere sententiam suam proferre. Nam si obijcias illum, cui voluntas superioris innotuit, obedientiæ lege teneri, ei adhærere; Respondetur, id non ad qualemcumque voluntatem, sed præceptiuam pertinere,[a] alioquin nihil aliud hoc esset, quàm omnimodæ assentationi viam aperire, ac se in omnes formas ad alterius arbitrium turpiter vertere, quo quid indignius, aut iniustius excogitari potest? Deinde dicitur valde diuersam esse subditi, & Consiliarij conditionem; siquidem subditi est superiori suo (generatim loquendo) in illis rebus, in quibus subditus est, ac iuxta rationem dominij, quo tenetur, simpliciter obedire.[b] At Consiliarij natura, & munus postulat, vt rem discutiat, examinet, & quid vtilius videatur, in medium afferat. Cum igitur Cardinalis fideliter respondet, non solum partes veri Consiliarij exequitur, sed etiam obedientiæ legem implet, qui iussus a Papa, vt consilium suum explicet, prompte & vere id præstitit, neque officiũ voluit propter incertas, atque occultas coniecturas deserere.

C

D DE secundo casu, quando aliqui sibi in animum induxissent ab ipsis peculiariter silentium optari, videndum in primis esset, vnde illis hæc orta fuerit suspicio; an ratione negotij, quod geritur: an propriæ personæ, quæ parum ei grata esset: an ex alijs extrinsecus aduenientibus causis: quæ quoniam sæpe inanes, futilesque deprehenduntur (quandoquidem Principes quando aduersus aliquos commouentur, solent non tecte, & obscure, sed clare eos officij sui admonere) ideo vt plurimum contemnendæ videntur: præterquàm quod verendum istis maxime esset, ne ex eorum taciturnitate in publica causa alijs scandalum præberetur, præsertim

a S.Tho. 2.2. q.104. artic.5. ad 2.

b S.Tho.2.2. q.104.artic.5.

si nullam afferrent silentij sui causam, quam non videmus, quàm A decore, salua veritate, possint adducere, ita vt suspicandi occasio non præbeatur, ægre pati Principem veritatem depromi, ac nolle Consiliarios libere loqui ea, quæ communi bono expediant.

SED illud præterea addimus, valde cauendum esse, ne falsa obedientiæ specie isti, qui silent, seducantur. Nam cum sapienter coram Pontifice, sacroq. Collegio Cardinalium, & præsertim extempore, vt sæpe accidit, loqui, ac sententiam suam omnibus audientibus apte pronunciare, non leue sit negotium, mallent multi, si eis liceret, alios auscultare, eisq. dicendi locum concedere, propter discrimina multa, quæ ab vnoquoque in dicendo iuste timeri B possunt. Vnde cum obedientiæ laus non ijs tantum, quæ commodum afferunt, sed in ijs, quæ displicent, atque oneri sunt exequendis, maxime declaretur,[a] cauendum est, ne aliqui silentij portum, vt tutum studiose affectantes, eo se obedientiæ prætextu recipere profiteantur, quo proprij commodi studium eos perducit.

[a] S. Tho. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 2.

TERTIVS est casus, quando aliquibus nominatim a Papa silentium esset indictum: & hic dicimus illius iussionem non solum iustam tacẽdi excusationem, sed etiam omnimodam acquiescendi necessitatem, ac proinde debitæ obedientiæ meritum afferre. Quod tamen vix vnquam nisi maxima ex causa cõtingere debere existimandum est. Atque hoc quidem casu possunt rationes initio quæstionis huius obiectę locũ habere Principibus enim, & summo præsertim C Pontifici obedientiam prębendam esse, quando ille aliquid faciendum præcipit, nemo sapiens negat; vnde sicuti quando in Consistorio consilium ab eo postulatur, si Consiliarius libere, fideliterq. id proferat, tunc maxime Principis iussioni obtemperat: sic quando Princeps eidem silentium imperaret, partes eius erunt humili taciturnitate debitam illi obedientiam testari, iuxta ea, quæ alibi latius prosequuti sumus.

PARS

PARS II. QVÆSTIO V.

Quid, si Princeps affirmaret, se habere iustas, & validas causas aliquid faciendi, quæ tamen alijs ignotæ essent: An Cardinales responsuri, deberent illius propositioni acquiescere?

A QVAMVIS de DD. Cardinalium, quos sibi summus Pontifex Consiliarios, atque assessores adsciuit, summa fide, atque in arcano tegendo custodia minime sit dubitandum, quoniam tamen ea emergunt interdum negotia, quæ arctissimo silentio (temporum conditione ita postulante) muniri oportet, & quod in magno Senatorum numero palam diceretur, in alios forte dilabi posse timeretur, propterea compellitur quandoque Princeps, vt publicis necessitatibus eo cautius occurrat, non omnia omnibus patefacere, nec integrum animi sui sensum palam alijs aperire. Exempli causa, si de bello suscipiendo: de classe instituenda: de QVAEST. XI.
B synodo indicenda: de commigrando ex Vrbe: de nouis extra ordinem Cardinalibus creandis: de tributis subsidiarijs imponendis, aut de alijs huiusmodi ad Consistorium Papa deferret, nec certas vllas animi sui rationes exprimeret, sed generatim tantum iustas, validasque se ad id decernendum causas habere affirmaret; quæritur quæ sint tunc Cardinalium partes in consilijs ferendis.

QVOD certe non leuem habet difficultatem. Nam cum, vt dici solet, ex facto ius oriatur, & sapientis sit secundum ea, quæ proponuntur, respondere, primumq. illud ac solidum consulen-
C di caput sit, rem, de qua agitur, bene cognitam, atque exploratam habere; vtique cui aliquod negotium rude tantum atque informe proponitur, nec finis quorsum id fiat, nec medium qua ratione exerceri oporteat, nec alia huiusmodi ad id necessaria explicantur; diuina re quidem, & coniecturis nonnulla persequi fortasse ei licebit; ceterum constans aliquid, prudenterq. excogitatum in medium afferre, nimis graue, atque difficile vnicuique futurum esse non est dubitandum. Etenim si ad humanas actiones perficiendas certo

a S. Tho. 1. 2. q. 1. ar. 1. & 2. b S. Tho. 1. 2. q. 7. Arist. 1. de anim. tex. 3. & Ethic. li. 3. c. 1.

iudicio, atque electione opus est,[a] ad easq. tum constituendas, tum dijudicandas ipsa accidentia negotij tantum momenti habere solent,[b] vt ex earum varietate; status rei plurimum immutetur, ac deliberatio si qua capienda sit, inde potissimum pendere soleat, quis ausit de arduo negotio circumstantijs omnibus spoliato, & tamquam corpore membris lacero, certum sibi consilium, constansq. iudicium polliceri? A

ITAQVE quemadmodum pictor licet sit peritissimus, nulla ratione potest in tenebris imaginem egregie pingere, sed necessario si vult pro dignitate in munere suo versari, debet lumen adhibere, quo possit ipsam picturam, omnesq. illius partes penitus perspicere, colores intueri, & quid cuique parti expediat, tum oculis, tum etiam mente, & ratione percurrere: eodem modo Consiliarius, quantumuis ingenij acumine, & prudentia excellat, nullo modo poterit suo officio satisfacere, immo iacebit in tenebris, si rem ipsam, de qua agitur, illiusq. caussas notas non habet: ipsa enim rei cognitio est veluti lumen, sine quo fieri non potest, vt quid Principi magis conducat, animo cernat; neque aperte vtilitates, aut detrimenta videat, quæ possint ad Rempub. peruenire; neque argumenta, & rationes firmas inueniat, quibus hanc partem probare, & illam improbare queat. B

SED dices, iam Principem generatim rem ad Senatum deferre. At vero non id satis videtur: idem enim est, ac si quispiam vellet, vt architectus de structura suarum ædium iudicium faceret, occluderetq. illi ianuam, ne posset in illas ingredi, earumq. atrium, ceterasq. partes considerare: aut, si quisquam alius pretium alicuius clarissimæ gemmæ ab artifice nosse vellet, eamq. integumentis inclusam eidem ostenderet, nulloq. modo gemmam ipsam ex illis pateretur euolui. C

ATQVI non negamus quidem ad generales huiusmodi propositiones, generales etiam responsiones certo modo posse accommodari, veluti si de bello suscipiendo ageretur, liceret vtique in contrarium ærarij inopiam, commeatum penuriam, militum direptiones, & alia eius generis in medium proponere. Verum cum hæc rei caput non satis attingant, non posset ex his certa, vt oporteret sententia proferri. D

AT si dicas, non esse ex Principis commodo integre omnia, quę ad rem pertinent, palam aperire. Dicimus, aliud esse, quid Principi in re sua expediat: aliud, quid Consiliarijs (vt bene respondeant) notum esse oporteat: non enim vrgemus Principem, vt necessario sem-

per

A per omnia cum pleno eius Senatu conferat, cum quædam paucioribus interdum, ac secretiori consilio tantum fidenda esse, rerum vsus satis doceat: quod etiam Carthaginenses, & Aetolos obseruasse, atque Augustum factitasse supra commemorauimus.[a] Verum dicimus id, quidquid sit, totum, atque integrum a consiliarijs percipiendum esse, si sanum, atque perfectum ab eis consilium est expectandum.

[a] *Liu. lib. 32. & 35. Dio Cassius lib. 52. in princ.*

At si replices, nec satis hoc tutum putari, vt intima illius negotij quamuis paucis a Principe aperiantur. Tunc quid aliud quàm miserabilem temporum conditionem deplorare licebit, quæ nec paucos syncera fide, atque prudentia viros Principi suo fidos iunge-
B re valeat?

Qvando igitur sic Princeps constitutum haberet, generales tantum illas causas rei gerendæ, & non alias ad consilium suum deferre: veremur maxime si deinde Princeps singulorum sententias velit exquirere, ne sibi ipsi hæc Principis interrogatio refragetur. Aut enim nouit ipse se plane veras, efficacesq. rei exequẽdæ causas habere, & tunc nihil est cur alios consulat, quando consultatio ad res dubias pertinere solet. Aut vero nec ipse iudicio suo tantum fidit, quominus labi, decipive in re præsertim ardua posse vereatur, & tunc sicut ægri est sanitatem cupientis omnes vulnerum sinus
C & symptomata medico detegere: sic ad salutares deliberationes suscipiendas, qui non plene quidquid ad rem pertinet, patefacere consiliarijs studet, grauioribus se proculdubio semper periculis exponit.

Consiliarius vero si in sola Principis auctoritate, qui se iustas habere causas profitetur, acquiescendum putet, ille sane non veri Consiliarij munus implere existimari poterit: siquidem aliud est certis, peculiaribusq. rationibus, quod Cõsiliarij proprium est, quidpiam approbare; aliud aliorum placita nullis rationibus præeuntibus imitari; Sic testes, vt Iurisconsulti aiunt,[b] ex proprio, non alieno sensu fidem facere debent, & primum sapientiæ gradum occupare ille di-
D citur,[c] cui venit in mentem illud, quod opus est, atq. consulit quod in rem sit, non qui aliorum inuentis bene se credere existimantium credulus ipse adhæret.

[b] *l. testiũ. vbi Bal. C. de testi.*

[c] *Cicero pro Cluen.*

Atqvi non negamus quidem Principis sententiæ, qui rem pro comperto se habere dicat, plurimum pro eius sapientia, ac rerum vsu esse tribuendum, sed tamen quod ad Consiliarium attinet, aliud est eum sola auctoritate proponentis, aliud rationibus a re ipsa sumptis duci: aliud propria, aliud aliena fide dirigi, & permoueri,

ueri, cum illius sit non tam spectare quis ante eum loquatur, quàm quid omnino loquatur. A

QVAPROPTER, vt aliquid concludamus, videmus sane a Consiliario plus requiri nō debere, quàm vt ad rem propositam pro modo propositionis respondeat, hoc est ad generalia generatim, ad particularia particulatim: Principis enim sensus, & si quid occultius parat exquirere, illicitum, & anceps dici solet:[a] sed tamen, quia interdum implicitæ sunt propositiones, atque dura nimis ad Principis interrogationem responsio videri posset, si diceret Consiliarius, se nihil habere quod ad rem sibi non cognitam respondeat, ac tacite ægreferre videretur, secum non omnia negotij arcana conferri: quod cauendum valde existimamus, cum Principis dignitati honorificis verbis semper sit seruiendum. B Propterea censeremus, eum, nisi quid melius ei pro negotij conditione tunc occurrat, saltem debere generalia illa, quæ ad rem pertinere possunt, pro sua prudentia Principi consideranda proponere: ceteris vero, quæ sibi non liquent, tamquam in re dubia abstinere quidem, sed desiderium tamen, quo tenetur ostendere, & Principis iussui, & muneri suo aliàs commodius, si tempus patietur, satisfaciendi. Hac enim prudenti moderatione, quæ medium quoddam iter tenet inter præfractam contumaciam, & turpe obsequium, Consiliarius tuto officium suum explere videtur, & ita multos clarissimos viros sua consilia temperasse legimus.[b]

a Corn. Tacit. lib. 4.

b Corn. Tacit. lib. 4. & 17.

PARS

PARS II. QVAESTIO VI.

Cardinales, qui sibi persuasum haberent, Papam iam in animo statuisse quid velit facere, eumq. sententiam minime mutaturum, & ideo se dissentiendo nihil profecturos, an tacendo essent excusandi.

A INTER multiplices tacendi excusationes, nulla fere frequentius se offerre solet nonnullis, hac ipsa, de qua in præsenti agimus: ideo paulo diligentius hoc argumentum non hic tantũ tractãdum, sed alibi etiam, prout occasio feret, alijs, atq. alijs rationibus erit repetendũ,[a] vt tã quam perniciosa quædã radix Deo adiuuante euellatur, & persuasio huiusmodi non solum inanis, ac contemnenda declaretur, sed etiam plena detrimenti, quæ omnem vim consilij auferat, prudentiæ neruos elidat, & consultationis vtilitatem prorsus abscindat. Nec vero admodum miramur eos, qui sibi certo persuaserint, se nihil verbis suis profuturos, libenter se a dicendo abstinere. Sic enim natura comparatum est, vt fructus spe omnes alãtur, inutilesq. labores quisq. refugiat. Verum id simul veremur valde, ne decora latentis mali species multos deceperit, qui quàmmagna incommoda ex hoc veluti fonte exoriantur, non satis inspexerint, quæ nos certè patefacere, atque explicare conabimur. QVAEST. XII.

B

[a] Agitur in q. 15. & 22.

Tria igitur hic se examinanda offerunt: Primum, Papam iam in animo suo statuisse quid velit facere. Secundum, eùm sentẽtiam mutare minime solere. Tertium, eos dissentiendo nihil profecturos.

C QVOD igitur ad primum pertinet, concedere volumus, Papam iam in animo suo decreuisse, quid velit facere: sed id addimus, quòd cum potuisset ipse pro summa sua sapientia aliam eius rei perficiendæ rationem inire, maluisse eum tamen negotium ad Consistorium de more deferre. Et hic quærenda in primis est ratio, cur ita facere voluerit, quæ cum multiplex esse possit nos sane sicut de Deo scriptum est, Sentite de Domino in bonitate; sic de illis, qui viuam quandam illius imaginem in terris gerunt, sentiendum esse

puta-

putamus. Quoniam tamen aliter, atque aliter humana iudicia ferre solent, nos dicimus, quantum ad rem nostram pertinet, plane apparere; nondum integrum, perfectumq. Papæ consensum in rem, quam consultandam proponit, adesse. Homo siquidem secundum varias animi affectiones, varie interdum eodem tempore mouetur,[a] simulq. potest in plura mentem intendere, etiam sibi non inuicem ordinata,[b] quod inde oritur, quia non vna est tantum, & perfecta voluntas, quę ex toto velit: nam tunc ex toto imperaret, & iam plena, & completa esset: vt sanctus Augustinus tradit.[c] Verum sunt quodam modo duæ voluntates, siue duo actus eiusdem voluntatis, alter qui vellet rem prout in eius mente concepta fuit; effectum sortiri: alter qui vellet, vt antequam promulgetur, aliorum etiam sententiæ concurrerent; vnde antequam hoc fiat, non potest voluntas dici completa, & absoluta,[d] siquidem duplex est actus deliberationis, alter interior in mente, qui est reuocabilis: alter exterior in opere, qui est irreuocabilis: cumque interior ille sit exterioris præparatorius, ideo donec is effectum foris non fuerit sortitus, nondum absolutus dicitur, quia nihil perfectum omni ex parte appellatur, cui aliquid addendum superest:[e] & proinde certum est, eum interim a varijs euentibus, ac salubriore prouidentia pendere, dicēte etiam vetere prouerbio, posteriora consilia esse meliora. Ex quo sequitur, cum in themate dicitur, Papam iam in animo suo statuisse quid velit facere, hoc nullatenus de perfecta, atque irreuocabili voluntate accipi posse.

a S.Tho.1.2. q.10.art.3.ad 2.

b S.Tho.1.2. q.12.& 13.artic.3.

c Lib.8.cōfess. cap.9.

d S.Tho.1.2. q.17.art.5.ad 1.

e l. cum Sillanian. in fi. C. de his quib. vt indig.

QVOD vero ad secundum spectat, Papam sententiam iam conceptam mutare minime solere; Dicimus facti hanc quęstionem esse, & qui ita aiunt, non videre nos, qua ratione id probare possint. Nos enim per annos fere triginta, quibus Consistorio adesse cœpimus, sedentibus octo summis Pontificibus: PIO IIII. PIO V. GREGORIO XIII. SIXTO V. VRBANO VII. GREGORIO XIIII. INNOCENTIO IX. ac sanctissimo D. N. CLEMENTE VIII. affirmare illud verè possumus, numquam factum esse, vt Papa deliberationem aliquam ab eo conceptam mutare noluerit, si maior Cardinalium pars ab eo dissentiens id verbis expresserit, sed vidimus quandocumque ille perstitit in eo quod semel proposuit, in causa id fuisse, quòd pauci reperti sint, qui diuersum ab illo senserint, aut certe palam declarauerint, & multo plures, qui in illius sententiam ierint.

AT dicunt aliqui secundum naturam magnorum virorum hoc esse

A esse vt semel ab eis proposita non deserant, quód ex illorum dignitate non sit, sententiam mutare; Respondemus, si in melius sit mutanda, magnum hoc prudentiæ argumentum esse, [a] & a sanctis viris hoc sæpius factum fuisse. Nam Dauid Rex, monente Abigail, deliberationem emendauit.[b] Et Apostolus Paulus, quamuis decreuisset dare se in Theatrum, acquieuit tamen amicorum consilio aliter suadentium.[c] Quinimmo incommutabilis Deus sepe legitur in sacris litteris mutasse promissa, & pro misericordia temperasse sententiam,[d] licet tunc non mutet Deus actum interiorem voluntatis suæ, vt sanctus Gregorius, & sanctus Thomas declararunt.[e] Quod & alijs multis exemplis sancti Patres nobis testatum reliquerūt, vt
B intelligeremus, viri perfecti esse nihil absolute diffinire, quod nōn vtiliori, sapientioriq. proposito possit emendare, prudentumq. mores salubrioribus cedere consilijs,[f] cum id non leuitatis, vt ait Apostolus, sed maioris charitatis, & prouidentiæ sit argumentum. [g] Ex quibus concludimus, res Consistoriales antequam a Papa fuerint de more in Consistorio sancitæ, numquam adeo certas haberi posse, quin mutationi subiaceant, tametsi deliberatæ antea à Papa viderētur, cum res futuræ omnes, circa quas versari solet humanorum negotiorum consultatio, sint contingentes, & proinde incerto euentui, ac varietati expositæ.

C Tertium est, quod dicitur, existimare Cardinales se nihil dicendo profecturos; Ad quod respondemus: quando etiam concederetur, firmam omnino, immotamq. summi Pontificis mentē esse, adhuc non ideo Cardinales cum sententiam rogantur ab ea syncere proferenda excusari. Notum siquidem est in actionibus humanis, aliud esse officium, quod pertinet ad media: aliud esse executionem finis, qui in operis consummatione consistit, quemadmodum & consilium non est de fine, sed de ijs, quæ sunt ad finem. [h] Quando igitur assumitur quispiam ad aliquod officium, ad media tantū adhibenda tenetur, quæ sunt propria illius officij, & ab eo præstari
D possunt, non ad finem assequendum, qui aliunde pendet. Sic medicus stipendiō conductus, ad aliud non tenetur, quam canonice mederi, quamuis sanitas non sequatur: & magister ad apte docendum, licet auditores non proficiant.[i] Sic ergo & Cardinalium officium, cum sit consulere, præsertim quando sunt rogati, ad eos non pertinet vlterius ratiocinari, an id consilium sit exequendum, cum hoc diuersum sit, & finis hic in illorum non sit potestate. Siquidem ministri est tantum velle, conari, & laborare; Dei autem est perficere. Nam, prout Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem scribe-

a Videantur quæ dicta sunt in q.43.
b 1.Reg.25.
c Act.19.
d c. incommutabilis, 22.q.4.
e S.Greg.lib.20.mor.c.23. & S.Th.in 1.par.q.19.ar.7 ad 2.
f Io.Cass.collat.17.cap.2. Idem Cass. d. collat.17.cap. 18.27.& seq.
g 2.Cor.1.vbi S.Ambros.
h S.Tho.1.2.q.14.art.2.
i Arist.1.Rhetor.cap.1.Cic.lib.1.de Inuēt.in princ.

a Nicol. ep. 9. ad Michael. Imper. tom. 3. Decret. nuper Romæ impres.

scribebat,[a] debet Apostolica Sedes facere quod suum est, neque fastidire laborem: Deo autem, cuius est bene cœpta perficere, laboris effectum relinquere. A

DEBENT itaq. Cardinales eniti, quàmmaxime possunt, suum officium præstare, & Pontifici maximo fidele consilium dare: ipse autem Deus, cuius Ecclesiæ negotia in Consistorio aguntur, & in quem credendum est, & Pontificem maximum, & Cardinales omnes suas cogitationes transferre, ad Ecclesiam suam respiciet, mentemq. Pontificis illustrabit, & a via, qua progredi debet, non patietur aberrare.

QVAE omnia, vt eo clariora legentium animis relinquantur, B supereſt nunc vt ab ijs obiectionibus eximantur, quæ initio quęstionis in contrarium adducebantur; quatenus scilicet dicebatur, fructus spe omnes ali, & vnumquemque inutiles labores refugere.

NAM ad primum dicimus, duplicem in fructibus colligendis spem considerari posse: alteram, quæ ipsum dominum respicit: alteram, quæ ad rationem operis, seu medij spectat, quo dominus ipse vtitur, siquidem ex semine spes, ob eius naturalem vim, oritur, debere fructus produci: est idem spes cōcepta a seminante, qui vt fructus colligat, seminat. Vbi igitur vtraque spes deficit, tota hæc actio est superuacanea. At vbi ea, quæ ratione operis, seu medij sumitur, nō C deficit, quamuis deinde ea, quæ dominum, seu agentem respicit, deficeret, non erit inutilis, aut superuacanea actio. Sic igitur, quod ad rem nostram attinet, cum ea sit natura veri, & fidelis consilij, vt aptum natum sit mouere Principem, ideo Cardinalis quamuis forte, quod ad se attinet, credat Principem mouendum non esse, nihilominus alitur adhuc spe fructus ratione medij efficacis, quo ad persuadendum vtitur.

AD id vero, quod addebatur, inutiles labores vnumquemq. refugere; Respondemus primo, non posse dici inutile id, quod redundat in meritum consulentis, & quod posset etiam in vtilitatem Rei- D publicæ, Deo iuuante, existere, quæ præcipue est præ oculis habenda. Dicitur secundo, quòd labor, qui sumitur in vero, & fideli cōsilio dando, res est vtilissima tum ad Principem persuadendum, quatenus hæc vis suadendi est in ipsomet consilio vero, & fideli quasi naturaliter inclusa, tum etiam quia ad alios Consiliarios in eandem sententiam perducendos plurimū valet: quibus sic vna coniunctis, non facile Deus permittet, vt Papa illis obsistat, & in maioris partis Cardinalium sententiam non se deflectat.

PARS

A

PARS II. QVÆST. VII.

Si aliqui Cardinales existimarent, Papam exquirere eorum sententias, ceremoniæ potius, vt dici solet, quàm consilij caussa, quid tunc agere debent?

A

QVAMVIS hæc obiectio parum verisimilis, prorsusq. commẽtitia videatur, nec ita de eo sentiẽdum sit qui in altissimo loco positus est, atq. in amplissimo orbis theatro cum viris præstantissimis loquitur; attamen verum esse fatemur huiusmodi opinionem non nouam, nec modo exortã esse, sed superioribus etiam ætatibus in aliquorum ore versatam fuisse: nec tamen propterea sapientes illos veteres Cardinales his tamquam vmbris, & vanis timoribus, aut cre- QVAEST. XIII.
B dula suspicione deterritos fuisse, sed memores personæ, loci, & officij sui, fidem Deo, Sedi Apostolicæ, & Christi Vicario debitam animo, & cogitatione repetentes, sententiam suam modeste quidem, sed libere dixisse, tametsi a multis crederetur fore, vt eorum consilia non sequeretur Princeps. At interdum secus accidit, & quod initio minus gratum est, postea placere potest, & libera vox magnas quandoq. attulit vtilitates, & Principes ijs nõ raro gratias egerunt, quos prius non statim sibi assensum præbuisse, ægre tulisse visi erant.

Nec certe facile concedendum est, immo nouum nimis, & inauditum, atq. aduersus vetera Collegiorum omnium instituta, accersiri
C scilicet Consiliarios in Senatum, vt nihil consulant: nec vlla extat ratio cur præsumendum sit, Papam tantopere ab eorum iudicijs alienum esse, quæ tantum consultiua dicuntur, eiusmodi scilicet vt ipse possit pro suo arbitratu ea non sequi: [a] quinimmo existimandũ iure videtur, Patri optimo iucundum esse audire, quid de rebus grauibus filij sentiant, quos ipsemet sibi Consiliarios cooptauit, qui tot charitatis vinculis Pastori, Principi, Domino, Parentique adstricti sunt, pro quo etiam vitam profundere sunt parati.

[a] *Glos. c. cum olim, de arbit.*

ET quamuis valde probabile sit, optare vnumquemq. & eo magis Principes, qui alijs præsunt, vt reliqui secum potius sentiãt, quã

dissentiant, quando tamen cõspicimus res, quas pro summa sua potestate poterant aliter diffinire, maluisse eos ad cõsultationem reuocare, & aliorum iudicia scrutari; interrogatio ipsa natura sua declarat in re nondũ diffinita liberã respon sionem exquiri, nec eos dupli ci animo esse, vt cum aperte dicant se velle Cardinaliũ sẽtẽtias audire; ex altera parte nihil minus, quàm de ijs seriò auscultãdis cogitent, sed potius ad eas eludendas hoc inuolucro vtantur; præsertim cum verisimile nõ sit, eos ita placitis suis hærere, vt neminẽ prorsus aliter sentire velint, idq. maxime cũ ratio adeo probabilis dissentiẽdo proponitur, vt ipsa magis, quã illius auctor discrepare videatur. A

Verum concedamus nunc, quod tamen non est probabile, Principem, qui alijs, atque alijs modis potuisset negotium expedire, maluisse tamen Senatores in Consistorium vocari, non animo sequẽdi eorum cõsilia, sed ceremoniæ potius, vt dici solet, gratia, vt quod ab eo decerneretur, de consilio fratrũ factum videretur, & proinde idẽ populo acceptius, & plausibilius prodiret; si quis petat, quænam tũc erunt partes eorum, num tacere, aut libere dicere, aut assentiri? B

Certe aliquibus videri posset, quod sicuti veteribus legibus actus multi ad speciem potius, quàm veritatẽ permittebantur, & quẽadmodum multiplices contractus imaginarij in vsu populi erant, sic hodie non incongruum esse, quædam etiam in ferẽdis suffragijs obseruari, non semper ad res serio diffiniendas, sed ad retinẽdũ potius quandam veteris instituti imaginem. Nam de Consulibus scribit Dio,[a] Tiberium Cæsarem eos elegisse cum tamen a populo Romano nominarentur ad repræsentandam antiquã libertatem. Et Iurisconsulti multarũ rerũ meminerunt, quæ fiebant Dicis Causa, vt ipsi aiebant,[b] idest ad ostentationem quandã vt illud ita factum fuisse posset dici, nõ quòd vere ex animo, aut aliqua necessaria causa id processisset. Quæ loquendi prouerbialis formula, & apud veteres alios auctores sæpe reperitur,[c] atq. hoc ipso, de quo diximus, sensu eã accipiendã esse, celebres permulti Doctores testãtur;[d] similiter, de imaginarijs contractibus crebra est apud veteres leges mentio, nam & imaginaria venditio,[e] & locatio,[f] & emancipatio,[g] & adoptio,[h] & testamentũ,[i] & manumissio,[k] tũ imaginarius colonus,[l] & imaginarius nũcius, & imaginarium repudium,[m] & imaginaria apocha,[n] & alia huiusmodi frequenter nominantur, & imaginariæ militiæ genus Claudiũ Cæsarem instituisse, Suetonius est auctor.[o] C D

Quae quidem cum ex vetere instituto sic in vsu essent, vt interdum id fieri alijs ostenderetur, quod vere non fiebat, nec mens erat faciendi; propterea videri posset etiam in sacro Consistorio consultationes

a Dio lib. 57.
b l. 4. ff. commoda l. & qui data. ff. ex quibus cau. maio. l. 1. §. excusantur. ff. ad Syll.
c Varro lib. 5. de lin. lat. Cic. act. 6. in Verr. & pro L. Murena. Arnob. li. 4. aduersus gẽ. in proœm.
d Petr. Victo. lib. 8. var. lect. An. Aug. li. 2. emendat. c. 2. Frãc. Duaren. lib. 1. Disputa. c. 47. Cuiacius lib. obser. c. 33. Ioãnes Coras. lib. 4. Miscel. c. 8. Couar. li. 4. var. resol. c. 8.
e l. imaginaria ff. de regul. iur.
f l. 46. ff. loca.
g l. fin C. de emancip.
h l. fi. C. de adoptio.
i Insti. de test. in princ.
k Instit. quib. modis ius patria.
l l. 49. de act. empt.
m l. 3. C. de repud.
n l. 2. de annon. & tribut. in Cod. Theod.
o Sueton. in Claudio c. 25.

A rationes quaſdam non eſſe prohibendas, quas Princeps proponat
ceremoniæ potius gratia,& ad decorum cum Cardinalibus retinen
dum,quàm quòd reuera conſilia Cardinalium tunc expoſcat,aut ijs
ſe plane indigere arbitretur. Quo caſu exiſtimari etiam poſſet, fas
Cardinalibus ipſis pariter eſſe, aut nihil, aut ad Principis ſenſum
quoquo modo loqui,cum reſponſio debeat interrogationi congrue
re,hæcq. relatiua inuicem videantur,petere conſilium,& dare con
ſilium,ita vt qualis eſt petitio, talis ſit & conſilij prolatio.

VERVM quoniam nos contrarium prorſus ſentimus, ideo ad
rem dilucidius explicandam, & ne vocabulorum ſimilitudine de-
B cipiamur, cum quattuor ſint actus, qui idem prope ſonare viden-
tur,& tamen inter ſe differunt,videlicet fraudulentus, ſimulatus,fi-
ctitius, & imaginarius.[a]

NOS dicimus,tres priores ad rem præſentem noſtram minime
pertinere: Non fraudulentum, quoniam nihil in fraudem alterius
geritur:[b] Non ſimulatum, quoniam nihil diuerſum ab eo conci-
pitur,quod ſimulatur:[c] Non fictitium, quoniam lex nihil hic fin-
git,aut diſponit:[d] Reſtat igitur quartus actus,qui imaginarius dici
tur,cui quæſtio noſtra magis congruere videtur, ſed tamen nec illi
omni ex parte plane reſpondet;Quandoquidem cum imaginarium
illud dicatur,quod ad nudam ſpeciem tantum fit,ita vt rei veræ ima
C ginem retineat,& tamē nullum iuris effectum pariat,atque aliquid
eſſe id oſtendat,cum omnino nihil ſit: propterea dicimus,conſulta-
tionem,de qua agimus, imaginariam quidem vocari poſſe, quate-
nus ſpectat ad ipſum Principem,qui conſilia petit,non animo vt il-
lis vtatur,ſed potius,vt dici ſolet,pro forma,& vt ſeruiat conſuetudi
ni Collegij,ſiue ne videatur inconſulto Senatu de negotio tam gra
ui ſolus conſtituiſſe. Verum ex altera parte,imaginariam minime
appellandam eſſe affirmamus,cum fiat ex legitima cauſa, & verſe-
tur circa rem veram,& ſolidam,& grauem, & dignam conſilio.

QVAPROPTER vt ad quæſtionem propoſitam reſpondea-
D mus,quæ ſcilicet ſint partes hoc caſu DD.Cardinalium; Dicimus
eos nullatenus a munere ſuo diſcedere debere, quod eſt omni in re
fidem,atque officium præſtare,ac quod in reliquis rebus ſolent, ſic
& hoc loco quod conſcientia eis dictat,aperte profiteri:idq.duplici
præcipue ratione:altera,vt ita dicamus,intrinſeca:altera extrinſeca.
Prima eſt,quia cum Cardinalis ex munere ſibi impoſito, teneatur
Reipublicæ vtilitati, atque Eccleſiæ commodo conſulere,& locus
ipſe Conſiſtorij ad conſulendi munus ſalubriter exercendum fue-
rit deſtinatus; propterea quandocumque aliquid ibi proponitur,

F quod

a Alciat li. 3. parerg. c. 11.

b toto titu. ff. qua in fraud. credit.

c l. 1. C. plus valere quod agitur. l. ex pretio. C. ſi cert. petat.

d §. per acceptilationē. Inſt. quib. mod. tollit. obligat.

quod detrimentum Ecclesiæ possit afferre, quocumque modo proponatur, seu serio, seu ioco, siue vere, aut ficte; res ipsa, locus, officium, & Ecclesiæ necessitas Cardinalem compellunt ad consilium fidele, salubreque præstandum. A

ALTERA est, scandalum, quod in consilio imaginario dando alijs præberetur. Nam sicut si quis vsuram ficte peteret,& alter ficte illam solueret,atque de pecunijs istis petitis,& datis instrumentum fieret,crimen graue committeretur ob scandalum,quod ex huiusmodi instrumento vsurario illis saltem præberetur,quibus ea inter contrahentes collusio,aut simulatio nota non esset: sic quamuis Princeps ficte consilium petat, & Cardinalis ficte illud præbeat, quia tamen actus ille publicus est, & in Consistorio ad res graues B deliberandas instituto geritur, non possunt qui talia agunt a scandali culpa excusari,quandoquidem sciunt omnes,qui ibi adsunt, Cardinales obstringi ad vera consilia danda. Vnde cum videant secus fieri, necesse est eosdem offensionem non leuem intus in animis pati,quòd sic vetera instituta,ac disciplinam videant paruifieri.

NON obstat ergo ea,quæ supra veterum exemplo, & auctoritate afferebantur: nam illa gentilium moribus ita recepta fuisse constat,quibus vera instituendæ vitæ ratio,ac doctrinæ lumen nondum illuxerat. Vnde multa eorum legibus, tamquam indifferentia admittebantur, alia tamquam ad speciem inania, alia prorsus otiosa C permittebantur. At vero Christiana disciplina, cum nec verbum otiosum effundi patiatur,[a] & calicem etiam aquæ frigidæ non leuem rem esse interpretetur,[b] multo magis inanes actiones,vmbratilesq. sententias in sacrosancto Patrum Collegio pronunciari,nullo modo poterit sustinere.

a Matt.12. b Matt.10. S. Aug. lib.4. de doctr. Christiana,c.10.

ET quod dicebatur,Principe nihil vere ex animo petente, non cogi Consiliarios vltra id,quod Princeps ab eis exquirit, respondere; Replicamus DD.Cardinales Consiliarios quidem esse Principis,sed pro totius Reipublicæ vtilitate: & ideo curandum eis esse, non solum quid Princeps velit, sed etiam quid Reipublicæ vtilitas D postulet. Vnde si rerum status aliquid decerni requirat, quod ita etiam Principi forte,aut non occurreret,aut non videretur,non potest id ab eis saluo eorum officio ex ijs,quę aliàs diximus,prætermitti: & præsertim, cum fieri possit, vt Pontifex, qui alio animi proposito in Consistorium venit,auditis deinde iustis Cardinalium rationibus a sententia remoueatur,& quod, DICIS CAVSA, ab eo propositum fuit, in verum ac serium Reipublicæ commodum conuertatur.

PARS

PARS II. QVÆST. VIII.

Quid, si vererentur aliqui contradicendo Papam contristare, & nollent ei molesti esse?

QVAERI hoc loco iuste videtur, an quando veretur Consiliarius contradicendo Papã contristare, debeas potius a dicendo abstinere. Primũ enim illud se obijcit, quòd cum dictis oratio audientem debeat delectare,[a] tristitia autẽ delectationi sit contraria,[b] omnem profectò sermonis fructum ab eo impediri censendum est, cuius verba non grata, sed molesta contingunt. QVAEST. XIIII. A

[a] S.Tho.2.2. q.177. artic.1. in corp. [b] S.Tho.1.2. q.35. art.3.

DEINDE, quia Consiliarius cum ad eum finem loquatur, vt consulat, & persuadeat, vtique præstare id nequaquam poterit, si dicẽdo displiceat illi, quem vult mouere: nam vtens verbis eius sensui repugnantibus, animum eius potius auertet, quàm conuertet.

TERTIO, quia cum moneat Apostolus: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei*,[c] plane qui contristat Vicariũ Christi, videtur & B auctorem illius contristare, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*.[d] Vnde & a sanctis illud est vsurpatum: *Qui contristat Episcopum, contristat Spiritum sanctum*.

[c] Ephes.4. [d] Luc.10.

Ex altera vero parte, quoniam constat nec delectationem, nec tristitiam, sicut nec ceteras animi affectiones per se bonas, aut malas censeri,[e] sed a causis pendere, propter quas illæ suscipiuntur, & ab alijs multis circumstantijs, ex quibus nec semper sectandæ, nec semper fugiendæ iudicantur;[f] propterea ad æquiuocationem omnem tollendam, & ad clariorem propositæ quæstionis explicationem, illud præmittimus, quòd cum alicuius oratio varijs ex causis C molestiam, seu tristitiam audienti afferre possit: siue culpa illius, qui loquitur, qui odiosus sit: siue propter rem ipsam, de qua quis loquitur, quæ mala sit, aut turpis: siue ob modum, quo quis loquitur, quia ineptus, aut horridus sit: nos nullam ex his causis in præsenti attingimus, cum ad rem nostram non pertineant. Loquimur vero de ea tristitia, quæ oritur a persona, coram qua quis loquitur, eo quòd cũ audiat sibi proponi ea, quæ aduersus eius sensum sunt,

[e] S.Tho.1.2. q.24. artic. 2. & 3. [f] S.Aug.li.9. de Ciuit. Dei, c.6. & lib.14. c.10. Lactant. lib.6.c.15.

ac sibi displicent, turbatur animo, ac tædio, molestiaq. afficitur. A

ACCEDENTES igitur ad casum nostrum, quærimus, si quando accideret ꝙ Cardinalis refragaturus opinioni Papæ suspicaretur, eius contradictione Papam esse perturbandum: an tunc potius debeat silere, & scopulum hunc prætermadere. Quo loco, vt gradatim progrediamur, multa se offerunt sigillatim consideranda.

PRIMVM est, quando ita res se haberet, quòd hæc suspicio Cardinalis animum vehementer occuparet; & tunc existimaremus sapientis esse omnem conatum adhibere, vt eam a seipso procul ablegaret, ac radicitus euelleret, cogitans summum Pontificem nõ esse vulgarem hominem, qui aliorum verbis inepte debeat contristari, B cum dicat Scriptura: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit;* [a] & S. Chrysostomus in suis homilijs sæpe doceat, generosum animum, ac Deum timentem, (prout de eo, qui sanctæ Ecclesiæ præsidet, omnino sentiendum est) nulla re præterquàm peccato posse contristari: [b] & eo magis quia summus Pontifex pro sua sapientia satis nouit, se illius Vicarium esse, qui Crucis ferendæ alijs exempla præbuit, & qui dixit: *Non veni ministrari, sed ministrare:* [c] seq. Pastorem vniuersalis Ecclesię esse constitutum, cuius munus est omnium necessitatibus inseruire. Vnde sicut medici ægrorum clamoribus, & conuicijs nihil indignantur, sed commouentur magis ad eos iuuandos, sic partes Pontificis sunt, si quando filios suos parum sibi obsequentes, aut non semper ad suam voluntatem loquentes viderit, non exagitari, aut perturbari, sed benigne de illorum affectibus sentire, atq. eorum potius imbecillitatis, si opus sit, misereri. C

a Prou. 12.

b S. Chrysost. hom. 18. ad Populũ Antioch. & in 2. ad Corin. 6. hom. 15.

c Matth. 20.

SECVNDVM est, si forte hæc suspicio nullatenus ex animo Cardinalis tolli posset, quoniam ex familiaribus Papæ sermonibus, aut aliunde compertum esset, voces quasdam illius interdum erupisse, quibus permolestum sibi fore ostenderet, si qui in Senatu ei aduersarentur; tunc maior surgere potest dubitatio, quanam ratione hic a Cardinali progrediendum. Nos hoc casu diceremus, quando etiam voces illæ præcessissent, cum placidis deinde verbis rem ad D Consistorium omnibus audientibus Papa detulerit, intelligi illũ a priore proposito discessisse, sicuti protestatio facto contrario reuocata censetur, [d] multa enim impetu quodam nobis vix sentiẽtibus effluunt, quæ subinde in ordinem rediguntur, & cum a sancto Iacobo moneatur omnis homo, vt sit velox ad audiendum, [e] credendum est, Principem, qui alijs sapientia præstat, etiam in audiendi facilitate, ac benignitate excellere debere; ita vt si quid etiam

d l. non solum. §. morte. ff. de oper. nou. nũc.

e Iacob. 1.

parum

A parum ad rem, aut prudenter dictum auscultauerit, religiosissimos Imperatores imitari velit, qui rescripserũt: *Si id ex leuitate processit, contemnendum: si ex insania, miserendum: si ab iniuria, remittendum.*[a]

a l. 1. C. si quis Imper. maled.

TERTIVM est, quando nec hac ratione posset hæc suspicio a mente Cardinalis amoueri, quinimmo in ea trepidatione summopere persisteret, fore, vt ea, quæ ab ipso dicenda essent, non possent non summo Pontifici molesta & grauia accidere; Dicimus, si aliqua ratione res ipsa verborum lenitate, & dicendi modo temperari possit; integra tamen, & illæsa veritate, monere nos maxime, vt id omni conatu procuretur: siquidem satis constat, eandem rem B salua iustitia mollius, aut durius, gratius, aut molestius pro loquentis ingenio, & dexteritate proponi posse. Vt enim in communi societate, mutuisq. congressibus, humaniter, iucundeq. cum alijs quatenus decet, versari, virtutis opus est, quæ affabilitas vocatur,[b] quæ tamen sic moderanda est, vt si quis in omnibus studeat ad delectationem loqui, hic modum in delectando transgrediens, peccet per excessum, & in turpe adulationis vitiũ prolabatur,[c] vicissimq. qui aliorum opinionibus sine necessitate conatur contradicere, hic se molestum, ac quodam modo litigiosum reddit quod virtuti repugnare solet:[d] sic in publicis consultationibus, sapientis erit, in- C columi semper, inuiolataq. veritate curare, vt cetera deinde maiore, qua fieri poterit, reuerentia, ac sermonis lenitate exprimantur.

b S. Tho. 2. 2. q. 114. arti. 1. & 2 ad 1. S. Antonin. in sum. 2. par. tit. 10 c. 2. Arist. 2. Ethi. c. 7. & lib. 4. cap. 6.

c S. Tho. 2. 2. q. 115. arti. 1. & 2.

d S. Tho. 2. 2. q. 116 arti. 1. & 2.

Quando autem nulla sermonis dexteritate, aut dicendi humilitate posset hic scopulus superari, & quæ a Cardinali dicenda sunt, futura putarentur summo Pontifici iniucunda, & odiosa, publicæ autem rei maxime salutaria: tunc plane non videmus nos, quomodo possit, aut debeat Cardinalis a dicenda libere sententia supersedere, atque illud prætermittere, quod sibi conscientia dictat, & veritati censet esse consentaneum, cum, vt dici solet, scandalum potius sit permittendum, quàm veritas deserenda.[e]

e c. qui scandalizauerit, de reg. iur.

D ET si quis replicaret, durum admodum, & penè incredibile videri aliquid summo Pontifici, quod verum, & salutare sit, proponi, quod illi inuisum, ac molestum esse debeat, cum naturæ hominis, quæ ratione prædita est, nihil magis sit accommodatum, vt ait Cicero,[f] quàm quod verum, synceru mq. est, & in veritate ipsa tanta sit vtilitas, tanta dignitas, & auctoritas, vt Dominus Saluator noster se ipsum Veritatem nuncupauerit, & se ad hoc natum, & in hunc mundum venisse testatus fuerit, vt testimonium perhiberet veritati;[g] Respondemus, si absolute loquamur, rem plane sic se habere, cum veritas non tantum sit virtus, sed virtus etiã specialis,[h]

f Cic. lib. 1. de offic.

g Ioan. 14.

h S. Tho. 2. 2. q. 109. arti. 1. & 2.

& obiectum, ac perfectio humanæ rationis. Verum, quia ea est A
mentis humanæ infirmitas, & cęcitas, vt sæpe in singularibus rebus aberret, ac decipiatur, hincq. hominum iudicia tam varia, diuersaq. reperiantur; propterea mirum non est, si summus quoque Pontifex quatenus carnis fragilitate circũspectus, interdũ, Deo permittente, non tamẽ in ijs, quæ ad dogmata spectãt, humani aliquid patiatur. Vnde sicuti ægrotus vbi gustandi sensus morbo infectus est, dulce iudicat amarum, & amarũ dulce, sic præeunte immodico aliquo affectu, patitur Diuina prouidentia, Principes etiã summos non tantum in dignoscẽda aliqua veritate caligare, & hallucinari, sed etiã veritatem ipsam quodam modo abhorrere, quemadmodum, *Palato nõ sano pœna est panis, qui sano suauis est: & oculis ęgris odiosa lux, quæ* B
a S. Aug. li 7. confess. c. 16. *puris est amabilis*,[a] vt S. Augustinus, vel potius ipsa experiẽtia docet.

QVANDO igitur accideret (quod Deus auertat) vt summus Pontifex adeo in aliquam opinionem ad actiones morales pertinẽtem esset demersus, vt quidquid ei contrarium afferretur, quamuis verũ esset, non solum ei non probaretur, sed etiam maxime displiceret, ac molestum esset; nos nihilominus minime Consiliario cessandum esse existimaremus, quominus ea proferret, quę communi bono cõducere arbitraretur, cum illud priuatis quibuscumque commodis sit anteferendum: cuius rei extant exempla quàmplurima Prophetarum, & Sanctorum. Nam notum est, sanctum Joannem Baptistam, C
quamuis videret Herodem Regem suis verbis offensum iri, non tamen officium suum deserere voluisse: quod Saluatori nostro mirifice placuisse scimus, Herodẽ autem impiũ, quia Herodiadis filiã,
b Marc. 6. vt S. Marcus ait,[b] noluit contristare, perpetuis flammarum incen-
c 1. Reg. 15. dijs apud inferos torqueri: sic Samuel,[c] cum Rex Saul multa indigna perpetraret, nõ dubitauit verba ea proferre, quæ sciebat Sauli molestiam maximam allatura. Idem & de Natan Propheta legimus, qui Regem Dauidem admonere nõ destitit, & admissi operis grauitatem eidem ante oculos ponere, ne officio suo deesset, quã- D
2. Reg. 12. uis ingentem animi dolorem Regi ea ex re illatũ iri nõ ignoraret.[d] Sic & alij multi Sancti fecerunt, quos nimis longũ esset recensere: illos enim proposita sibi maxima pericula perspiciẽtes huiusmodi timor ab officio minime retardauit: quãdoquidẽ videbãt nihil fere esse, quod publicis rebus tantum afferat detrimenti, quantum suspicio hæc, ne Principis animus perturbatione aliqua, aut molestia cõmoueatur. Vnde huic trepidationi fortiter obsistendum esse exemplo suo docuerunt: certum enim est, sicut magnes vi occulta ferrũ pertrahit, sic Principis voluntatem allicere ad se interdum multo-

rum

A rum animos Senatorum, & tamquam sigillum in cera, imprimere in ipsis quidquid vult, & quidquid ad rem suam existimat pertinere. Quod quàm absurdum sit, ac Senatorio viro indignum, nemo non videt, cum sapientis officium sit, fidem, publicamq. causam, supremam sibi legem constituere, quales permultos huius sententiæ Præsules semper in sacro Consistorio extitisse nouimus.

Non obstat igitur quod primò obijciebatur de delectatione: nam finis præcipuus Consiliarij non est delectare, sed iuuare tum Principem, tum Rempub. Ratio autem iuuandi, non necessario, nec semper requirit antecedentem, aut præsentem delectationem, sed futuram, & comitantem rei effectum respicit: sicuti sapiens Medicus ægroto amarum, & momentaneum propinat pharmacum, vt ei optatissimam, & iucundissimam postea salutem afferat. Hincq. Con
B siliarius fidele præbens consilium, sperare debet, Principem ipsum, recogitata secum Consiliarij fide, Christianaq. in loquendo libertate, plurimum officio illo saluberrimo, quod prius molestum ei extiterat, delectatum iri, atque in illum maiori, quàm antea, beneuolentia inflammandum.

Non obstat secundum: quia medium, quo ad persuadendum vtitur Consiliarius, nõ est semper delectare, nec semper contristare, cũ nõ omnis delectatio sit bona,[a] sicut nec omnis tristitia est mala:[b] sed modo hac, modo illa vtitur via, quę aptior sit fini, & publico bono cõsequendo magis accommodata. Verum est tamen, quòd abusiue,
C & ex quodam vulgari loquẽdi modo, bonum dici solet, quod placet sensui: & malum, quod displicet, licet iuxta rationẽ secus dicendum esset.[c] Vnde Achab Rex loquẽs cum Iosaphat de Michæa dicebat: *Nunquid nõ dixi tibi, quia nõ prophetat mihi bonum, sed semper malũ?*[d]

Non obstat tertium, quo dicitur, Principem nõ esse contristandum; Nam respondetur, duplicem esse contristationem:[e] alteram secundum sensum, quæ leuis est, & momentanea, atq. aures tantum nonnihil perstringit, nec generoso viro est metuenda: alteram secundum rationem, quæ grauior est, & diuturnior, quippe quæ rebus per peram consultis magna posset afferre incommoda, si omitteretur; &
D priore modo dissentire, & contristare etiam alios quando oportet, non est vitium, sed charitatis officium, & debitum amicitiæ, dicente Apostolo: *Quoniam etsi contristaui vos in Epistola, non me pœnitet: & si pœniteret, videns quòd Epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.*[f] De posteriore vero tristitiæ genere, monet Apostolus, vt non contristemus Spiritum sanctum Dei.[g]

a S.Tho. 1.2. q.34.art.2.
b Idẽ S.Tho. q.35.art.3.& sequ. & q.39. art.1.
c S.Tho. 1.2. q.31.art.5.& sequ.
d 3.Reg.vlt.
e Greg. Nyssen. siue Nemesius lib.4.Philos.c.10.et 12. S.Thom. 1.2. q.30.art.3.& q.31.art.3.
f 2.Cor.7.
g Ephes.4.

Si qui suspicarentur, Papam, ipsis dissentientibus, magis obfirmandum, aut potius irritandum; an sententiam suam debeant comprimere.

QVAEST. XV.

QVID vero, si præter dubitationem molestiæ, & tristitię Papę inferendę, de qua modo egimus, amplioris periculi suspicio Cardinalium mentes inuaderet, fore, vt, ijs dissentientibus, animus Papæ magis a re, de qua agitur, alienaretur, & obduresceret? Quæritur an hoc casu frænum orationi sit inijciendum, atque ad læuam silentij cursus dirigendus: nouimus enim, hanc trepidationem multorum animo sic quandoque solere defigi, vt non solum existiment se valde sapienter facere, si ab eo pronunciando, quod sentiunt, aduersus sensum Principis se abstineant, sed alios etiam, qui secus faciunt, in magno errore versari sibi persuadeant. Quapropter, vt eo diligentius res excutiatur, duo erunt iuxta thema propositum separatim tractanda. Primum, quid, si mens Papæ, dissentientibus Cardinalibus, sit tenacius obduranda. Secundum, quid, si non tantum arctius obfirmanda, sed amplius etiam irritanda, & acerbius in damnum aliorum exacuenda:

DE primo dicunt aliqui, quòd quemadmodum Medicus, si ægrotum pharmaco læsum iri arbitraretur, crudelis nimium, nedum imprudens id ministrando haberetur: sic, qui alijs quidpiam dicendo persuadere cupiunt, si videant contrarium sibi potius inde euenturum, inepti valde iudicãdi erunt, si dicendi rationem mutare nolint.

DEINDE, quia sicuti correctionem fraternam tunc intermittendam Doctores aiunt, quando timetur ne ob illam frater fiat deterior,[a] eodem modo si suspicetur Consiliarius suum consilium potius obfuturum, quàm profuturum, prudenter facere iudicabitur, si consilium illud aut intermittat, aut in tempus opportunius differat, cum scriptum sit: *Noli arguere derisorem, ne oderit te*.[b]

AMPLIVS etiam, quia cum obligatio, qua adstringuntur Cardinales ad dandum consiliũ sit propter actum virtutis exercendum,

a S.Tho. 2.2. q.33. artic.6. Siluestr. verb. correctio. nu.4.
b Prou. 9.

virtus

A virtus autem requirat media debito fini congruentia:ideo quando consilium,quod dandum est,finem impediret, veluti cum Princeps ex eo consilio potius esset ab eo,quod optatur auertendus, quã persuadendus,videtur tunc cessare ea obligatio.[a]

VERVM nos secus plane existimamus,nec rationem vllam efficacem afferri videmus,cur Cardinales,qui & officij suscepti munere, & iuramenti vinculo obstricti sunt fidele consilium quando ab eis petitur,ministrare,nunc propter hanc conceptam suspicionem aliter sibi faciendum putent.

a S. Tho.2.2 q.33. art.6.ad 2.& 3.

NAM, vt hinc incipiamus,inuestiganda in primis videtur ratio, cur Papa existimetur tantopere eorum sententias auersari,quæ illius B iudicio repugnant.Nobis certe nulla vere digna,aut etiam satis verisimilis occurrit. Cur enim in Senatu causæ proponuntur, nisi vt plurimorum iudicia audiantur?quanam alia de causa sigillatim exquiruntur sententiæ,quàm vt vniuscuiusq. sensus ab alijs distinguatur?cur suffragia ineuntur singulorum, nisi vt quisq. quod sentit, patefaciat?quid culpæ illi adscribi potest,qui rogatus respondet id, quod in mente gerit? quòd si nulla est culpa, quæ iusta poterit esse pœna?Hoc sane adeo rationi consentaneum videtur,vt quando etiã Princeps subito quopiam perturbationis impetu in verba aliqua acerbiora prosiluisset,censendum tamen sit sedato indignationis ca- C lore,quod proxima etiam quæstione attigimus, eum ingenua illa sententiarum libertate mox delectatum iri.

PRAETEREA cum in facultate sit Papæ,Cardinalium consilia sequi,aut non sequi;quid prohibet,aut nocet illi ea scrutari?cũ hinc melius secum cogitare possit,an ab eis quid proferatur,quod ad rem suam accommodet,aut tamquam inutile reijciat.

ACCEDIT, quòd qui dicunt Papam,auditis contrarijs rationibus,eo magis obfirmandum esse,certe (si verum amamus)nihil aliud faciunt,quàm illum nimis propositi,ac propriæ sententiæ tenacem,ac veluti inexorabilem condemnare, quem existimandum erat,si quid a Cardinalibus prudẽter,pie,vtiliterq. dictum audierit, D nullatenus esse reiecturum, etiam si diuersum aliquid secum antea statuisset:nam illa ipsa consilij petitio satis indicat,eum deliberationi adhuc locum reliquisse.Vnde nõ debet Cardinalis id boni,quod eius fortasse oratio parere posset,suo silentio prætermittere.

HIS ita positis,non obstat quod primũ obijciebatur, Medicos pharmaca tantũ salutaria ægrotis ministrare,ab illis vero, quę morbum augere possunt,se abstinere. Nam,vt omittamus hanc suspicionẽ in casu nostro ab omni ratione,ac verisimili etiam cõiectura

alienam

alienam esse, adhuc dicimus, disparem esse valde ratione Medici, & Consiliarij, siquidem Medici officium ab amicitia, aut pietate erga infirmum potest proficisci: at Cardinalis in Consistorio munus, a iustitia regulariter descendit. Item medicus, qui mercede conductus medetur, ad solam infirmi salutem respicit; at Cardinalis in consilio dando tum Principis, tum communis boni causam intuetur, immo cum prodesse cupit Principi, id facit ad publicam vtilitatem: & ideo quamuis inutilis, aut etiam noxia ipsi Principi opera eius esset euasura, si tamen adiuuari inde Respublica posset, veluti cum ex eius consilio ceteri Senatores, qui apud Principem sunt gratiosi, essent persuadendi, tunc non est ab eius officio deserenda. A

AMPLIVS non admodum laborat Medicus, an pharmacum æger abhorreat, dūmodo illi id sit profuturum, vt patet in furiosis: & ideo satis Medico est, si medicamenta ea præbeat, quæ ex arte medica sint apposita ad sanitatem. Quòd si dicas in præsenti quęstione poni, ex hoc consilio quamuis aliàs salutari, Principem tamquam ægrotum potius læsum iri, ideoq. ab hoc pharmaco esse abstinendum; Respondetur, Medicum, si videat pharmacum, quod huic morbo mederi solet, infirmo, quem curandum suscepit, nocere posse; non ideo mortiferum, aut noxium pharmacum ei ministraturum, sed potius illud, quod alioquin salubre esse solet, aliqua ratione temperaturum. Sic Consiliarius, qui in consilio a se petito nihil aliud præstare potest, quàm consensum, aut dissensum, & agnoscit consensum manifeste Principi obfuturum, cum inde eius ægritudo sit magis confirmanda, dissensum autem nocere quidem tunc aliquo modo posse, sed non omnino: quid faciet prudenter? certe dissensum tamquam indubitatum salutis pharmacum nullo modo derelinquet, sed illud dulcedine miscere, ac qua maiore poterit verborum suauitate condire conabitur, vt, postquam infirmo capiti merum nimis graue futurum esse videt, dilutum ei vinum magno pietatis affectu, synceræq. humilitatis signis propinare quærat. B C D

NON obstat secundum, quod dictum est de correctione: nam duplex illa est, altera proueniens ex charitate, quæ fraterna appellatur, & hæc tunc exercenda est, cum profutura speratur, de qua in pręsenti non agimus, non quia hæc quoq. ad Cardinales non pertineat, vt alibi disseruimus, sed quia illius non est hic locus.

Altera est, quæ ex actu iustitiæ proficiscitur, quæ cum publici boni ratione exerceatur, non est omittenda etiam si nulla futurę emendationis spes proponeretur: sunt enim alia bona, quæ ex tali correctione

A ctione sequuntur: [a] Vnde cum in casu nostro consilium hoc, quod a Cardinali prębetur, ad actum potius iustitiæ pertineat, non videtur prætermittendum esse, licet etiam nullus emendationis fructus esset expectandus. [a] S.Tho.2.2 q.33 art.6.

Et si quis replicaret, correctionem illam, quæ iustitiæ dicitur; & auctoritate Magistratus fit ad iudicanda scelera, & ideo coactiua appellatur, diuersam esse ab hac nostra, quam etsi iustitiæ appellamus, tamen inuitum non potest, nec debet Principem cōpellere; Respōdemus, satis nos diuersitatem horum actuum agnoscere, sed dicimus inde argumentari licere, quòd sicut in correctione illa vin B dicatiua tanta est vis iustitiæ exercendæ, vt, quamuis peccator nullatenus sit emendandus, attamen propter commune bonum, quod inde sequi potest, nullo pacto sit talis correctio deserenda: sic in casu nostro, cum non tantum de Principe, sed de bono publico adiuuando tractetur, non est tanta ratio habenda personæ Principis, an ex consilio illi dando sit mutandus, quanta boni publici, quod non est vllatenus derelinquendum, sed potius quocumq. modo, aut ratione fieri potest, illi vtilitas procuranda.

Sed amplius quod omnem videtur tollere dubitationem, dicimus, casum nostrum non proprie ad illam, quam Doctores tractāt, C correctionis materiam pertinere: nam correctio fraterna illa dicitur, quæ ab eo exercetur, qui non obligatur lege iustitiæ. At nos de Consiliario loquimur, qui lege iustitiæ cogitur accedere ad Principem, cum ab eo accersitur in Consistorium, & eadem lege respondere, cum rogatur eius sententiam, siue cum ab eo petitur, vt loco suo dicat, quid sibi videtur. Quo casu Consiliarij vox non est propriè correctio, sed responsio ad interrogata, & actus obedientiæ, atque persolutio debiti facta Principi, qui hoc iure suo petijt a Consiliario, vnde non potuit Consiliarius pro fide sua illud ei vlla ratione denegare.

D Non obstat tertium, quoniam in Consiliario aliud est officiū, aliud est finis. Ad officium tenetur Consiliarius, quod in eius est potestate: idq. est fidele consilium dare: ad finem autem non adstringitur, qui est illud persuadere, quia ab eo hoc non pendet, vt aliàs cōclusum fuit, [b] præterquàm quòd Consiliarij Cardinalis finis est quidem prodesse Papæ, sed ad boni publici vtilitatem, & Sedis Apostolicę dignitatem. Et ideo quamdiu interpellet hæc ratio communis boni iuuandi, non debet ille a munere suo cessare, neque hunc tam quam præcipuum finem vllo pacto deserere. [b] In quæst.12.

Secundum nunc sequitur, quod supra propositum fuit, quādo

scilicet

ſcilicet ſuſpicio vehemens admodum eſſet, Papam contrarijs ſentẽ- A
tijs Cardinalium eo magis ad damnum aliquod inferendum eſſe accendendum, quod quidem dupliciter conſiderari poteſt, ſiue quia aduerſus ipſoſmet Cardinales diſſentientes acerbior ſit reddẽdus, ſiue infenſior futurus aduerſus bonum publicum.

De ipſis Conſiliatijs aliàs diximus non debere eos, quãuis etiã diſcrimina illis imminerent, officium ſuum interuertere, cum purpuram ſuſcipiẽtes hoc ſe fidei, ac iuramenti vinculo obſtrinxerint, vt pro veritate, iuſtitia, publicaq. vtilitate tuenda, nec ſanguinis effuſionem vereantur. Nam vt ait S. Thomas, Quamuis homo naturaliter effugiat corporis proprij detrimentum, & damna rerum temporalium, non tamen propter iſta debet recedere a iuſtitia: aliàs timor B
inordinatus dicitur: qui damnandus eſt.[a] Et S. Auguſtinus inquit: *Quiſquis metu cuiuſlibet poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat, quia magis timet hominem, quàm Deum.*[b] Et ſane certum illud apud omnes ſapientes eſt, virtutẽ circa arduum, & difficile verſari, proindeq. ſi quid præclare homini in hac vita gerendum eſt, opus illi eſſe generali fortitudinis inſtrumento,[c] quo impedimenta alacriter ſuperentur, & extrema etiam pericula, cum oportet, nõ formidentur. Vnde S. Bernardus: *Non eſt vir fortis, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate.*[d]

Hinc tam frequenter ſacras litteras legimus illud populis in- C
culcantes: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.*[e] *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.*[f] *Viriliter agite.*[g] *Confortamini, & nolite timere.*[h] *Confortare, & eſto robuſtus.*[i] Vnde & Dauid dicebat: *In Deo meo tranſgrediar murum.*[k] Hæc eſt illa fortitudo, quam veteres etiã partem eſſe vniuerſæ virtutis affirmarunt.[l] Cuius præclara exempla etiam a Gentilibus propoſita habemus,[m] qui ne a conſilij ſalubritate recederent, maximus ſe periculis expoſuerunt, ſicuti de Q. Metello legitur, qui maluit in exilium ire, quàm in legem committere, ne ſententia ſua pelleretur: & de Q. Scæuola, qui reſpon-
dit, licet mortem miniteris, non tamen efficies, vt a quo Vrbs, D
& Italia conſeruata eſt, hoſtem iudicem: & de C. Mæuio, qui dicebat, iugulari me iube, quia nec mortis ſupplicio adduci poſſum, vt Cæſaris miles eſſe deſinam, & tuus eſſe incipiam. Quibus, & multa alia inuictæ fortitudinis documenta, ſi opus eſſet, addi poſſent.[n] Verum tam frequentia, & tam inſignia eorum exempla in ſacris hiſtorijs nobis occurrunt, qui ne mentirentur, ne fallerent, ne virtutem defererent, certiſſimo exitio ſe obiecerunt, cum tamen alia nulla quàm Chriſtiana lege tenerentur: vt hinc argumentari

liceat

a S. Tho. 2. 2. q. 19. art. 3. ad 3. et q. 126 artic. 1. & ſeq.
b Epiſt. ad Caſul. 86. & habetur in c. quiſquis, 11. q. 3. et late idẽ S. Auguſt. de verb. Apoſt. ſer. 18.
c S. Tho. 2. 2. q. 123. art. 2.
d S. Bernard. epiſt. 256. ad Eugenium.
e Matth. 10.
f Ioan. 14.
g Pſalm. 26. 1. Mach. 2. 1. Cor. 16.
h Iſa. 35.
i Dan. 19.
k Pſal. 17.
l Plat. in Lachet. circa fin.
m Val. Max. lib. 3. cap. 8. de Conſtantia.
n Val. Max. lii. 3. c. 2 de Fortitudine.

A liceat Cardinales, qui se peculiari muneris vinculo, ac proprio, quod profitentur, ordinis instituto, tum deniq. sacrosancto iuramẽto se in id obstrinxerunt, multo magis compelli ad veritatis, fideiq. publicæ constantiam tutandam. Propterea igitur hanc animi vim, & robur S. Augustinus columnæ marmoreæ comparabat, [a] quæ domum illam Philisthinorum sustinebat: nam sicut, fracta columna, domum ruere necesse est: sic euersa hac fortitudine, omnem bonorum operum structuram certum est dissolui.

a S. August. ser. 13. ad Fratres in erem. tom. 10.

Et sanè eò frequẽtioribus votis hic spiritus fortitudinis a Deo implorandus est, quo magis illum in Ecclesia Dei necessarium esse hodie cognoscimus. Multos siquidem constat varijs in Regionibus, & Senatibus, ac Societatibus inueniri, quibus non deficit B prudentia, non deest bonitas, non religio, non doctrina, non spiritus pietatis, non zelus diuini honoris, ac studium vehemens reformationis Ecclesiæ: sed non raro vacillat in illis animi robur, generosa mens, ac Christiana illa in actu ipso fortitudo, quæ, quando tempus postulat, strenue se exerere debebat, ac publice, & priuatim tum verbis, tum factis ostendere, nihil sibi antiquius esse, quàm commune bonum, ac sancta Dei instituta intrepide tueri, ac propugnare.

Qvantvm vero ad bonum publicum spectat, quòd videlicet magis lædi, ac grauiori detrimento subijci debeat, nihil fere dicen- C dum videtur, cum numquam sciamus id accidisse, nec verisimile sit accidere posse. Nam cum Papa caput sit, & administrator totius Ecclesiæ, cur credamus euenturum, vt ille debeat irritari in earum rerum perniciem, quæ ad illius commodum, dignitatem, ac patrocinium pertinent? Hoc certe, quod nec de barbaro, aut sæuissimo homine suspicandum esset, absit vt de eo, qui Pater, & Pastor est, concipere velimus, vbi præsertim naturalis ratio, ac sui ipsius amoris affectus repugnare vehementer solet.

Sed demus, nunc Consiliarium ex coniecturis non obscuris, omnino suspicari, se renitente, bonum publicum ob Principis indi- D gnationem eò magis perturbatum iri, quid hic respondendum? Dicimus, suspicionem hanc ab omni prorsus ratione alienam esse, & deponendam potius, quàm retinendam: si tamen casus talis, quem Deus auertat, accideret, sunt qui existiment Consiliarium culpæ non arguendum, qui ne publicum bonum in maiorem ruinam labatur, silentium amplectatur, quando omnes aliæ loquendi rationes ad iuuandum interclusæ viderentur. Nam cum ex officio sibi iniuncto teneatur, si maiorem nequeat Reipublicæ vtilitatem

promo-

promouere, saltem grauiora damna auertere, satis munus suum pręstare ille videtur, qui siue tacendo, siue loquendo, prout magis expedire iudicauerit, id assequatur. A

VERUM quoniam magna hinc deserendi officij occasio suboriri posset, sæpeque inanes sunt hæ suspiciones, ac potius humanæ imbecillitatis commenta: ideo censeremus nos, nisi perspicua admodum, & fere indubitata hæc futura se pernicies ostenderet (quod vix vmquam euenire posse credendum est) bonum Consiliarium a recta muneris sui ratione, tamquam a regia iustitię via numquam discedere debere. Et quamuis quædam ab Ethnicis Auctoribus commemorentur, quorum exempla ad excusationem facere videntur, dum aiunt: *Vidimus curiam trepidam, & elinguem, in qua dicere quod velles, periculosum: quod nolles, miserum esset.* [a] Nos tamen, qui nihil nisi culpam, & peccatum horremus, longe aliam vitæ rationem profitemur: & quidquid accidat, præ honestatis studio, ac iusto suscepti officij munere contemnere parati esse debemus. B

a *Plin. iun. li. epist. 8. ad Aristonem.*

PARS

PARS II. QVAESTIO X.

An Principis ſcientia & patientia, Cardinales animo diſſentientes, ſed ſilentio, & capitis demiſſione ſe aſſentiri oſtendentes, excuſare cenſeantur.

A POSSET fortaſſe Thema propoſitum legentibus admirationem mouere, quòd dubitare videamur accidere poſſe, vt Princeps prudẽs, & ſciens, patiatur Senatores ſuos coram ſe in throno maieſtatis ſuæ ſedente, aliud intrinſecus ſentire, aliud extrinſecus præſeferre, & tã quam in ſcæna delectetur ſibi ab illis Conſiliarij perſonam induentibus, veluti hiſtrionibus illudi, qui nihil minus, quàm vera conſilia proferant. Eſt ita ſane, noſq. idem QVAEST. XVI.
B confitemur. Sed quoniam progredientibus temporibus, poſſent nonnulli fortaſſe interdum exiſtere, qui ſuſpicarentur in magno Senatorum numero non deeſſe, qui tuta conſcientia ſilentium am plecterentur, eo quòd Principem hæc omnia diſſimulare ſibi perſuaderent; idcirco huic cuicumque opinioni obuiam eundum eſſe exiſtimauimus, vt ſi credulitatem hanc licet inanem nolint eo etiam tempore deponere, ſaltem intelligant eam Cardinalibus nequaquam ad excuſationem apud æterna tribunalia profuturam eſſe.

QVAMVIS enim dici ſoleat, quòd Princeps indignum aliquem
C ſcienter promouens, cenſetur illum legibus ſoluere, ac vitiũ, quod ei inerat, purgare:[a] & præterea notum ſit legis obligationem a Principis voluntate oriri, qui ſuo conſenſu, ac permiſſione eam modo interpretatur, modo limitat, aut etiam reuocat: & amplius conſtet, vniuerſum populum, qui contrariam legi conſuetudinem amplectitur, ab omni prorſus noxa, ac pœna eximi, eo quòd cum ea tacitus concurrat Principis aſſenſus: & denique, cum ea ſit Principis auctoritas, vt quod ei placitum fuerit, inſtar ſit legis, ſolaq. eius voluntate, tum nobilitatis decus, tum dignitatum gradus conferatur, natales reſtituantur, infamiæ macula aboleatur, hominumq. ſtatus immutẽtur: poſſentq. hæc & alia huiuſmodi aliquib. forte ſuadere,

a l. quidam cõſulebant, de re iud. Fel. c. cum inter. de exceptio. num. 3.

Conſi-

Consiliarios quoque, si ea se probare simularent, quæ vere non pro- A
bant, omni culpa vacare, quòd scilicet hæc Principis tacite annuentis voluntas, eos, eorumq. facta a quacumque noxa debeat vindicare. Attamen in quæstione nostra secus omnino respondendum arbitramur, cum hic diuinæ, & naturalis legis ratio repugnet, quæ nos mentiri, ac fidem violare prohibet, ideoq. nulla humana auctoritate solui potest: etenim, vt ait sanctus Augustinus: *Nemo mentiẽs in eo quòd mentitur, seruat fidem: nam hoc vtiq. vult, vt cui mentitur, fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non seruat; omnis autem fidei violator iniquus est.*[a] Hinc sequitur, Cardinalem, qui Consiliarij officium cum iuramento suscepit, vt syncere, & fideliter quod sentit, denunciet; si secus faciat, tum officium, & conscientiam violare, tũ B
Deo ipsi, cui se iuramento obstrinxit, criminis reum se cõstituere: immo neque accedente etiam vlla consuetudine id ei licere: quoniam cum a diuino pendeat præcepto, vt nemo alteri mentiatur, non potest id per consuetudinem, quæ a voluntate hominis proficiscitur, abrogari, dicente Isidoro: *Vsus auctoritati cedat: prauum usum lex, & ratio vincat.*[b]

AMPLIVS etiam, cum ad id munus consulendi Cardinalis delectus fuerit, vt nõ solum Principis Consiliarius foret, sed preterea vt vniuersæ Christianæ Reipublice, ac Sedis Apostolicę perpetuus administer esset: certe quamuis hic Consiliarius forte argui non posset reus iniuriæ factæ Principi scienti, & volenti: illam tamen inferret Ecclesię Dei, cuius causam desereret: inferret ceteris Cõsiliarijs, quibus tacendo, & annuendo persuaderet, quantum in se esset, vt idem quoque ipsi facerent, & probarent, quod omnino reprobandum esse animo iudicarent: inferret denique, quod caput est, Deo ipsi æterno Iudici, qui ad Cardinalatus officium illum vocauit, vt veritatem, & fidem in consulendo præstaret; quiq. adeo odit homines mentientes, vt Propheta dixerit: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*[c] D

NEC ad rem pertinet quòd Principis scientia, vt Doctores aiũt, videatur omnem labem abolere: nam recipit ea regula multiplicem ab eisdem explicationem. Primum, vt res ea sit eiusmodi, quæ dispensationem patiatur.[d] Secundum, vt dicat Princeps verbis expressis se dispensare.[e] Tertium, vt actus Principis cõsistat, sicut ipsi alunt, in agendo, non in patiendo.[f] Quartum, quòd vitium sit iuris positiui, non diuini: quod Principis potestati non subijcitur. Verum nullum ex his quæstioni nostræ plane conuenit, quandoquidem nec res, de qua agitur, dispensationem admittit:[g] nec Prin-

ceps

a S. Aug. li. 1. de doctr. Christiana, c. 36.

b In Synonimis. & S. Tho. 1. 2. q. 97. arti. 3. ad 1.

c Psal. 5.

d Fel. c. si quãdo. de rescript. in 6.

e Ioan. Andr. Butr. Gemin. c. significauit. de offi. ord.

f Butr. & Gemin. c. ueniens. de fil. Presbyt.

g August. de Ancon. de potest. Eccl. q. 49. art. 1.

A ceps ipſe clare dicit ſe diſpenſare. Nec actus vllus eius poſitiuus in hoc negotio deprehenditur: & deniq. materia hęc eſt, quę ad ius diuinum, & iuramẽtum pertinet. Ideo dicimus, Cardinalem minime ſe hoc clypeo Principis tueri poſſe.

Et ſi quis diceret, hoc vere non eſſe mendacium, cum is Principi non mentiatur, cuius mẽs ab illo deprehenditur, præſertim cum nõ taceat, decipiendi Principem, ſed potius eidem placendi animo; Reſpondetur, Conſiliarium hunc nullo pacto a mendacij culpa immunem eſſe, cum mentem gerat ab exterioribus ſignis, & actibus diuerſam, ſiquidem nihil aliud eſt mendacium ex Theologorũ ſen B tentia, quàm inordinata verborum, ſignorum, aut factorum ſignificatio.[a] Quod quidem ei virtuti ſemper eſt contrarium, quæ appellatur veritas: hac enim homines diriguntur, vt dicta, & facta cum eo, quod verum eſt, conforment, ac fidem ſeruent: neque enim fallendi animus eſt ſemper neceſſarius ad vim, atque naturam mendacij, ſed ad maiorem illius grauitatem.[b]

Et rurſus ſi obijceretur, Conſiliarios deligi a Principe, idcirco eius voluntatem ſequi debere: & cum ſciẽti & volenti nulla fiat iniuria: propterea cũ Princeps ſciat, & patiatur, Cardinalem intus in animo diſſentire, quamuis contraria foris intuere videatur, ideo nul C lam hoc caſu ab ipſo Cardinali iniuſtitiam admitti, & proinde nullam contrahi ab eodem culpam; Reſpondetur, quòd etſi, Conſiliarium eſſe, pendeat ab electione Principis, veritas tamen, & fidelitas in officio gerendo eſt iuſſa, & præcepta a Deo: & ideo potuit quidem Princeps non eligere talem conſiliarium, ſed vbi illum ſibi ad hoc munus adſciuit, non poteſt Conſiliarius aduerſus diuinæ legis præceptum mendacia conſilijs miſcere. Queſnadmodũ enim mulier nupta, ſi viro ſuadente, vel etiam cogente, nedum ſciente, cum alio rem habeat, effugere non poteſt, quin criminis adulterij D rea ſit. Diuini ſiquidem iuris pręcepto inſitum eſt matrimonio, vt vna vnius ſit viri, illoq. viuente, ad alium ſine adulterij culpa accedere non poſſit: cuius præcepti vim, neque tacitus vllus, neque expreſſus mariti conſenſus valet tollere, aut imminuere. Eodem prorſus pacto arctiſſimum vinculum, quo ex legis diuinæ præſcriptione conſtringitur Senator ad fidele conſiliũ dandum, ſeq. abſtinendum ab omni ſimulatione, & mendacio; nulla Principis ſcientia, aut patientia, aut etiam diſertis verbis patefacta voluntas ſoluere, aut labefactare poteſt. Sic etiam iudici iniuſtum ferre iudicium minime licet ob Principis iuſſum: nam in facultate quidem Principis eſt, illum ad iudicandi munus non aſſumere, aut aſſumptum

a S. Tho. 2. 2. q. 110. artic. 1. ad 2. & art. 3. ad 5.

b Nauarr. in Manual. c. 18. num. 2.

suo arbitratu ab eo amouere. At non est, eundem ad iniuste iudicandum compellere, in quo lex diuina, quę non subijcitur Principis potestati, aperte violatur. Hinc non excusatur a pœna canonis, qui in Clericum etiam volentem manus inijcit violentas,[a] nec actus valet coram Iudice sæculari aduersus Clericum, quantumuis ille renunciet priuilegio fori.[b] Quo fit, vt concludendum sit, tum demum aliquem a crimine immunem esse, accedente alterius expresso, vel tacito consensu, cum de illius solius, qui consentit, re agitur, & nullum fas, aut ius læditur. A

[a] c. contingit, de sent. excom.

[b] c. si diligenti, & c. significasti, de for. cõpet. l. pen. C. de pact.

Ceтera, quæ antea obiecta fuerunt, quòd scilicet legis obligatio a Principis voluntate oriatur, & consuetudo legi contraria, interueniente Principis consensu, excuset a culpa, & quòd denique ipsa Principis voluntas instar legis habeatur, & alia huiusmodi, possunt quidem in legibus humanis valere, non tamen in diuinis: de quarum numero est, non mentiri: satis enim superq. dictum iam est, obligari Cardinales ad veritatem in consilijs tuendam, tum iure Pontificio, tum diuino: contra quod nec consuetudo, nec Principis scientia, aut taciturnitas quidquam operatur. B

FINIS SECVNDAE PARTIS.

DE SACRI CONSISTORII CONSVLTATIONIBVS

PARS III. QVAEST. I.

An Cardinales creati a Papa, seu ab illo, muneribus, atque honoribus decorati: siue etiam consanguinei, vel nepotes a dicenda in Consistorio sententia excusentur.

A POST excusationes illas, quę Papæ personam attingunt, próxime sese nobis offerunt aliæ, quæ a Cardinalibus oriũtur, illaq. in primis, quæ a munere illorũ proficiscitur: quod multipliciter considerari potest. QVAEST. XVII.

QVATTVOR igitur in præsenti Themate res proponũtur, quæ quamuis non absimiles inter se videantur, habent tamen suas singulæ proprietates: ideo ad clariorem earum diffinitionem, vnamquamque sigillatim examinandam esse duximus.

PRIMA est, an illi, qui a Papa in Collegium Cardinaliũ cooptati B fuerunt, & qui vulgo creaturæ Papæ vocari solent, excusandi sint a dicenda in Consistorio sententia. Nã, cũ maximã esse accepti beneficij vim nemo ignoret, adeoq. acres ad referendã gratiã stimulos ex adepto munere excitari notũ sit, vt liberalis animus officij cõpẽsandi studio non possit cõquiescere; propterea mirum esse nõ debet, si Cardinales aliqui hoc amplissimo honoris gradu a Papa exornati, cupientesq. non affectu tantũ, sed re ipsa ẽt nullã gratissimi animi significationem prętermittere, verentur interdum, ne si quid ab illius voluntate alienũ ab eis enuncietur, parum memores collati in eos beneficij videãtur: quod generosus animus nequaquã ferre põt.

PRAETEREA cum Cardinales triplici nomine summo Pontifici obstricti esse censeantur, Primò religionis causa, quatenus cõem eum

a Extrauag. vnā sanctam.
b S.Tho. 2.2. q.102. artic.1. & seq.
d Dion. lib.de diu.nom.c.3.
e S.Tho. 2.2. q.106.artic.3. Arist.9.Ethic. cap.7.
f Cic.lib.1. de offic.

eum omnium pastorem agnoscunt:[a] Secundò, quatenus spectat ad omnes, qui bene instituti sunt, personas dignitate præcellẽtes, a quibus communia procedunt beneficia, colere:[b] Tertio, prout singuli illum benefactorem suum priuatim reuereri debēt.[c] Ideò, cum omnis effectus naturaliter ad suam causam conuertatur, vt ait S. Dionysius,[d] naturalisq. ordo requirat, vt qui suscipit beneficium, animum reuocet, atque reflectat in benefactorem tamquam auctorẽ suum: & a quo principij sui capit originem;[e] sequitur, illos Cardinales, qui plus alijs Papæ debent, gratiores quoque se alijs ostendere debere, cum nullum officium, vt ille ait,[f] referenda gratia magis sit necessarium. Quare excusandi videntur, si saltem silentiō, cū aliter nequeant, suum obsequendi studium declarent. A B

VERVM, si ratio muneris sibi impositi diligenter ab ijs expendatur, facile hac suspicione liberabuntur. Cogitare siquidem eos frequenter oportet, hunc dignitatis gradum in Ecclesia Dei ad cōmunem vtilitatem institutum fuisse, eosq. non solum Cardinales, sed etiam Cōsiliarios simul creatos esse, vt eorum præsidio, & suffragio summi Pōtificis, sanctæq. Sedis Apostolicæ cura, & solicitudo subleuaretur; immo quia Cardinales sunt, ideo Consiliarios esse: id enim consulendi officium Cardinalis dignitati ita insitum, atque intimū est, vt ab ea separari non possit. Nam, quāuis ipsa Cardinalis electio sit libera, & gratuita, consilij tamen dandi veritas, & fides in electo est iussa, & necessaria. Vnde repugnat, aliquem deligi Consiliariū, & non consulere: quin silentio suo vī efficere, quantum in se est, ne quodam modo sit Cōsiliarius, cum tamen occupet locū Cōsiliarij. C

ACCEDIT, quòd cum inter eos, qui ab eodemmet Papa superstite in ordinem Cardinalium cooptati fuerunt, multi inueniantur doctrina, prudentia, rerumq. vsu præstantes, profecto graue conseque retur detrimentum publicis rebus, & ipsiusmet Pontificis commodo, & dignitati, si illis silendum esset, præsertim cū Cardinales ex eodem numero non paucos, superioribus etiā tẽporibus (ne quid de præsentibus dicamus) floruisse sciamus, qui sentẽtias rogati multa prudenter, multa pie, atq. vtiliter dixerunt. Quod cum illis summa eorum cum laude, ac Reipublicæ cōmodo successerit, facile ex eo apparere potest, quid in hac materia sequi oporteat, atque eorū exemplo quàm facile deponenda sit illa inanis ingrati animi suspicio, cum potius verendum sit, ne quis vere ingratus habeatur, si dignitatis suæ auctori salutaria consilia non præbeat. D

QVID vero, quod interdum contingit, vt isti permulti sint, seniores vero Cardinales a prædecessoribus Pōtificibus facti, nō adeo

multi

A multi,aut absentes sint?num ergo in rebus grauissimis,in quibus saluberrimum est,multorum consilia,& sententias audire,magna Senatus pars silebit? Atqui cũ Cardinalitiá dignitas,vt aliàs diximus, ad Christianæ Reipublicæ commodum fuerit inuenta,non videtur eos,saluo munere suo,quãdo vniuersalis Ecclesię poscit vtilitas,posse tamquam mutos auscultatores in aliorum dicentium cœtu cõsidere, cum illis a summo Pontifice os olim apertum fuerit,vt loquãtur,non vt sileant,ne alioquin tam ob modestiam,quàm ob imperitiam,aut assentationem tacere videantur.

SED & amplius,cum ab eo,qui aliquid persuadere conatur,tria B potissimum requiri soleant:[a] prudentia,vt intelligat quid expediat: bonitas,vt loquatur fideliter quod sentit: beneuolentia,vt prodesse cupiat.Duo illa priora,possunt alijs Cardinalibus communia esse: at tertiũ,quod fiduciam Principis maxime prouocare solet, dubiũ non est,ad hos,quos tamquam filios Papa parturijt,præcipue pertinere.Et ideo cum ad proficiendum ipsi aptiores videãtur, eo minus alijs interdũ silere debent . Deniq. hi fructibus Ecclesiasticis æquè ac alij Cardinales sustentantur, Ecclesias in sacro Consistorio proponunt,Legati de latere a Sede Apostolica mittuntur,Cõgregationibus Cardinalium intersunt,sententias publice, & priuatim alijs C quibuscumque de rebus loco suo dicunt,muniaq.omnia pariter,ac reliqui Cardinales obeunt.Cur ergo in hoc vno, quando de rebus difficilibus deliberandum est,soli ipsi communibus Consistorij legibus soluti esse iudicentur?

a Aristot. in Rhetor. lib. 2. cap. 1.

NON obstat igitur quod primum de fugiendo ingrati animi vitio obijciebãtur:nam vt aliàs dictũ fuit,negotium hoc,de quo agitur,tale esse concipitur,vt Consiliarius existimet detrimentũ publicæ rei afferre posse nisi ei occurratur:& tunc grati animi debitũ nõ exigit silentium,aut patientiam,sed subsidium: alioquin non esset tunc remuneratio beneficij,sed magis illatio nocumẽti.[b] Quin po D tius vereri debet ingrati animi vitium qui tacet, & benefactoris sui dignitati non inseruit,ac quæ salutaria esse putat,non manifestat.

b S. Tho. 2. 2. q. 107. arti. 1. ad 1.

NON obstat etiam secundũ,quoniam preter supradicta dicimus quòd cum maiorum beneficijs æqualia reddi nequeant,fideli consilio,assidua consuetudine,& sermone sine adulatione iucundo compensari debent.[c] Ex quibus concludimus,hos Cardinales, qui minus congruo vocabulo Creaturæ Papæ vocari solent, si strenue, & fideliter,vt credendum est, officium suum in consulendo præstiterint,eosdem, vetere homine,& nomine deposito, nouam præ alijs in Christo creaturam esse efficiendos.

c S. Tho. 2. 2. q. 106. arti. 3. ad 5. colligitur ex Senec. lib. 5. de benef. c. 15.

SECVNDA est dubitatio de ijs Cardinalibus, qui Papæ ministri essent, aut ab eo honores, seu emolumẽta essent cõsecuti, an illis silere liceat. Qua ex re duplex elici potest ambigendi ratio; altera propter grati animi officium, de quo supra dictum fuit: altera propter fidem, & secretum, quod ab eo tamquam Papę ministro multis in rebus exigi solet. A

VERVM ne rationes modo allatas repetamus, hoc solũ dicimus, quod ad primum attinet, videri nobis, quo ampliora fiduciæ, aut beneficentiæ signa hi fuerunt consequuti, eo ad fidele consiliũ Papæ dandum, atq. actiones benefactoris sui, existimationemq. quantum in se est, tuendam, & adiuuandã obligatos magis censeri. Quę enim peruersitas esset ex eo aliquẽ segniorẽ fieri ad benemerendũ de aliquo, quòd ab eo multis honoribus, & priuilegijs sit cohonestatus? B

QVÒD si in priuato beneficio id absurdum esset, quanto magis in publico? Cardinalem fieri, publicum beneficium est, a Principe, vt publica persona est, ad publicam vtilitatem tributum. Quare publicum syncerę fidei, & obseruantiæ testimoniũ, & Principi, & Reipublicę perpetuò persoluendũ esse, optimus, & sapientissimus quisque iudicabit: immo, si rem verius, atque exactius expendamus, hoc Cardinalis munus Deo ipsi in primis acceptum ferẽdum est, cuius beneficentia fuit ad Christianę Reipublicę vtilitatem institutum. Vnde cum non liceat pro humana quacumq. gratia, siue auctoritate, diuinam legem transgredi, certe nec propter accepta summa et a Principe beneficia, qui Dei minister est, fidele consilium diuinitus præceptum, deserere fas erit.[a] C

a S.Tho. 2.2. q.106. artic.1. & art.3. ad 5.

Vnde non obstant duæ rationes in contrarium allatæ: ad priorẽ enim iam satis supra responsum putamus. Ad secundam vero infra in quarta dubitatione magis congruo loco respondendum erit.

SEQVITVR tertia dubitatio, quando scilicet Cardinalis responsurus, esset consanguineus summi Pontificis, an tunc ei liceat silere. Dubitari enim ex eo maxime posse videtur, q. cum consilia a pluribus exquirantur, vt veritas facilius inueniatur,[b] cognationis autem vinculum multos tamquam in vnũ copulare videatur, eo quòd omnes ab eodem fonte proficiscuntur. Vnde & in præcepto Decalogi, quo parentes honorare iubemur, etiam consanguineorũ cultus cõtinetur, quia ab eisdem parentibus processerunt:[c] Propterea hi, qui cognatione coniuncti sunt, consilijs ferendis apti non videntur, eo quòd verisimile sit, vnam eorum omnium futurã sententiam. Huc accedit, quòd cum ob hanc carnis necessitudinẽ, summa vigeat inter eos affectio, & studiũ sibi inuicẽ obsequendi, suspecta haberi pos- D

b c. de quibus, 20. dist.

c S.Tho. 2.2. q.101. art.1.

sunt

A sunt eorum iudicia, cum vsu receptum videamus, & Iudices, & Magistratus ob id recusari,[a] & in Senatibus, & Collegijs, vbi de propinquorum causa agitur, eos, qui hoc vinculo iuncti sunt, à suffragijs ferendis arceri.

a c. postremo. de appell. c. accedês, 2. vt lit. non contest.

VERVM ex altera parte considerandum proponitur, Cardinales, qui se Christo Domino in susceptione gradus consecrarunt, ac solemni iuramento etiam ad effundédum sanguinem pro illius gloria, ac Christianæ Reipublicæ salute deuinxerunt; ad perfectionis statum iam translatos,[b] atque veluti alteros effectos censeri: ideoq. in Consistorio tamquam Christi ministros, summi Pontificis coadiutores, publicæ rei protectores, iustitiæ custodes, & veritatis pro-

b Aug. de Ancon. q. 102. ar. 1. & seq.

B pugnatores confidere. Immo, vt sapientes quidam olim dicebant, sicuti fluminibus accidere videmus, vt quamuis ex diuersis regionibus, atq. orbis partibus deriuentur, atque inter se tum nomine, tum amplitudine, ac mira aquarũ, piscium, alueorumq. varietate distinguantur, cum tamen mare ingrediuntur, ita cum eo commiscêtur, eiusq. magnitudine absorbentur, vt pristinas proprietates omnes, & nomen etiam ipsum amittant; sic Cardinales ex diuersis nationibus, & familijs a Papa in sacrum eius Collegium tamquam Ecclesiasticum mare cooptati, ita cum eo veluti in vnum corpus coniungi censentur, vt quemadmodũ in Christo Domino non est Iudæus,

C aut Gentilis, liber, aut seruus, Græcus, aut Scytha,[c] imò nec masculus, aut fœmina;[d] sic apud Christi Vicarium, Cardinales, qui illi in adiutorium dati sunt, adeo spiritu, & publicæ vtilitatis studio cum eo copulari, æquũ est, vt pristinæ consanguinitatis, aut nationis, aut domesticarum rerum obliti, si id ratio postulet, dicant patribus, & coniunctis suis: Non nouimus vos; sed toti ad res publicas tuendas, & fouendas ferantur.

c Coloss. 3.
d Galat. 4.

PRAETEREA cum in quæstione nostra de eo agi ponamus, quod, si succederet, iudicat Consiliarius publico bono, sanctisq. decretis a Deo ordinatis repugnare, dicendum est, eũ hoc casu publicam vti

D litatem consanguinitati præferre debere, ac coniunctos in hac parte, quatenus illum ab officio, & virtute auertere possent, repellendos omnino esse. Quod quidem ex sacris Euangelij verbis notissimum est: quibus Saluator sæpe suos docuit, quemadmodum eos ambulare oporteret cũ sãguine sibi côiunctis. Inquit enim: *Si quis venit ad me, & non odit patrem, matrem, vxorem, fratres, sorores,*[e] &c. Et rursus: *Qui amat patrẽ, & matrẽ plusquàm me, non est me dignus.*[f] Et amplius, nunciantibus discipulis matrẽ, & fratres suos illũ foris expectare, respondit: *Quicumq. fecerit voluntatem Patris mei, ipse*

e Luc. 14.
f Matth. 10.

frater meus, & soror mea, & mater mea est. [a] Quæ quidē illius verba A
sancti Doctores communi consensu sic interpretati sunt, vt in ijs re
bus, quæ possunt impedimento esse, ne voluntas diuina impleatur,
siue vt iustitia, ac veritas lædatur, carnis cognationem nullo pacto
spectandam esse sciamus.

Ad id igitur, quod antea obijciebatur, consanguineorum affe-
ctum ita inter se iūctum censeri, vt separari non posse existimetur,
eo quòd sit secundum naturalem originem, a qua discedere nō pos-
sunt: quia secundum eam sunt id, quod sunt; [b] Respondetur
quòd cum affectus rationi sit subiiciendus, atque in dilectione or-
dinem seruari oporteat, [c] & secundum diuersas causas alicui plus,
alicui minus debeatur: dubium non est, Deum in primis non solū B
vt bonorum omnium auctorem, & veræ beatitudinis causam, esse
diligendum, [d] sed etiam quia cum eo magis, quàm cum progenito-
ribus coniungimur, *in quo viuimus, mouemur, & sumus:* [e] & ideo ho
rum voluntati eatenus est obsequendum, quatenus diuinis mādatis
non aduersatur, prout in casu proposito ponitur: siquidē Deo prin-
cipaliter quidquid a nobis proficisci potest, debetur. [f]

Ad secundum vero, quo dicebatur, propinquorum suffragia iure
communi suspecta haberi: Respondemus, quòd vbi de rebus pri
uatis, siue in quibus consanguineorum vtilitas, aut commodum ver C
sari potest, agitur, id non negatur. At vbi Ecclesiæ dignitas, publicę
rei causa in disquisitionem vertitur, nihil est, quod Cardinales hoc
casu tamquam præcipuos Sedis Apostolicæ, ac communis vtilitatis
curatores, & defensores debeat repellere.

Svperest vltima dubitatio, quando idem Cardinalis etiam ne
pos sit, cui summus Pontifex arcana sua, atque grauiora omnia ne-
gotia committere soleat, num ille eorum conscius, quæ alijs occul-
ta sunt, debebit sententiam suam palam aperire? Non negamus
maiorem hic dubitationē subesse, maximaq; circumspectione opus
esse, ne quod sibi secreto a summo Pontifice mandatum fuit, ille ad D
uersus fidem, atque officium detexisse videatur, cum & procurator,
atque aduocatus ad secreta causæ seruanda obstringatur, aliàs dica
tur præuaricator. [g]

Sed quoniā ex altera parte, quando nepos hic pro animi sui cō-
scientia sentiret se in contrariam sententiam ob publicę rei vtilitatē
aduersus patruum trahi, non possumus ei nō suadere, ne vllo pacto
sensum suum in aliorum perniciem dissimulare audeat: nā cū hoc
sit secretum non sacramentale, sed iuris naturalis, vt vocant, nō est
tāti faciendū, vt publico bono, qñ res postulat, sit anteferendum. [h]

Svb-

[a] Matth. 12.
[b] S. Tho. 2. 2. q. 26. art. 7.
[c] S. Tho. 2. 2. q. 26. art. 1.
[d] S. Tho. ead. q. art. 2.
[e] Act. 17.
[f] S. Tho. 2. 2. q. 101. artic. 3. et q. 106. ar. 1.
[g] l. athletas. §. calūniator, de his, qui notan. infam. l. 1. C. de aduoc. diu. iud. Sum. Siluestri. verb. aduocatus.
[h] Summ. Siluestr. verb. secretū, et ver. cōfessio. 3. §. 20.

A SVBDIMVS tamen in re tam graui, aliquid absolute diffinire, periculosum esse propter multiplices, quæ in re proposita possent circunstantiæ se offerre. Vnde nos potius in præsenti hæc pauca attingenda ad innuendum, quo mens nostra propendeat, duximus, quàm vt omnia, quæ necessaria essent, nobis complecti posse persuadeamus. Quòd si occasio ita ferret, vt absque violatione secreti, nepoti liceret consilium suum explicare, videretur posse ille simpliciter id, quod propositum esset, pro sua conscientia probare, aut improbare, nullis adiectis rationibus: alioquin si non liceret, tunc maturiori consilio rem totam examinandam esse, posset respondere, aut silendi veniam a summo Pontifice postulare.

B NON negamus quidem in superioribus omnibus casibus, maiorem semper ab his Cardinalibus, de quibus egimus, quàm ab alijs verborum sobrietatem, ac reuerentiam exigi iure posse, modo ne officij fines deserantur, & cum filiorum humilitate, atque modestia, Cardinalitia simul integritas, consiliariaq. veracitas retineatur. Fixum enim in animis illud esse debet, Deo in primis seruiendum, propriam conscientiam numquam fallendam, & munus cuique assignatum fideliter esse exequendum.

C PARS III. QVÆSTIO II.

Qui ante acto tempore officium suum consulendo bene præstitisset, si aliquando deinde rogatus in Consistorio sileret, an esset excusandus.

D VT propositæ difficultatis solutio clarius possit se omnibus patefacere, illud in primis considerandum erit, non de eo nos Consiliario in præsenti agere, qui senio, aut curis confectus, seu alio corporis incommodo laborans, eligat magis se domi continere, quàm in Consistorium prodire. Nam cum aduersa valetudo, iustam cuique præbeat excusationem; cumq. de alijs naturæ imbecillitatibus, quæ impedimentum aliquod in dicenda sententia afferre possunt, aliàs proprio loco tractatum fuerit, censemus nos incommoda huius- QVAEST. XVIII.

huiusmodi non priuilegij, sed molestiæ potius loco habenda esse. A

Verum de his est dubitatio, qui cum publicas res dicendo diutissime tutati fuerint, atque operam suam Reipublicæ quocumque loco & tempore egregie nauauerint, ita vt de eorum fide nihil omnino dubitandum reliquerint; si deinde aliquando acciderit, vt ipsimet se a dicenda palam sententia in Consistorio abstinuerint, debeat ne hoc eorum meritis condonari, atque hæc culpa, præ aliarum, quibus fulgent, virtutum magnitudine, facile dissimulari.

NAM huic parti id fauere videtur, quòd quemadmodum veteranis militibus, de Principe, atque Republica benemeritis, illustria solent honorum, atque immunitatum priuilegia concedi ob susceptos, exantlatosq. labores, ob perpessa pericula, atque alia strenue ab eis gesta; sic dubitari possit, si quando Consiliarius post diuturna fidei, prudentiæ, virtutisq. suæ documenta tradita, cupiat in Consistorio aliquando silere, atque alios potius loquentes audire: siue etiam quando negotia quædam proponantur, in quibus optet iudicium suum nullatenus interponere, num ille dignus hoc silentij priuilegio ob præterita illius merita sit censendus, nec minore idcirco in pretio habendus. B

VERVM nos respondemus, Cardinalitiam dignitatem, cum sit status quidam Ecclesiasticę perfectionis, in amplissimo honoris gradu collocatus, quippe qui est summo Pontificatui ceteris omnibus propinquior, & coniunctior, quo maiorem virtutis exercendæ, amplioremq. proficiendi campum nacta fuerit, eò præclarius munus suum præstare, atque felicius absoluere. Vnde cum de eo Senatore loquamur, qui vsu peritus, prudentia, & rerum cognitione præstat; tantum abest, vt hoc ei priuilegium sit tribuendum, vt eo arctiore vinculo loquendi obstrictus esse intelligatur. Nam quemadmodum miles veteranus, quantumuis militari gloria clarus, si non tenet in prælio locum, quem Imperator ipsi constituit, maiorem sibi notam inurit, quàm Tyro, qui nuper in militiæ disciplinam adscitus est; eodem modo, in maiore culpa videtur Consiliarius, qui plurimum valet auctoritate, & prudentia, quæ canos sequi solet, si non profert aperte sententiam suam, quàm alij, qui minus instructi, atque eruditi sunt. C D

Quare si iste vno tantum in loco se excusare velit, quòd scilicet in Congregationibus, & coram summo Pontifice, atque alijs omnibus in locis, & publice, & priuatim libere quod debet, pronunciare non desinat, sed in Consistorio tantum hoc sibi permittendum esse contendat; Dicimus, nullum esse omnino locum, qui

iure

A iure suo vrgere magis debeat Cardinales ad debitam officij fidem, quàm ipsum sacri Consistorij locum ad consultanda negotia præcipue institutum, & vbi summi Pontificis præsentia, & maiestas, vna cum toto amplissimorum Patrum Senatu, grauissimas, sanctissimasq. sententias ab omnibus expectat.

Et si replicetur, hoc in quibusdam tantum negotijs, seu causis, ab eo postulari, in quibus concedi sibi silentium admodum cuperet; Dicitur, nullam prorsus exceptionem videri admittendam, quominus Consiliarius, & eo magis qui prudentia, atque vsu excellit, quoties sibi persuasum habeat, rem communem, nisi ei obuiam eatur, periclitari, debeat ad dicendum exurgere. Nam quis vel scintilla charitatis attactus, quis præstitæ a se fidei memor,
B quis sibi muneris sui conscius, quis vel ipso purpuræ, quam gestat, colore admonitus, si periculum sentiat, poterit conticescere, & otiosus consertis manibus sacra illa subsellia occupare, & non potius ad dicendum, & sæpius idem, si opus sit, repetendum, totus exardescere?

Quod vero ad tempus attinet, si iudicarent aliqui propter præterita eorum merita, sæpiusq. probatam fidem, posteriores aliquos lapsus, si qui interdum subsequerentur, facile condonari debere. Satisfieri his posset, si in memoriam reuocaretur, scriptum esse: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* [a] Nam vt ait S. Hieronymus, Christianorum non principia, sed fines quæruntur, [b] cum virtus ipsa non in medio cursu defatigetur, sed amplius semper progrediens, meritum non in eo tantum defigat, quod bene inchoauerit, sed quod ad finem vsque recte agendo peruenerit, ideoq. perseuerantem animi firmitatem vsque adeo postulat, vt non sufficiat, hominem frequenter bonitatem suam probasse, nisi ea perpetuo, constantissimeq. retineatur; cum ea sit peccati prauitas, vt quemadmodum venenum sana & valentia corporis membra inficit, sic illud præterita bona opera corrumpat, [c] quamuis etiam semel admissum fuerit: [d] quod & legibus ciuilibus, iudiciarioq. foro obseruari videmus, quæ grauem vnius tantum criminis noxam, ab eo etiam, qui antea semper innocens fuit, admissam, perpetua pœna damnari iubent. [e] Quod multo magis in Christiana religione ob summam illius perfectionem, & virtutum connexionem receptum est, iuxta sacra Iacobi Apostoli verba: *Qui peccauerit in vno, factus est omnium reus.* [f] Itaque prudentis est, sibi nihil anteactæ vitæ fiducia blandiri, sed quo plura gratiarum dona a Deo fuit assecutus, eo se gratiorem illi ostendere, & cautius in posterum

(Marginal letters: C beside "tur, cum virtus..."; D beside "xam, ab eo etiam...")

a Apoc. 2.
b Epist. 10. ad Furiam.
c S. Tho. in 3. par. q. 89. ar. 4
d S. Tho. 1. 2. q. 87. art. 3.
e l. 1. C. de rap. virg. lib. 2. C. de falsf. monet. cum simil.
f Iac. 2.

sterum offensiones quascumque vitare, ne præteriti laboris fructum A tamquam patrimonium diuturno tempore, magnisque laboribus comparatum, horæ momento imprudenter amittat.

Quòd si delictum in casu proposito etiam aliquandò veniale esset, adhuc dicendum videtur, præcedentium meritorum viribus nequaquam deleri, sed inordinationem, quàm vocant ex eo, contractam, [a] suis esse remedijs subinde reparandam.

a S.Tho.1.2, q.88. artic.1.

Ex quibus omnibus colligimus, id, quod initio quęstionis de milite veterano obijciebatur, nihil ad rem nostram pertinere: nam miles ob ingrauescentem ętatem; roborisq. imbecillitatem, a castrensibus laboribus solet liberari: at Cardinalis, donec viribus, & ingenij, & corporis valet, ita vt possit in sacro Consistorio cum alijs consistere, atque officio Cardinalis fungi, non debet pro dignitate sua ea re B cusare, quę illius ętati, aut grauitati non solum imparia non sunt, sed immo quàmmaxime consentanea, vt scilicet quoties a Principe illius consilium pro Reipublicę salute exquiritur, illud a matura illius sapientia, & grauitate fideliter præbeatur.[b] Eget enim ars militaris, vt inquit ille, viribus, ac celeritate corporum: vtitur eminus hastis, cominus gladijs, quę ad iuuenes pertinent maxime: at Senatoria dignitas nititur consilio, auctoritate, ratione, sententia, quæ in sene potissimum reperiuntur. Quocirca, quæ ætas a militia immunes facit, ea ad Senatoria perfungenda munera aptiores, atque obstrictiores reddit.

b Cic. de senect.

PARS

A

PARS III. QVÆST. III.

B Qui cum Pontifice iam se priuatim egisse, idque frustra, aut se commodius postea acturos dicerent, an eis liceret in Consistorio a dicendo abstinere.

A DVPLEX hic excusatio proponitur, altera, quæ præteriti temporis experimento: altera, quæ futuri expectatione nititur. Ac prior quidem, eo fulcitur fundamento, quòd cum negotium iam tractatum sine fructu fuerit, frustra nunc de eo repetendo agi videatur: quod inutile esse, vsus ipse ostendit. Posterior autem, eo argumento roboratur, quod cum finis petendi, & dandi consilij ad communem tum Principis, tum Reipublicæ vtilitatem dirigatur, videtur medium illud tamquam aptius deligendum esse, & ceteris anteferendum, quò facilius huiusmodi vtilitas possit comparari. Quapropter si fructuosum magis futurum esse existimetur, tractare postea seorsum cum summo Pontifice, quàm in Consistorio coram alijs loqui, videtur hoc Cardinali tuta admodum conscientia permittendum esse, vt scilicet interim in Cõsistorio sileat, & alibi postea opportunius loquendo, finem propositum tutius assequi contendat. QVAEST. XIX.

VERVM nos neutram rationem rei nostræ sufficere plane existimamus: nam, quod ad priorem attinet, id satis constat, quòd & Principis, & aliorum Cardinalium interest, sententias in Consistorio clara voce ab omnibus pronunciari. Principis quidem, pro eximia eius dignitate, ac loci maiestate, vbi publica negotia geruntur, palamq. omnibus audientibus decerni solent. Nam quamuis idem Princeps, priuatim etiam antea, siue in cubiculo, siue in congregationibus quid Cardinalis sentiat, audierit, alia tamẽ priuati, alia publici loci est ratio: & priuatæ illæ collocutiones ad præparationem potius, quàm ad rei ipsius determinationem pertinere videntur, cum proprius consultationis locus ex antiquo instituto sacrum Consistorium esse censeatur, tamquam Congregatio congregationum,

num, vbi non aliquorum tantum, sed omnium sententiæ exquiruntur.; præterquam quòd mutantur quandoque sententiæ; dubitareq. potest Princeps, an Senator in eadem, quam priuatim dixerat, perseueret: & denique quia summa Principis auctoritas iure suo a Consiliariorum munere hoc exposcit, vt non solum semel, sed iterum, ac sæpius, & quoties illi placeat, & quocumque loco, seu scripto, seu coram, siue publice, siue priuatim, quod sentiunt fideliter expromant, vt aliàs dictum fuit. A

Ad Cardinales etiam, quando in Consistorio sunt, pertinet, singulorum consilia cognoscere, non solum quòd multi sunt sæpe, præsertim ex recentioribus Consiliarijs, quibus veteri more alijs præeuntibus ad dicendum, ac tutius respondendum, viam aperiri æquum est; verum etiam quoniam ob id multorum simul collectorum vota exquiruntur, Senatorumq. sententię palam proferuntur, vt scilicet, qui adsistũt, aliorum possint rationibus plenius instrui,[a] & hanc, vel illam sententiam salubrius sequentes, Principis indem nitati caueant, cui, illis tacentibus, & alijs perperam consulentibus, minime cautum esset. B

a Arg. l. si in tres. de arbitr.

Qvare is, qui primum priuatim cum Pontifice, seu in Congregationibus de tota re egit, facilius multo, quàm ceteri Consistorium iuuare, atque aliorum desiderio poterit satisfacere, cum ille instructior, & paratior eò accedat, ac proinde multa opportunius, quàm alij, in medium afferre possit. Alioquin si quis uideat in augustissimo illo consessu, cum negotium graue proponitur, Cardinalem aliquem magnæ opinionis, & auctoritatis obmutescere, vix poterit non offendi, nesciens quid ille alibi egerit, aut certe illius exemplo induci facile poterit ipse quoque ad silentium tenendum, vnde Principi aut noxiæ, aut minus rectæ deliberationis occasio poterit suboriri. C

Preterea priuata illa collocutio videtur potius a charitate proficisci, cum soleant Principes ex eorum humanitate prius familiariter cum aliquibus res excutere. Sed qui fidele, & uerum cõsilium in Consistorio profert, quod sibi Princeps tamquam debitum dari exigit, opus implet, ad quod iustitiæ lege tenetur, ratione Cardinalitij muneris ab eo suscepti: & ideo non excusatur a culpa qui iustitiæ præceptum charitatis studio transgreditur: immo aduersus charitatem agit, qui vt ei in futurum seruiat, præsentem iustitię adimplendæ obligationem deserit, veluti qui furtum committeret, vt eleemosynam largiretur. D

Hinc pariter dicitur, eos non congrue excusari, qui postea se oppor-

A opportunius ea de re priuatim acturos profitentur: non enim tunc amplissimi illius congressus dignitati, neque Ecclesiasticæ Reipublicæ, cuius etiam cura personæ Cardinalis imposita est, necessitati consuli intelligitur: hæc namque præsentem opem expectat, non a futura, atque incerta spe pendere debet, cum præsertim sæpe occasionem præteruolare, atque vbi semel aliquid decretum est, frustra amplius deliberari videamus. Vnde admonet sanctus Basilius, vafrum hunc sæpe dæmonis astum esse, qui futura meliora pollicetur, vt præsentem bene gerendæ rei facultatem prætereamus, atque hac arte nos de die in diem trahens, sibi ille hodiernum tempus astute præripiat, aliosq. inani spe crastini deludat, & sic certa
B pro incertis, firmaq. pro inanibus a nobis relinquantur. [a] Et propterea S. etiam August. hanc vocem coruinam appellat, quæ sonat, *Cras, cras*: cum nemo sibi diem crastinum possit promittere. [b]

a Basil. in exhortat. ad baptism.
b S. August. ser. 16. de verbis Domini in Monte.

ADDIMVS, eum, qui in cubiculo solus cum Principe agit, facile posse qualibet illius recusatione, aut nutu, a dicendo retardari, ne integre illud absoluat, quod mente conceperat. At in Consistorio, cum nullius sententia soleat interrumpi, probabile est, eum multo liberius animi sui sensum aperire debere, & veritatem, quam concepit, clare profiteri.

Existimare etiam licet vnumquemque ad dicendum ex aliorum Cardinalium idem sentientium præsentia, & verbis alacrius adiu-
C uandum: quemadmodum enim in lyra, aut cithara, vnicę tantum chordę tactus non sufficit ad harmoniam: at vero cum multę simul a musico scitè pulsantur, redditur elegans concentus, ex grauibus, & acutis sonis temperatus, qui in animos influit, illosq. mouet, & delectat. Eodem modo vnicus tantum Senator, aut multi etiam Senatores, si Principem sigillatim adeant, illum fortasse non mouebunt: at vero cum omnes simul conueniunt, alijq. prudentia, alij acumine ingenij, alij eruditione, alij eloquentia, alij vitę integritate excellunt, certe ex hoc maximarum rerum concursu, quasi ex acutis, & grauibus concentus quidam mirificus efficitur:
D cuius tanta est vis, vt rationes, & argumenta, quę afferuntur, cum maxima ipsorum auctoritate coniuncta, Principem ad se alliciant: & qui antea forte alienior ab ea sententia erat, modo ipsorum oratione commotus, alios sensus induat, & illis adhęreat: notum enim illud est, melius omnibus quàm singulis credi, & quod nemo omnes, neminem vmquam omnes fefellerunt. Vnde sicuti videmus, collectis carbonibus, magis quàm dispersis loca illuminari, & calefieri, sic existimandum est, consilijs Cardinalium in Consistorio,

rio, quasi in vnum redactis, Principis mentem ad veritatis cognitionem magis illustrandum, atque ad recte operandum, ardentiorem reddendam, præsertim, quòd domestica consilia potius ex hominis priuati studio proficisci, at quæ in Senatu dicuntur ex officij publici necessitate, ac dignitate prodire videntur. A

Ex quibus tametsi satis ea sublata esse putamus, quæ initio quæstionis obiecta fuerunt; ad clariorem tamen rei probationem, & eorum, qui sibi aliter licere putarent, cautionem, prætermittendum minime putamus, non facile solere has excusationes, cum tempus instat publice loquendi, in eam partem ab alijs accipi, quòd scilicet commune bonum magis possit ab ijs seorsum adiuuari: quin potius suspicandi occasionem præberi, id imbecillitatis, aut timiditatis, ne dicam assentationis vitio contingere: siquidem quando res legibus constitutas, secus quàm eorum natura postulat exerceri homines vident, facile subesse aliquid minus boni interpretantur: præsertim cum scriptum etiam a sapientibus sit, meliora esse iudicia, quæ cum multis communicantur, quàm ea, quæ secreto fiunt. [a] Denique, quando tam aliena cogitatio alicuius mentem inuadit, cuperemus illum sic secum ratiocinari. Quid si, quod ego facere conor, idem & alij facere aggrederentur? & rogante Principe singulorum sententias, singuli labia sua comprimerent: quanta vniuerso Collegio ignominia inureretur? quàm iustam indignationis causam Princeps posset aduersus Senatores concipere, qui ad dicendum accersiti, tamquam elingues histriones in scena turpiter mallent obmutescere: Quapropter tuta illa Cardinalitij muneris ratio semper poterit existimari, si is, qui ad sacrum Consistorium vocatus, atque ad dicendam sententiam interpellatus erit, eam sine exceptione, sine cunctatione, aut trepidatione, libere, fideliterq. pronunciabit, cum rursus etiam, ac seorsum quod bonus ei spiritus suggesserit, & tempus, ac res postulauerit, explicare minime prohibeatur. B C

[a] Arist. in 3. Polit. c. 7.

PARS

PARS III. QVÆST. IIII.

An propter adoleſcentiam, aut verecundiam ſeu memorię imbecillitatem, aliave huiuſmodi impedimenta liceat Cardinali in ſacro Conſiſtorio a dicendo ceſſare.

A ANTEQVAM ad primam propoſiti Thematis partem reſpondeamus, id præfari oportet, nos hic adoleſcentiam non certo annorũ ſpatio præfinire, ſed cum multipliciter id nomẽ tum proprie, tum per tranſlationem accipi ſoleat, nos, quod ad rem noſtram pertinet, lato quodam modo adoleſcentiã, ſeu iuuentutem pro ætate illa accipere, quæ, cum nondum ad maturitatem virilis ætatis peruenerit, recens prope videri poteſt, ſi cum aliorum ſenio comparetur, quales permulti in ſacro Collegio eſſe ſolent, longo annorum curſu hos antecedentes, ac canitie ipſa, vultu, ac toto corporis habitu grauitatem quandam præſeferentes. QVAEST. XX.

B QVAERIMVS igitur, an, rebus arduis in Conſiſtorio propoſitis, deceat hos, qui præ illis adoleſcentes videri poſſunt, æque ac alios ætate prouectos, ſententias proferre.

ATQVI dubium id facere maxime videtur, quòd cum ad ſacrum Conſiſtorium res non niſi graues, & difficiles, vt plurimum deferantur, quæ magnam in deliberando maturitatem, rerumque vſum expoſcunt, quarum adoleſcentia expers eſſe ſolet; propterea congruum maxime videtur, vt, cum in frequẽti Senatorum ordine non deſint, qui ad res propoſitas ſapienter norint reſpondere, ce-
C terì, qui nondum ætate conſiſtunt, alijs audiendo concedant, & ad ea, quibus ipſi aptiores erunt, applicentur.

QVOD quidem, non ſolum ex ſacris litteris cognoſcimus, dum exemplo Roboam edocemur, quàm male rebus publicis, priuatisq. prouideant, qui monitis ſeniorum poſthabitis, iuniorum conſilijs adhærent: [a] & dum Salomon monet adoleſcentes, ne vix, etiam cum neceſſe fuerit, an loquendum proſiliant: [b] & Dominus modo

[a] 3. Reg. 12.
[b] Eccli. 32.

iubet Moysi, vt cõgreget seniores, quibus apparitiones patefaciat, A
modo, vt cum selectis septuaginta senioribus, ipsũm Dominum allocuturus, montem conscendat.[a] Verum etiam antiquissimo Philosophorum præcepto cautum fuisse nouimus, vt præsentibus senioribus in publicis consessibus iuniores silerent,[b] quòd ita debitus tribueretur honos senectuti, quæ semper venerabilis habita fuit,[c] & modestiæ, ac pudoris decus, quod maximum est adolescétiæ ornamentum in iunioribus effulgeret. Quod quidem pręceptũ antiquitus Romæ obseruatum testatur Plinius, dum refert, iuniores prius consilij publici spectatores, quàm consortes extitisse.[d] Vnde & Senatũ a senioribus dictum accepimus, & apud Lacedæmonios, B
qui summum gerebant magistratũ, senes appellatos esse legimus.[e] Quin & apud Athenienses, cum erat aliquid de rebus publicis deliberandum, morem fuisse scribitur, vt Præco clara voce eos cõuocaret, qui non minores quinquaginta annis essent, quòd scilicet cõsilia senum, hastas vero iuuenum esse iudicarent.[f]

Nos tamen dicimus, quòd cum de Cardinalibus agamus, quorum Collegium ad consilia summo Pontifici ministrãda præcipue fuit institutum, indeq. pro vario eorum ordine, qualis cuiusque gradus ætas requiratur, pridem sacris constitutionibus, & Tridentino Concilio fuit declaratum; nefas videtur in dubium vocare, an ille publicis Consultationibus sit idoneus, quem summi Pontificis au- C
ctoritas iam dignum esse eo munere iudicauit.[g] Sicuti enim videmus iure communi in voto, matrimonio, religionis professione, iuramento, testamenti factione, & similibus nihil inter senem, iuuenemve, cum ad legitimam ætatem peruenerit, interesse, neque annorum differentiam peccati speciem immutare,[h] quamuis culpam aliquando possit imminuere: sic propter eximia, quæ in Cardinalibus concurrere solent merita, vix solet inter eorum ætates discrimen constitui, cum eorum suffragia in rebus deliberandis ex vetere instituto æque numerentur, & nemo sit eorum, qui & Magistratibus fungi, & Legationes obire, & cetera publica munia nõ præclare sustinere posse censeatur.

Et eo magis, quia cum ad suffragia ferenda in electione summi D
Pontificis, idonei fuerint declarati, vtique si in eo negotio, quo nihil maius inuenitur, aptus quisque eorum habetur, cur non magis ad res communes consultandas sufficere posse erit existimandus? fieri enim potest, vt qui iunior est annis, moribus tamen, & disciplina sit conspicuus. Sic de Tobia legitur, quòd cum esset iunior, nihil tamen puerile gessit in opere.[i] Et apud sanctum Ioannem

a Exod. 3. & 24.
b Plato lib. 4. de legib.
c l. semper. de iur. immunit.
d Plin. iun. lib. 8 in epist. ad Aristonem.
e Cic. de senectut.
f Plutar. in li. an seni sit gerenda Respub.
g l. 2. C. de crimin. sacril. & glo. in cap. eam te. de ætat. & qualit.
h Caiet. in 1. 2. q. 7. Nauar. in Manual. ca. 7. nu. 13. & in ca. consideret. nu. 50. cum seq. de pœnit. dist. 5. sumitur ex S. Th. 1. 2. q. 18. art. 10. & 11. & q. 73. ar. 10.
i Tob. 1.

A *Scribo vobis iuuenes, quoniã fortes eſtis.*[a] Et Apoſtolus de Timotheo ſcribebat: *Nemo contemnat adoleſcentiam tuam.*[b] Et B. Ambroſius ait, ſanctum Ioannem, quamuis adoleſcens eſſet, non tamen fuiſſe vlli ſeniorum ſecundum, cũ in eo eſſet ſenectus venerabilis morũ.[c] Et Theodoretus adnotauit, quòd Deus locutus eſt cum puero Samuele, omiſſo Heli octuagenario, vt doceret quantum iuuẽtus polleat ornata virtute.[d] Qua de re & alij ſancti Doctores multa tradiderunt.[e] Quibus accedit, quòd ſicut in propenſione ad peccandũ; malitia in aliquibus adoleſcẽtulis ſupplet ætatem: quod inter alios Doctores ſancti, Hieronymus ſcilicet & Gregorius mirabilibus exẽplis nobis teſtatum reliquerunt;[f] ſic ad recte deliberandum, pru-
B dentia in aliquibus præuenit iuuentutis annos: & quod alij nõ niſi longo vſu, & experientia aſſequuntur, hi ſumma indolis pręſtantia, iudicijq. validitate breui tempore compararunt: quales eos eſſe, qui Cardinalium Collegio aggregantur, ſatis eſt veriſimile.

Qvod igitur dicebatur, adoleſcẽtiam ſenectuti cedere debere, nihil hic repugnat: nam id non omnibus in rebus, ſed in ijs tantum, quorum adoleſcentia expers eſſe videtur, locum habere ſolet: quod ſupra matrimonij, & voti exemplo demonſtrauimus. Præterea id ad adoleſcentiam, communiter loquendo, pertinere poteſt, non autem ad huius, vel illius adoleſcentiam, quæ in caſu ſin-
C gulari poteſt ob magnam ingenij vim quaſi multorum annorum ſenectus iudicari.

Et ſi replicetur, aliquos interdum Cardinales a ſummis Pontificibus creari longe ætate illa inferiores, quam ſacrę Cõſtitutiones præſcripſerũt, & qui quamuis ingenio alijs in rebus valere poſſint, in ijs tamen vbi prudentia neceſſaria eſt minime ſufficere cẽſendi ſint:[g] item alios recens in ſacrum Collegium cooptatos interdum inueniri, qui quo tempore res deliberandæ proponuntur, nullum prorſus vſum ſacri Conſiſtorij habent; Reſpondetur, de huiuſ-
D modi iunioribus id perraro admodum accidere: quod ideo legibus non eſt ſubijciendum,[h] præſertim cum id nonniſi extra ordinem, & grauiſſima ex cauſa a ſummis Pontificibus probata fieri debeat: quod alibi, dum de creatione Cardinalium ageremus, fuimus perſequuti.[i]

Deinde dicitur, quòd cum Papa iam ex veteri inſtituto Libri ſacrarum ceremoniarum, eiſdem Cardinalibus in Conſiſtorio os aperuerit, vt vnà cum alijs de rebus propoſitis loqui poſſint, nihil aliud amplius quærendum reſtat. Nam etſi Princeps vim naturæ immutare, aut curſum ætatis, iuuenumq. annos anteuertere nequeat, po-

a 1. Ioan. 2.
b Timot. 1.
c lib. 2. offic. ca. 20.
d Theodoret. li. 1. Reg. q. 12.
e S. Hierony. ep. 13. ad Paulin. S. Chryſoſt. homil. de fide Annæ. 10. 1. & S. Baſil. homil. 12. in princip. Prouerbiorũ nõ longe a fi.
f S. Hieronym. epiſt. 132. ad Vitalẽ. S. Greg. lib. Dial. 4. cap. 18.
g Ariſt. libr. 1. Ethic c. 3. & li. 6. cap. 8. & 11.
h l. nã ad ea. de legib.
i Diximus in q. 26.

test tamen illorum indolem, prudentiæq. semina agnoscere, atque ea Cardinalitio gradu digna censere: Quo iudicio sic a summo Pontifice facto, existimandum est, quod communiter alijs ætatis imbecillitas denegare solet, in singulari hoc casu, ingenij præstantia fuisse suppletum. A

HAEC tamen non a nobis idcirco dicuntur, vt aduersus communes regulas adolescentiam grauiori ætati æquare, & multo minus anteferre velimus, tametsi aliquando cælesti Spiritus sancti priuilegio, florem iuuentutis afflante, secus accidisse videmus. Verum, quod ad quæstionem nostram spectat, dicimus, in ijs rebus, quę natura eorum officio annexæ dicuntur, de quibus proprie hos agimus, videlicet, vt respondeant ingenue, & loquantur fideliter quod sentiunt, nullam in his cadere excusationem, sicuti etiam vt nunquam mentiantur, nunquam fraudent conscientiam, aut leges violent sibi impositas. Verum, si aliæ sint in rebus propositis accidentia, in quibus rei nouitas, experientia, diuturnaque disciplina plurimum pollere solet, non negamus a Cardinali adolescentiore in respondendo, non ea omnia exigenda esse, quæ ab vsu peritioribus, atque exercitatioribus expectari solent: immo, si breuiter, parceq. in his se gesserit, magnum eum modestię, & iudicij argumentum præbiturum, in eoq. senioribus, vt par est, esse delaturum, quod & hodie in sacro Collegio sapiéter obseruari videmus. Id etiam non omittentes, quòd si opportunitas ferret, vt id, quod respondendum esset, exemplo aliquo, siue auctoritate sumpta a sacris Concilijs, aut sanctorum Patrum doctrina, concinne muniri posset, sarciretur optime quod deesset ætati, sermone non ab adolescentis pectore, sed a priscis vsque decretis manante: hincq. maior etiam in audientium animis reuerentia, ac fides excitaretur. B C

QVID vero de ijs, qui verecundia loqui prohibentur? Videtur de his dubitari posse, quòd scimus nonnullos esse, qui naturali quodam pudore, præsertim sermonis initio in corona magnorum virorum tanta subito timoris vi obruuntur, vt nec ore, nec lingua consistant, loquendiq. exordium vix inueniant Hoc sane cum multis grauissimis, tum Iurisconsultis, tum Oratoribus, alijsq. clarissimis viris in dicendo etiam exercitatis, nullo eorum animi, sed naturæ potius vitio interdum accidisse legamus, mirandum minime esset, si etiam in amplissimo Cardinalium Senatu, nonnulli aliquando inuenirentur, quibus non ita facilis loquendi cursus, mentisq. suæ explicatio esset in promptu: ideoq. iuste ijs indulgendum videretur, si interdum conticescerent. Nam & Moyses cum Deo acceptissimus D

esset,

A esset, se tamen impeditioris, & tardioris linguæ fatebatur, [a] qui nihilominus rebus gerendis strenuus, & præstantissimus erat, cum satius sit rebus excellere, quàm verbis: quandoquidem *Regnum Dei*, vt ait Apostolus, *non est in sermone, sed in virtute*. [b]

a Exo. 4.
b 1. Cor. 4.

VERVMTAMEN quoniam hic pudor multiplici ex causa oriri potest, nos in præsenti de eo præcipue loquimur, quo detineri ij solent, qui alijs in rebus & bene, & prompte, & ingenue etiam dicere solent, sed vno tantum in negotiorum genere, quando alicui rei contradicendum est, aut alteri repugnandum, siue ab alijs dissentiendum, tunc linguam vix soluere posse videntur, nec dicendi initium vllum inueniunt. Quod quidem impedimentum, cum non B tantum a natura nimis remissa deriuetur, sed propriæ etiam voluntatis radicibus sit implicitum, ne scilicet cuiquam displiceant, & se omnibus amabiles reddant, idcirco crimine non caret.

Hæc est enim illa animi affectio, quæ verecundia appellatur, quę quamuis ex specie sua laudabilis sit passio, [c] vbi tamen ex causa minus æqua suscipitur, in vitium degenerat, [d] quo argumento scripsit Plutarchus egregium Libellum de vitiosa verecundia, varijs exemplis ostendens, quòd pudor, qui homines nihil renuere, nihil dicendo refellere sinit, atque cōsulentium ora occludit, decorum disciplinæ peruertit, ac multa mala inuehit. Vnde olim a quodā dicebatur, omnes Asiæ incolas, vni seruire homini, [e] propterea quòd vnicam C dictionem, NON, pronunciare non auderent: fitq. vt dum isti displicere aliquibus verentur, in apertum reliquorum dedecus incurrāt: &, quod veteres dicebant, dum fumum fugiunt, in ignem cadant.

c S. Tho. 1. 2. q. 24. art. 4.
d S. Tho. 2. 2. q. 144. artic. 2. & sequ.
e Plutarc. de vitios. pudor.

QVAPROPTER cum Consiliarij munus modestā quidē, sed liberam, & fidelem vocem efflagitet, non potest illud prætextu inanis huius pudoris pretermitti, cum Christiana disciplina erubescentiam omnem, aut verecundiam damnet, quæ bonum opus impedit, aut malum aliquod admittit, ita vt si inter verecundiam, & conscientiam certamen oriatur, dubium nihil sit conscientiæ causam potiorem semper habendam esse: alioquin posset id Consiliarijs D obijci, quod de aliquibus Iudæorum Principibus scribitur, qui propter Phariseos Christo non confitebantur, vt a synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm Dei. [f] Ex quibus patet, nihil obstare, quę supra clarissimorū Oratorum exemplo commemorata fuerunt, cum ea potius naturę vi sic accidere legamus, quam illi superare nō potuerunt; hoc antē voluntatis vitio, & affectato quodam alijs nō displicendi studio prouenire sciamus.

f Ioan. 12.

QVID vero de memorię imbecillitate, qua multi deterriti, ma

sunt potius nulla orationi vela dare, quàm destituturo mox eos sermonis flatu, turpiter in cursu ipso deficere? Respondemus, quòd cum vnicuique liceat, vt alibi diximus, ex scripto sententiam suam proferre, facile ei erit, memoriæ inopiam breui schedula pensare. Sed præterea, cum Consiliarij officium, quod est, animi sui sensum fideliter explicare, paucis absolui possit, siue probando meliorum sententias, siue dicendo, NON PLACET: aut, NON LIQVET: aut MATVRIVS DELIBERANDVM: aut, EGO DVBITO, vel quid simile, quod suæ conscientiæ respondeat, non videmus quomodo hic memoriæ fragilitate se possit tueri, quominus respondeat. Nam etsi non totum illud extenso sermone depromeret, quod illius & desiderium, & forte officium posceret, licebit ei tamen eundem sensum paucis ita comprehendere, vt, quod verè sentit, aperiat, & nullatenus contraria pars, quæ ei displicet, ab illo vmquam aut nutu, aut capitis demissione approbata fuisse censeri possit. A B

DEMVM quid de alijs, quæ aliquando se obijciunt corporis impedimentis, sentiendum sit, ex superioribus facile constare potest: non enim ij sumus, qui vniuersos æque ad sententiam clara voce, conceptisq. verbis pronunciandam, vrgendos semper putemus, nulla virium, aut valetudinis, aut imbecillitatis ratione habita: & quod necessitas quandoque, aut iusta alia ratio prohibet, id nimis dure a singulis exigere, atque extorquere velimus. C

ETENIM si aliàs propter varias, probatasq. causas, & licere Consiliario, & decere eum diximus, pressius interdum, parciusq. loqui, quanto magis naturæ imbecillitati, quæ dicendo laboraret, idem erit indulgendum? Hæc tamen moderate omnia, vt sapientes solent, accipienda esse censeremus, non quidem, vt ij omnimodum sibi silentium tenendum inter alios putent, sed vt a longiore sermone excusentur, modo mentis suæ vim clare pronuncient, vbi scilicet causæ grauitas, periculum, tempus, atque aliorum exemplum id postularet. Summa enim hęc est, vt, postquam Cardinales diuina ordinatione consilium fidele Principi petenti ministrare debent, id quacumque commodiore ratione, bona semper fide, & syncere implere contendant. D

PARS

PARS III. QVAESTIO V.

Qui metu reuerentiali se a dicendo abstinerent, aut aliter quàm oporteret loquerentur, an digni excusatione essent.

A ALIVD se nunc offert impedimentum, quod ex metu illo oritur, qui reuerentialis dicitur: nam sicut a legibus excusatione digni haben tur filij, vxores, serui, & alij huiusmodi, qui sola reuerentia, atque obsequendi studio adducti, aduersus propriam voluntatem, atque vtilitatem illis, quibus subiecti sunt, assentiuntur: [a] sic Consiliarij Principis si interdum eodem reuerentiæ freno detenti, silere magis eligant, quàm ab eo dissentire, non solum venia digni, verum etiam summopere cõmendandi videntur. QVAEST. XXI.

a l. 1 §. onerãda, quarum rerũ actio. Abb. Fel. c. causam matrimonij. de offic. deleg. nu. 8. & 4.

HAEC dubitatio tametsi ex ipso disputationis Themate a nobis initio susceptæ multipliciter tolli posset, quandoquidem de eo nos
B Principe loquimur, qui nondum deliberauit, sed rem adhuc informem alijs proponit, vt quid illi sentiant cognoscere possit, & rectius decernere: Item de illis Consiliarijs agimus, qui non opponunt se Principi, eo quòd illius auctoritatem minoris æstiment, aut illi quidquam detractum velint: sed qui studio potius illum adiuuandi, ac, vt dignitatem eius conspicuam magis ac uenerandam omnibus reddant, ea in medium afferunt, quę ipsis salubriora videntur: ex quibus sane omnis metuendi excusatio prorsus cessare videtur: siquidem cum illis non agit hoc casu Princeps, solum tamquam pater, seu dominus cum filijs, aut seruis, exposcens ab illis, vt con
C sentiant, vnde iustum concipere metum interdum possint; sed magis cum illis agit tamquam Consiliarijs vt consulant, & syncere respondeant: & ideo reuerentiæ metus a veritate dicenda cohibere illos non debet, cum eos non interroget Princeps veluti imperans, sed vt dubitans: non vt cogens, sed vt deliberans: non vt consensum extorquens, sed vt consilium petens.

VERVMTAMEN vt quæstionem ad eum casum redigamus, qui alijs difficilior censeri potest, si quando scilicet accideret, vt Prin

ceps cum illis non vt vere Consiliarijs ageret, sed tamquam Magistratus auctoritate vtens, ostenderet optare se ab ijs placita sua sine exceptione approbari; Quærimus hoc casu an Consiliarij, si res proposita sibi minus honesta; aut certe communi bono minus expediens videatur, possint se hoc reuerentiæ metu tueri, si taceant, & ei non refragentur. Et dicimus, eos nullo loco, aut tempore, aut negotio fidelis Consiliarij personam posse deponere: & ideo nullum huic excusationi locum esse Duo enim in casu proposito concurrunt, quæ aliàs latius enarrauimus:[a] quorum alterum ad actum negatiuum pertinet, dum tacent nolentes dicere id, quod dicendum esset: alterum ad actum affirmatiuum, dum capite annuendo illud probare se ostendunt, quod vere intus in animo reprobant. Vnde B
sequitur, quòd, cum taciturnitas hoc loco habeatur pro consensu ex rationibus ibidem deductis, & capitis demissio sit exterius affirmationis signum, atque ita duplex actus concurrat, & vterque mendax sit,[b] dicendum est, Consiliarium a manifesta culpa non abesse. Nam cum mendacium intrinsecus malum sit, nec timore cuiuscumque damni euitandi sit committendum, non enim pro temporali vita alicuius licet mentiri,[c] multominus propter reuerentialem metum erit excusandum. Regula siquidem est, metum illum, qui etiam cadere potest in constantem virum, quamuis rationem peccati minuere interdum soleat,[d] numquam tamen mendacij crimen, quod per se malum est, vndequaque tollere potest,[e] cum, vt ait C
S. Augustinus, omnia mala deberet potius pati homo, quàm peccato consentire:[f] quod multo magis in Consiliarijs Principum affirmandum videtur, quorum tanta debet esse constantia, cum ad id delecti, & iurati, & præmijs ornati fuerint, vt (quod recte monuit sanctus Ambrosius) prius eis profundenda vita, quàm fides sit deserenda.[g] Quare quoties illi id præstare recusant, quod facultati eorum, atque officio, vt ait sanctus Thomas, commensuratum est, non hoc reuerentiæ obsequio, sed pusillanimitatis potius vitio adscribendum est:[h] aut certe non leue sumendum est argumentum, illos immoderata terrenarum rerum ipse nimis alligatos metuere magis ne caducis bonis excidant, quàm vt officium suum deserant[i]. Hoc vero non excludit iustum erga Principes obsequium, & reuerentiam: ratio enim officij postulat, vt omnes, & ante ceteros ipsi Consiliarij Principem reuereantur: tantum autem abest, vt hic timor reuerentialis afferat ipsis impedimentum, vt immo exornet totum Senatum, eximiumq. illi afferat splēdorem, & dignitatē. Cum enim Cōsiliarij ex animo Principem reuereantur, tunc in primis

a In quæst. 35.

b c. quicquid. c. nolite timere. 11. q. 3.

c ca. omne genus, cum sequ. 22. q. 2. Vigue. in suis Insti. c. 3. §. 4. vers. 2.

d c. sacris, de his, quæ vi vel metu.

e S. Tho. 2. 2. q. 125. artic. 4. Couar. epit. in 4. lib. decretal. 2 par. c. 3. §. 4. num. 3.

f c. ita ne. 32. q. 5. c. ne quis. 22. q. 2.

g c. conuenior. 23. q. 8. ca. scimus. 43. dist.

h S. Tho. 2. 2. q. 133. artic. 1.

i S. Tho. 1. 2. q. 41. & 43. & 2. 2. q. 19 ar. 4 & q. 125. art. 1. & sequ.

A mis conantur satisfacere officio suo, tunc perpēdunt res, quæ a Principe proponuntur: considerant diligenter rationes, quæ ex vtraque parte occurrunt: animaduertunt quid alij sentiant: exquirunt accurate, quid certum, quid probabile sit, quidq. magis aut principi, aut Reipublicæ cōducat. Et non solum in his rebus grauioribus se prudenter, & cum dignitate gerunt, verumetiam in leuioribus nihil admittere audent, quod suo munere sit indignum: immo dant operā, vt neque voce, neque vultu, neque oculorum coniectu, neque vllo corporis motu modestiæ fines transilire videantur. Itaque quemadmodum vasa aurea, & argentea magnifice, & preciose cælata, cū radijs solis attinguntur, magis splendent, maioremq. habent pulchri B tudinem: eo modo cum ad Senatorum prudētiam, & auctoritatem hic timor reuerentialis a diuina potestate, quæ in Principe est, excitatus accedit, tunc Senatus magis elucet, & ipsamet consilia maiorem obtinent dignitatem.

ID autem clarius apparet, si oculos conuertimus ad eas Respublicas, in quibus non adhibetur reuerentia ijs, qui præsunt: in his enim plerumq. videre licet, Consiliarios inter se colloqui, aliosq. in dicendo alijs obstrepere, vociferari, concertare, & neq. quid alij senserint animaduertere, neq. quid magis expediat, magnopere considerare. Est itaq. hic timor reuerētialis velut quædā moles, quæ obij- C citur fluctibus, qui in consilijs publicis esse solent, aditumq. tēpestatibus, quibus Respublicæ sæpe vexantur, penitus intercludit. Nō solum igitur est vtilis huiusmodi timor, verumetiam maxime necessarius. Neque vero prohibet, quod nonnulli falso arbitrantur, quo minus Consiliarius suo muneri satisfaciat, immo constat multos homines omni laude cumulatos, cū hoc timore afficerentur, fortiter, & strenue se in suo munere gessisse. Et vt alios omittam, qui cū Regum, & Principum virorum consilijs interessent, eosq. summa obseruantia colerent, numquam huius timoris causa ab officio discesserunt. Libet modo rem altius repetere, & præter ceteros in mediū D adducere, Moysem illum, quem Deus tam charum habuit, vt testetur Scriptura, eum ore ad os cum illo locutum fuisse.[a] Huic igitur Moysi, quamuis ageret, nō cum aliquo homine caduco, & mortali, sed cū ipso Deo sempiterno, & immortali, quē & ita renerebatur, vt neque in eum respicere, neq. loqui auderet; non tamē eiusmodi timor obstitit, quo minus populum, quem Deus ipsi cōmēdauerat, ex animo tueretur, & ipsimet Deo de Hebræis supplicium sumere volēti se totis viribus opponeret. Itaq. cū tātus esset Moysis timor, vt Scriptura diuina dicat: *Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat*

[a] *Exo.33. Num.12.*

a Exod.3. *audebat aspicere contra Deum:* [a] cumq. idem Moyses eandem ob cau A
sam vix vocem emittere posset; nihilominus cũ Deus ipse Hebręis indignatus illos delere vellet, tantum abfuit,vt hic timor Moysem impediret,quominus pro populo preces adhiberet, vt etiam diuinæ iustitiæ se ipsum tamquam murum obijceret. *Aut dimitte*, inquit,
b Exod.32. *eis hanc noxam,aut si non facis,dele me de libro tuo, quem scripsisti.* [b] Et denique,vt alia omittam,ille ipse,qui prę timore vix loqui poterat, tantam diligentiam in tuendo populo adhibuit, vt fuerit velut clypeus aduersus diuinæ iustitiæ gladium,populum illum duræ ceruicis trucidare minantem. Quod & testatur Dauid cum inquit:*Et dixit,vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione*
c Psal.105. *in conspectu eius:vt auerteret iram eius,ne disperderet eos.* [c] B

PRAETEREA quoniam loquimur de timore reuerentiali,qui,si lege diuina, ac rectæ rationis norma temperetur, atque ab amore,
d S.Tho. 2.2. q.19.artic. 5. 8.& 11. Deiq. subiectione proficiscatur,cum filiali conuenire videtur,[d] perspicuum est, beatos, qui in cęlis æuo fruuntur sempiterno, habere hunc timorem, vt constat ex varijs diuinarũ litterarum testimonijs, & in primis ex illis verbis Iob : *Columnæ cæli contremiscunt,& pauet*
e Iob.26. *ad nutum eius.* [e] Quem locum explicans B.Gregorius ita ait:*Ipsæ virtutes cælestium,quę hunc sine cessatione conspiciũt,in ipsa contemplatione contremiscunt:sed idem tremor,ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed*
f Lib.17.Moral.c.17.Vide S.Tho.2.2.q.19.art.11.in corp. *admirationis.* [f] Itaq. licet summa illa,& immensa maiestas beatis afferat timorem , tamen metus ille neque eos conturbat,neq. prohibet,quo minus preces pro nobis adhibere possint. C

PATET igitur ex his,quæ dicta sunt, hunc metum sua natura non solum non nocere,verumetiam valde Consiliarijs prodesse:cõsentaneum enim est,eos qui præ cæteris ad dandum consilium deliguntur,præ ceteris item Principi venerationem adhibere , ipsumq. revereri,& suspicere debere:alioquin,si huius timoris quasi cancellis,fides,dicendi libertas, atque constantiæ non coerceantur, facile fiet,vt Consiliariorum sentẽtiæ in eam licentiæ speciem erumpant, quæ Principibus solet esse permolesta, atque omnem consilij vim D
plerumque euertit.

ITA autem laudamus hunc metum , vt moderatus ille sit, &,vt
g Sophocl. in Aiac. verbis Græci [g] illius vtamur,honestus,decens,ac rationi congruus; ac demum non aduersetur muneri, quod mandatum est ipsi Consiliario:si enim hic metus tantus est,vt neque Consiliarium loqui,neque id,quod sentit, explicare patiatur, certe laudabilis non erit. Quemadmodum enim calor tam necessarius est humanæ vitæ , vt sine illo nulla ratione conseruari possit;at vero cum nimius est,eandem

A idem vitam extinguit, quam moderatus tuetur. Et quemadmodum lux tam necessaria est ad videndum, vt sine illa oculi suo munere fungi nullo modo valeant: at vero, cum eadem maxima est, non solum nocet oculis, verumetiam affert aliquãdo penitus cæcitatem:[a] eodem modo hic timor reuerentialis, dummodo sit moderatus, est sane maxime fructuosus, efficitq. vt Senatores sustineãt partes, quæ sibi impositæ sunt, sicut viros graues, & prudẽtes decet: at vero cum tanta est vis huius timoris, vt Senatores ipsos a dicenda sentẽtia deterreat, tunc profecto omnem officij rationem euertit, maximumq. importat ipsis negotijs, & aliquando vniuersæ Reipublicæ detrimentum.

a Aristo. 2. de anim. tex. 123. & 143. idem per multis exẽplis comprobat Tiraq. de Nobi lit. cap. 31. nu. 568.

B DVPLICITER itaque hic reuerentialis metus cõsiderari potest: Alter moderatus, qui bonus, & sanctus est, hominesq. cũ Deo magis coniungit, efficitq. vt ijdem Maiores suos, aut alios homines, in quibus est aliquid diuinum, veluti donum gratiæ, aut virtutis, vel saltem naturalis Dei imaginis reuereãtur:[b] Alter immoderatus & malus, qui homines a Deo auertit, facitq. vt bonos, & iustos plus quàm satis est, timeant: sceleratosq. & impios ita metuant ob eorũ potentiam, & auctoritatem, vt a lege Dei discedant, aut quod oporteret eos facere, prætermittant, de quibus in Euangelio legitur: *Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animã autẽ non possunt occidere.*[c]

b S. Tho. 2. 2. q. 19. art. 3. ad 1. Et S. Anton. par. 4. titu. 14. cap. 14.

c Matth. 10. S. Tho. d. q. 19. art. 3. in corp.

C RVRSVS in non-reuerendo etiam virtus, & vitium cadere potest: nam non reuereri Maiores, aut alios, quos diximus, virtutibus insignitos, malum est, & in Euangelio reprehenditur, cum de illo dicitur: *Qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur.*[d] Vicissim autem homines non revereri, quando Deo aduersantur, bonum censendum est, & in sacris litteris laudatur, cum de Helia legatur, quòd grauiter reprehendit Regem Ochoziam:[e] & de Heliseo, quòd in diebus suis non pertimuit Principẽ.[f] Quo argumento possemus hic exempla non pauca Prophetarum, aliorumq. Sanctorum recensere, qui a Regibus consulti cupientibus eorum anctoritate, & assensu, populorum sibi gratiam in rebus minus æquis conciliare, eorum tamen cupiditatibus sancta Dei consilia semper prętulerunt, quamuis ex illa vocis libertate summa sibi etiam pericula imminere intelligerent. Sic de Michæa legimus aduersus Regẽ Achab:[g] sic de Hanani Propheta aduersus Regem Asa.[h] sic de Azaria Sacerdote, qui se opposuit Regi Oziæ.[i] Sic & ab alijs multis virtutis tuendæ studio factum fuisse nouimus, cum scirent in sacris litteris sæpius repetitum: *Viriliter agite, & confortamini.*[k] Et: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.*[l]

D

d Luc. 18.

e 4. Reg. 1.

f 4. Reg. 3. Eccles. 48. S. Tho. d. q. art. 3. ad 1.

g 3. Reg. vlt.

h 2. Paral. 16.

i Ibid. 26.

k 1. Cor. 16.

l Ioan. 14.

NON

Non obstat quod initio de filijs, vxoribus, aut alijs huiusmodi A obijciebatur, quibus leges culpam condonare solent, quæ ex reuerentia, & obsequendi studio in proprium damnum contracta fuit. Quoniam longe diuersa eorum est causa a Cõsiliarijs, de quibus loquimur, cum hi ob id potissimum sint ad hoc munus adlecti, vt fideliter consulant, quamuis cum Principibus sibi agendum esse scirent. Præterea licet quidem homini iuri suo cedere, quod priuatũ est, non autem quando de bono publico, & communi vtilitate agitur, qualem in quæstione nostra ponimus, & præsertim cum ad eã tuendam ipsi sponte se obligauerint.

PARS III. QVÆSTIO VI.

B

Quid, si, tacentibus alijs, vereretur aliquis aduersando singularis haberi, an tunc alios sequendo esset excusandus.

QVAEST. XXII.

a Prou. 3.

CVM in sacris litteris scriptum sæpenumero inueniamus: *Noli sapiens esse apud teipsum, & ne innitaris prudẽtię tuæ*,[a] & alia huiusmodi, quę C admonẽt nos, vt affectus proprios caueamus, ac suspectos nos ipsos habeamus. Idcirco videtur ille potius laude dignus esse; ac sapientiæ lumen præferre, qui se aliorum sentẽtijs in cõsessu magnorum virorum adiungit, quàm qui sensum proprium sequi eligit, quamuis sibi recta dictare videatur, cum probabilius sit, eum, qui vnus tantum est, facilius multo, quàm tot alios simul collectos, qui pluribus oculis, pluribus auribus, multiplicíq. ingenio, atque vsu præditi sint, labi posse. Huc accedit, quòd hoc ipsum, quęrere scilicet ab alijs omnibus distingui, solumq. veluti a cõmuni sensu discrepare, iactantiæ, ac vanitatis suspicione nõ caret, cũ singularitas a sancto Gregorio,[b] & S. Bernardo[c] inter arrogantiæ species referatur. Vnde Pharisæus ille apud S. Lucam dicebat: *Non sum sicut ceteri hominum*,[d] quod S. Augustinus exponens: *Quid est*, inquit, *ceteri homines, nisi omnes pręter ipsum?*[e] ecce vitium manifestum singularitatis. Sed præterea qui solus est, satis perspicere potest, se nihil suffragio suo profuturum, cum in sacro Consistorio vetus sit institu- D

b S. Greg. lib. Moral. 23. c. 4.
c Bernard. in tractat. de 12. grad. homil.
d Luc. 18.
e S. August. de verb. Domi. sermo. 36.

A inſtitutum, vt plurium ſententiæ paucioribus præferantur, ideo imprudentis videri poteſt huic ſe leuitatis diſcrimini exponere, vbi fructum nullum probabiliter poſſit expectare.

VERVM, ſi quis rem paulo ſubtilius, diligentiusq. examinet, animaduertet ni plane fallimur, longe aliter eſſe reſpondēdum. Nos enim hic de eo non agimus, qui aliorum ſententijs auditis, tamquã fluctibus agitatus, animo hæreat, & iudicio ſit ſuſpenſus; ſed de eo, qui repugnantibus omnibus, rebusq. cunctis bene expenſis, adhuc ipſe contrariam ſententiã, tamquam veriorem, & certiorem pro animi ſui conſcientia amplectendam eſſe ſibi perſuadeat. Et hic dicimus, q cum quiſq. Conſiliarius in Senatum conuocetur, vt quod B ſentit fideliter explicet, nõ poteſt ille, ſalua fide, officioq. ſuo, diuerſum aliquid a ſeipſo pronunciare: nam, cum nemini liceat vmquã fraudare conſcientiam ſuam, quamuis etiam erronea eſſet, antequã tamen eam erroneã eſſe dignoſcat, vt aliàs diximus, non poteſt hic, aut pudoris, aut verecundiæ nomine, ſiue humilis officij, aut debiti erga maiores obſequij, aut amoliendæ a ſe ſuſpicionis arrogantiæ ſpecie, aut ex quacumque alia aduentitia cauſa, muneris ſui normã interiorem deſerere, memor diuinæ illius ſententiæ, qua ſcriptum eſt: *Attende tibi*.[a] Accedit, quòd cum Conſiliarius illius vtilitatem C reſpicere debeat, cui conſilium datur, vnde officium illius ſub communi iuſtitiæ nomine continetur, quatenus ad alterum eſt, vt aliàs diximus. Ideo ille, qui agnoſcit, poſſe publico bono tale conſilium prodeſſe, ſi iacturam propriæ exiſtimationis pertimeſcens, nomen, famamq. ſingularis euitans ſibi tacendum eligit, hic certe rẽ ſuam iuſtitiæ anteponit, euertitq. fidem, quod eſt præcipuum iuſtitiæ fundamentum. Immo Conſiliarius, qui timet Deum, atque in officij ſui obligationem oculos dirigit, ſentiet eo magis tunc vrgeri ſe ad dicendum, cum viderit ceteros aſſentiri; nam tũc tempus ipſum declarat, extremam veluti neceſſitatem imminere aliter conſulẽdi, eo D quòd bonum publicum tunc in maiori periculo verſatur. Et quem admodum fraternæ charitatis obligatio, quæ præcipue ad ſuperiores ſpectat,[b] ſi ab eis prætermittitur, non ideo inferiores immunes reddit, ſed magis eos impellit, quia maior eſt neceſſitas: vtq. Arcis Præfectus tunc iure, ac merito ſibi acerrime pugnandum eſſe ſtatuet, cum defenſorum fuga, nudata conſpiciet mœnia: ſic annuenti bus alijs Conſiliarijs, dubium non eſt, eos, qui neceſſitatem hanc agnoſcunt, multo acrius ad officium ſuum excitandos eſſe.

ATQVI, ſi de præmio terreno dando ageretur, nemo ſane vereretur ſingularis haberi, immo appeteret alios anteire, vt palmam obti-

a Vide S. Baſil. hom. 3.

b S. Tho. 2. 2. q. 33. art. 3. in fi. & art. 4.

obtineret: quanto ergo magis, cum de mendacio fugiendo, illæsaq. A
officij fide præstanda hic agatur, quibus æterna bona comparátur,
non idem impleri curandum erit, cum delicta suos teneant auctores, illosq. & non alios condemnent? Nam legitur; *Os, quod mentitur, occidit animam.* [a]

a Sap. 1.

Sed quando etiam temere alij de eo aliquid vellent iudicare, ille sibi integritatis suæ, ac veritatis conscius, facile inanes aliorum voces, ac si de eo in Insulis, aut extremis regionibus loquerentur, contemnet, quippe qui agnoscet se Dei causam, cui rationem redditurus est, agere, & se non ideo a ceteris discedere, quasi proprium iudicium velit alijs anteponere, sed quia ipsa re secum diligenter examinata, ita omnino pronunciandum esse censeat, ampliusq. videat, se non in eum Senatus locum vocatum fuisse, vt alios tantum imitetur, sed vt quid ipse pro conscientia sua probet, syncere, & libere patefaciat. B

His ita positis, nunc ostendendum est, ea, quæ contra obiiciebantur, a re nostra valde diuersa esse. Nam quod dicebatur, prudentis, humilisq. esse, aliorum potius sententiæ, quàm suo ipsius iudicio tribuere; Respondemus, aliud esse, cum quis rem propriam est acturus, quæ ab eius pendet facultate, in qua cum sit dubius, & vereatur se decipi posse, recte ad maiorum, & peritiorum consilia recurrit: quod quidem humilitati, & prudentiæ congruit. [b] Aliud est, cum ille in consilium ab alijs adhibetur, & veritatem rei propositæ sibi moraliter certam esse putat, tunc enim re diligenter examinata, debet in eo prudentiam, & conscientiam suam sequi, non ita quidem vt contrarias aliorum sententias aspernetur, sed ne humilitatis specie id velit foris probare consulendo, quod intus sentiendo non admittit.

b S.Tho. 2.2. q.49. art.3.

Ad id ẽt, quod dicebatur, eum, qui sic loquitur, posse videri singularis nomen affectare; Respondetur, hoc vocabulum non male semper sonare, sed ab ijs rebus pẽdere, quibus adiungitur. Nam singularem esse charitate, fortitudine, pudicitia, patientia, alijsq. huiusmodi virtutibus excellere, non est damnandum: siquidem virtus definitur esse qualitas bona, qua nemo male vtitur.[c] Nec enim timendũ est, nequis efficiatur nimis bonus, aut nimis iustus, cũ scriptũ sit: *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc,*[d] quãdo quidẽ quoad cõparandas virtutes, in fine non datur mẽsura præfixa, ultra quã non pateat accessus: & modus diligẽdi Deũ, ut ait S Bernardus, est sine modo diligere.[e] Verum reprehensibile est, aliquẽ in propriæ existimationis recessu, se singularẽ esse, sibi persuadere, aut

c S.Tho. 1.2. q.55. art.4.
d Apoc. vlt.
e S. Bernar. in lib. de diligendo Deo. Et S. Tho. 2.2. q.27. art.6. & in 1.2. q.64 art.1. ad 1. Et Arist. 2. Ethic. c.6.

hanc

A hanc ſibi excellentiam velle adſcribere, quam certò ſcire nequit ſe obtinere.

Qvapropter ille, qui fideliter Deo, & conſcientiæ ſuæ, quam rectæ rationi conformem putat, ſeruire cupit, non eum animum gerit, vt ſingularis appareat, ſed vt alijs veritatem patefaciat, quam reliqui ſequantur. Vnde ſi ſolus in ea ſententia permaneat, aliorum vitio id euenit, qui bona ſibi oſtenſa non conſectantur. Tunc vero *ſingularis*, in malam partem diceretur, quando a recta prudentum ſemita, proprio obcęcatus ſenſu diuerteret, qualē S. Gregorius deſcribit, cū ait: *Qui ſemper aliena opera deſpicit, ſemper miratur quæ ipſe fa-*
B *cit, quia & quidquid egerit, egiſſe ſe ſingulariter credit: atque in eo, quod exhibet per gloriæ cupiditatem, ſibimetipſi fauet per cogitationem: et cū ſe in cunctis tranſcendere ceteros æſtimat, per lata cogitationum ſpacia ſecum deambulans, laudes ſuas tacitus clamat.*[a]

Non refragatur etiam quod dicebatur, huiuſmodi ſuffragium tamquam vnius tantum Conſiliarij vocem nihil, ceteris repugnantibus, profuturum: nam, vt omittamus, hoc numquam certò conſtare poſſe, cum vnius ſententia præter omnem cogitationem poſſit alios ſecum pertrahere,[b] & ſermonis gratiam diuina bonitas talē quandoque largiri ſoleat, quæ aliorum corda moueat,[c] & flectat: vt
C omittamus etiam alia multa a nobis hoc argumēto in alijs quæſtionibus pertractata;[d] concludimus quod ſi quis vere ſe Dei miniſtrū agnoſcat, ſecumq. diligenter, quid impoſitum ſibi munus poſtulet, expendat, eum non admodum laboraturum, quid ceteri de eo ſint locuturi, cum non illis, ſed Deo in primis vt placeat, ſtudere debeat, dicente Apoſtolo, ſeruos Dei non eſſe, qui hominibus placent: cum enim pluris hominum, quàm Dei gratiam faciant, non eſt cur doleant, ſi ab illo confundantur, atque omnino contemnantur.[e] Immo ſi aſſueſcat ille, non aliquando ſolum, ſed quandocumque ſibi ſententia dicenda erit, ſemper ad ſolam publicæ vtilitatis cauſam oculos conuertere, ac quid ſentiat, aperte, candide, veraciterq. pro-
D ferre, animaduertet facile ex hoc proprio illius, ac perenni dicendi inſtituto, omnes non dubie agnituros eſſe, eum hanc libertatis, fidelitatisq. dicendi poſſeſſionem, adeo arcte apprehendiſſe, vt nec eo etiam tempore, quando alij omnes in contraria trahuntur, velit eam deſerere.

a S. Greg. lib. Moral. 34. ca. 18. & 23. c. 4.

b l. ſi in tres. de arb.

c S. Tho. 2. 2. q. 177. art. 1.

d In quæſt. 18. & 22.

e Gal. 1. Coloſſ. 3. Pſal. 52.

PARS

PARS III. QVÆST. VII.

Num illud a veteribus scriptum, quòd frustra niti, neque aliud quàm odium quærere, extremæ dementiæ est, deberet eos Cardinales excusare, qui putarent se dicendo nihil effecturos.

QVAEST. XXIII.

a Sallust. in proœm. Bell. Iugurt. S. Hieron. epist. 109.

QVAMVIS multa alias a nobis hoc eodẽ fere argumento tractata fuerint, quoniam tamen dictum istud a veteribus vsurpatum, [a] atq. a S. Hieronymo repetitum, quod in ore multorũ frequens esse solet, videlicet, *Frustra niti, neque aliud, se fatigãdo, nisi odium quærere, extremę dementiæ esse*, posset perperam acceptum totam consiliariæ functionis rationem peruertere: ideo a nobis paulo diligentius excutiendum esse duximus, cum præsertim illud quoq. ei adiungi soleat, *Ne effundas sermonem, vbi non est auditus.* [b] Cui cõsonum est illud Senecæ: *Magno viro tentandum non est quod succedere non possit: diluitur eius auctoritas: sapientia ars est: certum petat: eligat profecturos: ab his, quos desperauit, recedat.* [c] A B

b Eccli. 32.

c Senec. ep. 22.

AT nos, qui constanter sæpius affirmauimus, Cardinales, tamquam Cõsiliarios, pro ratione muneris a se suscepti, obstrictos esse, quoties a Papa interrogantur, sine exceptione fideliter respondere; Dicimus, verba proposita ad eas quidem res, seu actiones, quas spõte sua quis aggreditur posse pertinere: nam donec integrum est alicui aliquid facere, vel nõ facere, debet ille diligenter prospicere, ne ei se rei immisceat, quam ad exitum perducere nequeat, quod & vetere illa sentẽtia dicitur. Quæ efficere nequeas, vel nec ordiri decet, C & quæ frustra sunt agere, insignis est amentiæ. At vero vbi iam certo iustitiæ nexu obstrinxit se operi faciendo, indeq. cœperunt tot emergere difficultates, vt incassum niti videatur, non ideo a suscepto opere quantum in se est, ille cessare debebit. Nam sicut vota emittere, cuiq. liberum est, sed emissa reddere, necessarium: [d] & de contractibus, dicere solent Iurisconsulti, eos initio esse voluntatis, postea necessitatis. [e] Vnde cum aliquis operas suas plantandæ

d S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 3.

e l. in cõmodato, §. sicut, ff. commo. l. sicut, C. de action. & obligation.

A vineæ, aut ſerendo agro locauit, debet abſolute bene plantare, & ſerere, non ſub conditione, ſi terra frugifera fuerit: ſic, qui Conſiliarij munus ſuſcepit, cogitare antea debuit difficultates gradui huic, atque officio annexas, quales ſunt, ſe non ſemper Principi placere poſſe, non ſemper perſuadere, non ſemper iudicio ſuo alios anteuertere, immo querimonias, indignationes, & duriores uoces interdum ſe eſſe perpeſſuros. Ideoq. prudentius erat, antequam officium iniret, uires ſuas diligenter expendere, an parem ſuſcepto muneri prudentiam, patientiam, loquendi fiduciam, animi alacritatem, publicæ rei zelum, intrepidamq. fidem afferret, non autem, poſtquam
B Spartam, (vt dici ſolet) iam ſortitus eſt, ab ea tuenda ornandaq. ſero nimis, iniuſteq. deficere.

Addimvs amplius, hoc, quod paſſim vſurpatur, *Nihil fruſtra nitendum*, quamuis ad ea opera poſſit pertinere, quæ ſi fine, ob quem ſuſcepta erant, nõ potiantur, quodam modo cenſentur perijſſe: attamen ſi præter finem principaliter propoſitum, alia etiam commoda ſubſequi poſſint, quæ per ſeipſa conſiſtant, tunc quamuis finis, qui præcipuus erat, non ſuccedat, aliarum tamen partium ratione non fruſtra, ſed utiliter eadem opera patrata dicentur. Exempli cauſa: Orator, qui patrocinium Rei ſuſcepit, non perſuadet Iudici, ut illũ
C abſoluat, cuius finis gratia munus illud ſuſceperat, num ergo tota illius concio inutilis, ac ſuperuacanea fuiſſe cenſebitur? minime quidem. Nam quantum ad Oratorẽ attinet, illud ab eo tentatum fuit, quod illius muneri conueniebat, quod locus & tempus poſtulabat, quod ciues omnes ab eo expectabãt, quod alijs, qui adfuerũt, mirifice placuit, quodq. demum ceteris exemplũ pietatis, iudicij, doctrinę, atque eloquentiæ reliquit: ſic & de Cõſiliario dicimus, qui etſi Principẽ nihil dicendo flectat, non tamen fruſtra linguã ſoluiſſe cenſendus erit, qui ea in re officio ſuo ſatisfecerit, qui ex cõſcientię ſuę lege locutus fuerit, qui alios dicendo ædificauerit, qui recta cõſulẽs Deo
D placuerit, qui denique etſi in illo actu nihil mouiſſe Prinicipẽ uiſus fuerit, alijs tamen in rebus plurimũ profeciſſe cẽſeri poſsit ad reddẽdũ illum in poſterum cautiorẽ, ne hęc uel ſimilia amplius decernat.

Poſtremo: Aliud eſt loqui in re priuata cũ priuata perſona, cui ſi tunc nihil profueris, nihil egiſſe uideris: Aliud corã multis, qui poterũt & ipſi pariter ad ferẽdã opẽ excitari, & de re publica, quæ ſcilicet poſsit non eo ſolũ tempore, ſed in poſterũ ſæpius accidere. Nam etſi tunc non profit, poterit tamen deinceps prodeſſe apud eundẽ, uel aliũ Principẽ, uel ſaltẽ in uitando ſcãdalo, ne alij, uidentes Cõſiliariũ tacere, exiſtimẽt illud ei, placere. Vnde eius exẽplo, & ipſi moueãtur

ad æque tacẽdum, siue approbandum, quod ab eo probatũ uideriut. A

SED restant adhuc alia, quæ magis rem attingere uidentur: nam cum obijcitur, imprudentis esse, *frustra niti*, ubi Princeps repugnat; uidendum est quomodo certũ nobis esse possit, frustra aliquid apud eum tentari: nam ut omittamus quidquid asseueretur de fixa, immobilique Principis sententia, numquam illud adeo certum habendũ esse, quin possit ab eodem ante promulgationem retractari. Vt omittamus etiam, certum omnino esse, Consiliarium teneri omni iure ad sententiam dicendam, incertum autem esse, nihil illum profecturũ, cum pendeat a futuro euentu; Dicimus, quòd postquam Princeps, qui rem poterat pro summa auctoritate sua solus absoluere, & B terminare, hanc maluit uiam eligere, ut scilicet cõsilij sui & Senatus sententias audiret, non debet Consiliarius, quamuis sibi persuasissimum haberet, aures Principis sibi omnino occlusas iri, a dicendo coram alijs cessare, ut illos conetur quantum in eo erit in sententiam suam perducere. Aliud enim est, quòd Princeps huius, uel illius, & multorum etiam rationibus non adducatur: aliud, quòd totius Consistorij uoci, & assensui nihil tribuat. Fingamus enim, aliquem in Senatu existere, cuius tum rationibus, tum auctoritate alij ita permoueantur, ut eos in sensum suum omnino pertrahat, certũ est, fore, ut hęc non unius tantum, sed communis omnium uox habeatur. C

NAM sicut sigillum eandem imaginem in multiplici cera imprimit, & magnes ferrum ad se uarijs ex locis allicit; sic unius Senatoris optimis rationibus probata sententia, omnium Senatorum fieri potest sententia. Vnde si Principem singuli flectere non potuerunt, uniuersi fortasse flectent: & qui singulis obsistebat, interdum cedet uniuersis: quod & ueterum exempla testantur: nam præter ea, quæ ab auctoribus Ethnicis accepimus de Appij Claudij, & Attilij Reguli orationibus; quibus totius Senatus sententia commutata fuit, cõstet ex sacris litteris, Chusai Arachiten Regis Dauidis familiarẽ, cum in Absalonis Senatũ fuisset introductus, atque omnes, qui ibi D aderant, Achitophelis sententiam sequerentur, tantũ apud illos sua oratione ualuisse, ut, priore relicta, ijdem alteram ab eo propositam

a 2. Reg. 17. comprobarint.[a] Quare cum, oblata opportunitate, facile id quoque ijs succedere possit, qui ad causæ merita dicendi alacritatem, fiduciam, zelumq. adijciant, non uidemus, cur hoc, quod antea frustra tentari dicebatur, hac ratione non maxime proficere posse speremus. Sicut enim fluuius, qui antea pedibus traijci facillime poterat,

b simile apud S. Basil. ep. 68. ob aliorum amnium in ipsum influẽtium collectã aquarum copiã, se pene insuperabilem reddit;[b] sic Princeps, qui singulorũ sententia

non

A non ita permouebatur, si aliorum idem sentientium auctoritate eam creuisse cognouerit, non poterit non tot illustrium uirorum amplitudini, ac dignitati multum concedere: quod & usu ipso compertum est, siquidem nunquam audiuimus aduersus totius sacri Collegij suffragia, ea, quæ in Consistorio deliberanda proponuntur, fuisse diffinita.

Qvapropter quod frustra tentatum ratione unius tantum Consiliarij dici posse uidebatur, nunc alijs quoque accedentibus non frustra, sed ualde utiliter susceptum fuisse dicetur: ut interim omittamus, quòd sicuti Rex ille Niniuitarum sperabat fore, ut ieiu-
B nijs, & orationibus Deus mutandus esset, [a] ita quoque numquam Cardinali ulli diffidendum erit, quin summus Pontifex auditis aliorum iustis, honestisq. sententijs, a pristina sua iam concepta opinione discedere, & nouam suscipere debeat.

[a] *Iona* 3.

PARS III. QVAEST. VIII.

An Cardinalis sit excusatione dignus, qui ut gratiam Prin-
C cipis retineat, atque alijs proinde rebus fructuosior esse possit, illud aliquando se probare in Consistorio ostendat, quod uere non probat.

Qvæst. xxiiii.

AFFIRMANT uno ore Sapientes, omnia, quæ ad mores spectant, ex proposito fine potissimum esse spectanda. Quapropter cum Cardinalis id sibi
D interdum probandum eligit quod uere non probat, ut scilicet hac ratione maiorem ineat a Principe gratiam, possitq. propterea ualidiorem multo, ac fructuosiorem in causa magis graui Reipublicæ operam nauare: uideri aliquibus potest non improbandum, sed commendandum potius huiusmodi consilium esse. Ob id enim & Iudith in sacris litteris celebratur, quamuis inuoluto mendacio, quo populum Dei ab obsidione liberauit, Holofernis sibi gratiam conciliauerit. [b]

[b] *Iudith* 11.

Verum, quia nos secus respondendum esse putamus, ideo ut

quæstionis propositæ ueritas dilucidius aperiatur, duo sigillatim e- A
runt excutiéda. Primum, an hoc sit illius generis mendacium, quod officiosum dici solet. Secundum, an excusatione dignum censendum sit ex rationibus modo propositis.

QVOD ad primum attinet, cum mendacium illud proprie officiosum ab aliquibus nuncupetur, quod in utilitatem alicuius dicitur, sine ullius iniuria, aut detrimento, perspicue sequeretur, officiosum hoc nequaquam dici posse, quod præsentem publicæ rei utilitatem lædit iuxta quæstionis statum aliàs à nobis constitutum, quo ponimus, censere Cardinalem id, quod tunc proponitur, minimè esse salutare. Vnde si illud se probare simulet, dubium non est publi- B
cæ eum causæ nocere: & propterea officiosum hunc illius actum minime esse.

VERVM quoniam sunt alij, qui existimant, illud etiam officiosum mendacium dici, quod principaliter profertur animo iuuandi, licet in consequentiam alteri detrimentum afferre posit, cum agentis propositum præcipuè sit inspiciendum,[a] ab eoq. actio denominari soleat, dicente Philosopho: Eum, qui furatur, ut mœchetur, magis esse adulterum, quam furem:[b] propterea etiam hoc sensu nobis agendum est, qua ratione hoc officiosum principaliter dici posit, an quia in gratiam Principis redundet, an quia in com- C
mune bonum, an quia in priuatum aliquorum emolumentum, an tandem quòd in sui ipsius, qui illud profert, commodum uerti posit.

a Inst. si quis nec causam. si cert. pet. nu. 8. & sequ.
b Aristotel. 5. Ethic. cap. 2. S. Thom. 1. 2. q. 18. art. 6. in corp.

SI Principem respiciamus, non uidemus, quomodo officiosum dici posit, quod illius utilitatem lædit: siquidem eius interest, utile sibi consilium proponi, secumq. a Consiliarijs suis syncere agi, ut, auditis eorum rationibus, posit id, quod commodius uidebitur, amplecti.

SI publicam causam spectemus, iam diximus, hoc Reipublicæ commodo præcipue repugnare: & propterea officiosum minime di- D
ci posse.

AT priuato aliorum emolumento, uix considerari potest, quomodo locus pateat: nam, ut in Themate dicitur, ex isto mendacio non prouenit alicui præsens aliquod lucrum, aut commodum, sed tantum suboritur Cardinali quædam spes, fore ut in posterum, gratia ualere debeat apud Principem in sui ipsius, & aliorum usum.

ITAQVE totum hoc opus, quod officiosum uocatur, reflectitur in ipsum Cardinalem: nec id quidem gignitur ex ipsa illa re, quę proposita fuit: nam ex ea nihil nec dignitatis, nec lucri, nec commodi

A tunc accedit ipsi Cardinali: uerum propter approbationem illam ab eo factam, concipitur ab illo spes, ut tamquam ex semine in terram iacto, possit talis fructus aliquo tempore probabiliter expectari, ex quo magnum emolumentum tum bono publico, tum priuatis rebus suis, atque amicorum debeat accedere.

VERUM si res diligenter consideretur, constabit fortasse hanc rationem non sufficere, ut mendacium hoc proprie officiosum dicatur, nisi admodum oblique, & indirecte: nam Cardinalis, qui sic loquitur, quamuis propria quadam coniectura, qua decipi potest, auctoritatem suam se adiuuare existimet, ita ut alijs in posterū magis B prodesse possit: ex altera tamen parte euidens est ualde ratio damni, quod tunc ex eius approbatione oritur: quandoquidem ceteri Consiliarij, qui eum audiunt, persuasi forte uerbis illius, ac putantes eū ita uere sentire prout expressit, adduci facile poterunt, ut idem prauum consilium & sequantur, & amplectantur: quod si etiam non sequantur, data tamen fuit eis occasio idonea ut id facerent.

ATTAMEN ad tollendam omnem dubitationem, ut concedamus etiam hoc mendacium ualde improprie sane, & populari modo officiosum dici posse, adhuc ostendendum nobis putamus, nec ex morali disciplina, nec ex Christianis institutis eiusmodi esse, ut C mentienti iustam possit excusationem comparare. Nam siue hanc iuuandi spem ad proprium ipsius commodum, aut ad priuatum aliorum fructum, aut ad publici etiam boni adiumentum referamus, nullo casu prudentia admittit, ut rei, quæ minus honesta censetur, assensum præbeamus.

QUOD enim ad propriam rem spectat, quis non uidet turpissimum, & indignissimum esse, fidem, ueritatem, atque officium, rei suæ causa interuertere? Nam sicuti Medicus, qui quæstum ut sibi ex ægroto diuturniorem, atque uberiorem faciat, morbum nutrit mala fide, conquisitisq. in id cibarijs, ac pharmacis perfidiose produ- D cit, non solum fidei officium uiolat, uerumetiam reum exitij, si inde sequatur, seipsum reddit; sic Consiliarius non ueritatis incolumitati, sed blandimento perniciosæ assentationis seruiens, culpam omnem in se publici damni conuertit, perinde (inquit S. Basilius [a]) ac solent tela iacta à corporibus solidis, in eos unde ea emissa fuerunt, resilire. Vnde merito amittunt hi, qui peruerse consulunt, nomen Consiliarij, & deceptores potius appellantur, ac de consilio perfido tenentur. [b] Et sane, si depositi infamis est actio, quod is, cuius fidei res credita est, in aliū usum transferat; quid de eo dicendum, qui non pallium, aut priuatam tunicam, sed cōmune bonum, Principisq. uti

a S. Basil. in orat. 21. de moribus, & in c. 3. Isaia.

b Abb. c. quanto. de iureiur. in 1. notab.

I 3 litatem

litatem curæ, atque integritati suæ cõmissam in propriã rem uertit? A
Certe si ab ijs decipimur, quos in consilium aduocamus, quod nobis erit perfugium, cum ab inimicis consilium non petatur? Notum est illud uetus prouerbium: *Si aqua fauces strangulat, quid amplius bibere est opus?*[a] Damnantur fures, damnantur homicidæ: at hic homicida, & fure deterior: non enim trucidat, aut pecuniam aufert, sed quasi sacrilego cõsilio rem sacram, iudicium scilicet rationis sub boni specie surripit, atque subducit. De priuato uero aliorum emolumento, notissimum est, numquam singularem uniuersali, particularem communi, priuatam publicæ utilitatem esse præferendam.[b]

Quòd si respondetur, hic etiam boni communis causam agi, eo B
quòd hac ratione speretur Cardinalis gratiosior apud Principem in posterum futurus, indeq. longe uberius, ac frequentius rem communem adiuuaturus. Dicimus, præsens esse ac certum detrimentum, quod nunc publicis rebus infertur, incertum autem, & a futuro euentu pendere fructum illum, qui aliquando expectari possit: prudentis autem non esse (ut aiebat ille) spem periculis emere, & incerta certis, futura præsentibus, longinqua proximis, & quæ ab aliena pendent uoluntate, iustis consilijs suis anteferre. Quibus accedit, quòd cum acuti sint Principes in hominum ingenijs pernoscendis, ubi semel Consiliarij simulationem odorauerint, uix um- C
quam postea fidem illi habebunt, unde nec in bona causa poterunt prodesse.

QVOD uero ad Christianam religionem attinet, non opus est multis disserere, nam cum ponamus in hoc negotio mendacium interponi, licet à beneuolo officio, & iuuandi studio proficiscatur, scimus tamen perpetuò illud tamquam suapte natura malum omninò respui, dicente S. Augustino, nihil aliud est dicere, aliqua mendacia esse iusta, quàm dicere, aliqua peccata esse iusta, ac proinde aliqua iusta esse, quæ sint iniusta.[c] Vnde nullo colore, aut cuiuscumque boni prætextu mendacium à Christiano homine admittitur, cũ D
numquam facienda sint mala, ut eueniant bona,[d] ita ut nec pro alterius uita tuenda liceat bono uiro mentiri.[e]

HVC accedit, duo hic posse concurrere: alterum culpæ, quod est mentiri: alterum pœnæ malum, seu damnum, quod est Principis gratiam, & iuuandi facultatem sibi fortasse adimere. Certum est, nullo pacto malum culpæ esse admittendum ad pœnam euitandam, cum malum culpæ etiam leuis, grauius sit quolibet damno pœnæ, quæcumque illa sit:[f] & quod dici solet, ex duobus malis minus esse eligendum, nullo modo admittatur in malis culpæ, quorum

a Aristot. lib. 7. Ethic. c. 2.

b cap. scias. 7. q. 1. l. 1. §. fin. C. de Caduc tollen.

c Aug. in Enchirid. c. 22. & lib. de mẽdac. cap. 7. & seq. S. Thom. 2. 2. q. 110. artic. 3.

d S. Tho. 2. 2. q. 43. artic. 7. ad 2.

e cap. ne quis, cum sequ. 22. q. 2. c. super eo. de usur.

f Dom. Ban. in S. Thom. 1. par. q. 48. art. 6. & in 2. 2. q. 20. art. 4.

A quorum nec minimũ vmquam eligendum est, cum peccatum nulla ratione sit eligibile.[a] Ad quod & illud pertinere potest, quod de Aristide legimus, qui consilium Themistoclis, quamuis utile esset, quia tamen iustum non uidebatur, repudiandum esse respondit: quod a tota Atheniensium concione probatum fuit, quippe qui censuerunt, quod æquum non esset, nec expedire quidem.[b]

Et quamuis existimarint aliqui exemplo Dauidis, qui se insanũ simulauit,[c] & eorum, qui sine reprehensione, cum instat periculum, solent uestes mutare, & alios se fingere;[d] sic licere quoque hoc casu Consiliario, alium se quàm uere sit alijs ostentare. Attamen B cum aliàs probatum fuerit, hic non tantum uersari actum pure negatiuum, quo ueritas celatur, sed etiam positiuum, quo mendacium profertur, aliud mente retinendo, & aliud uoce significando: idcirco clare constat, superioribus exemplis locum hic non esse, cũ aliud sit ueritatem occultare, quod quandoque sane licet, & aliud de industria falsum asserere, quod numquam permittitur.[e]

Qvare in re nostra, cum Cardinalis obstringatur iure officij sui eo loco, & tempore proferre sententiam, quam uerã ipse existimat, nullo modo poterit id, quod ex animo sentit, occultare, quamuis, ut aliàs diximus in casu proposito, non solum occultat ille ueritatem, C sed etiam mendacium omnino profert.

Ex his colligimus, nullam esse in re nostra iustam mentiendi ex proposito excusationem, nec viro bono ab officio suo propter suspectam Principis indignationem esse discedendum, vt aliàs disseruimus:[f] immo fidendum esse Principis eiusdem bonitati, & sapientiæ, qui, agnita Consiliarij ingenuitate, illi gratiam suam, Deo auxiliante, magno cum fœnore amplificabit. Ad quod Auctoris illius pertinet sententia, qui ad amicum scribens, dicebat: *Coniectabis ex hoc quantas contentiones, quantas etiam offensas subierimus, dumtaxat ad breue tempus: nam fides in præsentia, quibus resistit, offendit: deinde illis* D *ipsis suspicitur, laudaturque.*[g]

Non obstat quod initio quæstionis obijciebatur, moralia ex fine esse perpendenda, & Consiliarij finem esse, prodesse Reipublicæ; & ideo medium illud ab eo delectum fuisse, quo finis ille comparari facilius posset. Nam respondetur, non tantum operantis finem esse spectãdum, sed etiam operis: sicut enim qui aliena rapit, vt eleemosynam largiatur, fur est: ita qui falsum profert, vt Principis gratiam in Reipublicæ vtilitatem captet, mendax est.

Non obstat etiam quod de Iudith dicebatur: nam, vt ait sanctus Thomas, illa, quæ in sacris litteris mendacium indicare videntur,

a Dom. Sot. in 4. dist. 28. q. 1. art. 2.
b Cic. lib. 3. de offic. Plutar. in vita Aristid.
c 1. Reg. 21.
d S. Tho. 2. 2. q. 169. arti. 2. ad 3.
e S. Tho. 2. 2. q. 69. artic. 1. & 2.
f In quæst. 23.
g Plin. epist. 9. lib. 3.

ad mysticum sensum sunt referenda: [a] & quamuis illud, quod bono A proposito geritur, atque animo proficiendi, minuat peccati rationem, non tamen omnino tollit, si medium assumptum non est honestum, [b] cum numquam sint facienda mala, ut eueniant bona: & quod notum est apud omnes, bonum ipsum ex integritate causæ consistat, [c] ideoque ad illud constituendum necessarium sit, ut non solum finis bonus, sed media pariter bona existant, [d] præterquàm quòd in casu a nobis proposito multa concurrunt, quæ consilium hoc perniciosum reddere possunt, tum ratione damni, quod interim capit Respublica, tum ratione scandali, tum denique propter alios B Consiliarios, qui illius auctoritate permouentur.

a S.Tho. 2.2. q. 110 artic. 3. ad 3.
b Caie. 2.2. q. 110 art. 2.
c Dion Areopag. li. de diu. nom c. 4.
d S.Tho. 1.2. q. 18. art. 4. in corp. & ad 3.

PARS III. QVAEST. IX.

An Cardinalium clarorum exempla, qui ad res propositas, licet sibi non probatas, tacere, aut nihil repugnare interdum soliti fuerunt, iustam alijs idem faciendi excusationem præbere possint. C

QVAEST. XXV.

MAGNORVM uirorũ actiones magni faciendas esse, eorumq. exemplis multum tribuẽdum, non solũ in ijs, quæ manifeste recta sunt, sed in his etiã, quę primo intuitu dubitationem aliquam afferunt, nemo est qui nesciat. Non enim facile credendũ est, D uiros graues, prudẽtes, & cõscientię, atq. existimationis suæ retinẽtes, aliquid temere agere. Quare cũ obijciantur exẽpla amplissimorum Cardinaliũ, tum ueterum, tum recentiorũ, quos ad ea, quæ a summis Pontificibus proponebantur, licet sibi interius non probarentur, solitos fuisse ferunt, aut tacere, & capite annuere, aut placide ijs exterius assentiri; existimare hic possent aliqui, illos, qui itidem facerent, excusandos esse, & præsertim, quia, cum exemplum sit species quædam probationis, aut argumenti, quo sensus, & affectus magis allici solet, quàm ratione, iuxta illud uulgo tritum, quòd exempla magis mouent, quam uerba; [a] Et illud, Homines

a S.Tho. 1.2. q. 34. art. 1. in corp.

A nes amplius, oculis, quàm auribus credere, ac longum esse iter per præcepta, sed breue, & efficax per exempla.[a] Idcirco, si quis aliorum deferens auctoritati, & moribus, idem quoque ipse institutum seruet, uideri potest minime reprehendendus: nam si unius Doctoris insignis opinio, excusare aliquem solet a culpa,[b] multo sane magis multorum præstantissimorum uirorum exempla debent ab erroribus alios tueri.

HÆC si quis ita sibi persuadeat, eum proculdubio falli existimamus: nam cum aliàs a nobis probatum fuerit, obstringi efficaciter DD. Cardinales suum consulendi officium pure, fideliter, syncereq. B præstare, nulla potest illis exterius approbantibus quod interius reprobant excusatio suffragari, quæ ex aliorum suasionibus, aut argumentis oriretur, nedum ex aliorum actionibus, quarum nobis plerumque ignota est ratio, cum illi certas, & æquas facti sui defensiones habere potuerint, quæ alijs non ita congruunt. Vnde res plena periculo est, a certa officij sui lege, propter ignotas, aut dubias aliorum rationes discedere: neque enim tutum est, ubi non omnes circũstantiæ concurrunt, idem sentire; & ex sola imitatione aliquid statuere, præsertim cum regula sit, non exemplis, sed rationibus esse iudicandum.[c] Hinc Seneca dicebat: *Inter causas malorum nostrorum* C *est, quòd uiuimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur, & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est.*[d]

ITAQVE non negamus aliquando exemplis uirorum illustriũ multum esse tribuendum: sed cum obstat aperte ratio, quæ mentem conuincit, apparet, plus tribuẽdum esse rationi, quàm exemplo: magisq. considerandum esse, quid sit officio consentaneum, quàm quid alij fecerint, præsertim quando constat illud non expedire. Cum enim Deus Opt. Max. mentes nostras clarissimo illo lumine illustrauerit, de quo Dauid ait: *Signatũ est super nos lumen uultus tui, Domine,*[e] cumque tantus sit huius naturalis luminis splendor, ut, quemadmo D dum sanctus Paulus ait, *Gentes, quæ legem nõ habent, naturaliter quæ legis sunt, faciant,*[f] certe frustra ad exẽpla oculos conuertimus, quando rationis lumen, quasi sol quidam prælucet, & quid faciendũ, quidq. fugiendum sit, nobis proprie, aperteq. demonstrat. Sicuti enim, præsente sole, ipsius radijs stellæ ita obscurantur, ut licet adsint, sub aspectum non cadant, neque oculis cerni possint: at uerò, recedente sole, statim iterum emicant stellæ, suoque splendore uniuersum cæli ambitum pulcherrime exornant: eodem modo, cum rationis lumen occurrit, cuius splendore animus ipse illustratus, in hanc, aut in illam partem propendet; cedere debent exempla rationi, sicuti

a Senec. ep. 6.
b l. 2. §. sed nec. C. de uet. iur enucl. Panor. in c. calũniam. de pæn. Dec. in l. iuris ignorãtia. nu. 26. C. qui admitt. Nauar. in Man. ca. 3. num 8. & ca. 27. nu. 288.
c l nemo iudex. C. de sent. & interl. omn. iud.
d Senec. epi. 123.
e Psal. 4.
f Rom. 2.

cuti contra, cum ratio non obstat, certum est exempla uirorum uirtute præstantium magni esse momenti, magnamque habere uim ad animos mortalium commouendos. Non solum autem ea, quæ a ratione præscribuntur, præferenda sunt cuicumque exemplo, uerumetiam ipsamet exempla, ut uim, & pondus habeant, consentanea debent esse rationi. Quemadmodum enim (ut eadem utamur similitudine) etiam absente a nobis sole, stellæ, ut nonnulli existimant, non lucent, nisi lumine a sole accepto, eodem modo exempla nullius momenti apud nos esse debent, nisi ratione nitantur. Quare frustra nobis quispiam afferet exempla hominum, quantum uis illustrium, qui cum mente repugnarent, signis externis anuuebant: licet enim fuerint alijs rebus gestis clarissimi, tamen in hac una (pace illorum dixerimus) neque imitandi sunt, neque laudandi. A B

Sed demus etiam hęc ipsa exempla, præsertim illorum, qui rerum gestarum gloria floruerunt, dummodo rationi non repugnent, ad rem nostram posse interdum pertinere; Dicant, quæso, hi, qui hæc nobis obijciunt, cur non in eos Cardinales potius oculos conijciunt, qui candide semper, ac liberaliter ad Principis petitiones responderunt, quorum in Consistorio copia deesse non solet, quàm in hos, qui silere aduersus officij sui legem maluerunt, qui longissimo interuallo pauciores illis semper extiterunt? cur non illos potius, quàm hos sibi imitandos proposuerunt? cum & a Doctoribus receptũ illud sit, priuatum aliquorum morem aduersus reliquorum consuetudinem, & legem, pauciores non excusare, sed potius illorum augere delictum.[a] Certe timendum istis est, ne id in die nouissimo eis accidat quod olim Scribis, & Pharisęis obijciebat Dominus, dicens: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.*[b] Nam si Consiliarij tunc imbecillitatẽ suam, & fragilitatem obijcere curabunt, quod non plene officium suum impleuerint; statuentur illis ante faciem amplissimi alij multi eiusdem Collegij Cardinales, qui muneris sui memores, numquã silere quando loquendum erat, numquam conscientiam suam fallere uoluerunt: & quando etiam nullus (quod numquam Dei benignitate accidisse nouimus) eiusmodi inueniretur, Christiano tamen homini non quid alij faciant, sed quid eum facere oporteat curandum est, cum certissimum sit, ab unoquoque rationem propriæ uillicationis sine exceptione reddendam esse.[c] C D

a 2 q. 1. c. multi in fi. Tiraq. de pæn. temp. caus. 42. num. 14.
b Matt. 12.
c Luc. 16.

QVOD igitur contra obijciebatur, clarum est non obstare, si res, de quibus agitur, iusta ratione metiamur: notum enim est, quasdam esse, quæ a sacris Doctoribus bonæ simpliciter, quasdam quæ medię,

A mediæ, alias quæ uitiosæ dicuntur.[a] Vnde si de prioribus loqua-
mur, perspicuum est, eos, qui laudabiles aliorum actiones conse-
ctantur, dignos commendatione esse. Si etiam de medijs, aut du-
bijs sit sermo, cum eas in meliorem partem liceat interpretari, nec
nostrum sit, eas subtilius, quàm nobis congruat, examinare, tunc
si conscientia in eam partem conformetur, ut sententia, in quam
mens inclinat, sit honesta, & Reipublicæ utilis, poterit eo casu pro-
pter magnorum uirorum auctoritatem, atque exempla sane excu-
sari.[b] Verum in tertio genere, quod est rerum malarum, ac uitio-
rum, nullum prorsus est exemplum, quo nos tegere ualeamus, ita
B ut etiam si illæ usu quodam multorum receptæ essent, non tamen
id eos a culpa eximeret, nec a pœna alterius sæculi liberaret:[c] nam,
ut supra diximus, cum exemplum nihil aliud sit, quàm argumen-
tum quoddam probationis, quod sensui proponitur, certe non po-
test id plus uirium habere, quàm haberet ratio eius exempli, si in-
tellectui uerbis expressa offerretur. Sed cum ratio, quæ ex hoc exem
plo deduci potest, quatenus scilicet inde colligitur. Consiliarium
exteriore signo id probasse, quod mente reprobat, non tantum
non suadeat id faciendum esse, sed conuincat potius fugiendum,
& damnandum, cum inde Consiliarij officium, fides, & conscien-
C tia uioletur, ac publica utilitas lædatur; propterea clarum est, nos in
earum rerum genere uersari, quæ aperte malæ sunt, prout est men-
tiri: & ideo tamquam perniciosa exempla solent ab Auctoribus im
probari, dicente Seneca: *Vitium est ad plurium exempla componi, nec
quid oporteat, sed quid soleat aspicere:*[d] cum bono uiro omnia ad ratio
nem reuocanda sint.

NON obstat etiam quod dicebatur, exemplis homines mo-
ueri magis, quàm uerbis, & amplius oculis, quàm auribus tribui,
atque efficax esse iter per exempla, & ideo Cardinales, qui rebus
propositis non aduersantur, magnorum uirorum auctoritate debe-
D re defendi. Nam, ut supra diximus, proprium hominis est duci ra-
tione, & præsertim eorum, qui ingenij acumine, doctrina, ac re-
rum usu præditi sunt, quales in sacro Consistorio DD. Cardina-
les in primis elucere solent. Vulgares uero homines, atque idio-
tas, qui rerum causas ratione non attingunt, fatemur facilius inter-
dum exemplis, quæ sensui se obijciunt, quàm scientiarum argu-
mentis capi. Nec tamen propterea eosdem excusari dicimus, si in
ea peccauerint, quæ ratione naturali, ac iure diuino prohibentur,
qualia sunt, non mentiri, non peierare: hæc enim ita doctis, indo-
ctisque

a S. Tho. 1.2. q. 18. art. 8.

b S. Aug. cōt. Faustū li. 22. c. 75. & c. quid culpatur. 23. quæst. 1.

c Glo. in c. denique. dist. 4. S. Antonin. in 2. part. capi. 3. § 15. & in 1. tit. 16. §. 4.

d Senec. epist. 99.

ctisque communia esse debent, vt ignorationis specie, nemo crimen, aut pęnam effugere possit. A

Ad id vero, quod dicebatur, quòd si opinio insignis vnius Doctoris potest aliquem a culpa excusare, eo magis præstare id debebunt multa præstantissimorum virorum exempla; Respondetur, in rebus dubijs illud admitti posse: nam quando opinio probabilis insignis alicuius Doctoris affirmat aliquid sine culpa fieri posse, ille, qui non dubius in praxi, & vsu id sequitur, non dicitur delinquere, licet dubium forte speculatiuum aliquod superesse possit, quod actionem moralem non debet vitiare. Verum vbi lex diuina refragaretur, & conscientia propria B reclamaret, tunc iniuste nimis quæreret aliquis exemplis aliorum facta sua obtegere, quæ veritas ipsa manifestissima, atque vniuersa iustitiæ ratio condemnaret.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

DE

DE SACRI CONSISTORII CONSVLTATIONIBVS

PARS IIII. QVAEST. I.

QVAEST. XXVI.

An, si promouendus in Episcopum, aut Cardinalem, dignus sit, sufficiat Cardinali Consiliario illum approbare, an alterum potius digniorem proponere debeat ac meliora semper in alijs etiam negotijs suadere.

A PERDIFFICILIS est quæstio inter Theologos, ac iuris Pontificij Doctores magna opinionum varietate disputata,[a] & quam nos etiam in sacro Concilio Tridétino diutina tractatione agitatã fuisse meminimus, an scilicet in collationibus, electionibus, præsentationibus, seu nominationibus prelatorũ, possint citra culpã illi, qui digni sunt, dignioribus pretermissis, promoueri. Hanc tamẽ in præsenti neque diffinire, neque subtilius tractare necesse est, non solũ quia eam tot distinctionibus ac limitationibus subiectam esse scimus,[b] vt ex illis vix certam, claramq. doctrinã concludi posse aliqui affirment,[c] sed etiam, quia non ita proprie ad institutum nostrũ
B pertinet, quo de Cardinalium munere in ferendis consilijs agimus.

NAM quòd dignus, vel dignior debeat admitti, cum dupliciter considerari possit, siue ratione eligentium, siue ratione admittentium electionem, hinc duæ diuersæ oriuntur quæstiones, quas tamen Doctores promiscue tractarunt, vnde maioribus res difficultatibus fuit inuoluta.

Prima igitur est quæstio, an illi, qui habent ius nominandi, seu eligendi, aut præsentandi, debeant digniorem proponere, ita vt si minus dignum præferant, in culpam incurrant, & hic non solum habemus communem Doctorum sententiam[d] asserentium in foro conscien-

a Host. Ioan. And. c. cũ autẽ. de iur. patr Abb. Franci. Dec. c. cõstitutis. 2. de appel. Gemi. Prapos. Turrecre. c. licet. 8. q. 1. Sot. de iust. & iure lib. 3. q. 6 ar. 2. cõclus. 8. & 9. Sarnen c. 2 de constitut. in 6. nu. 22. Caiet. & Sylu. verb. electio. nu. 18. Tabiẽ. nu. 15.

b S. Tho. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. vbi Caiet. & q. 185 artic. 3. Roch. de iure patr. verb. honorificũ q. 15. Couar. reg pec catũ. par. 2. §. 7 nu. 7. & seq.

c Sic ait Lamber. de iu. pat. li. 2. p 1. q. 10. art. 3. vers. qd modo dicẽdũ. pag. 105.

d Sarnen. d. c. 2. de cõsti. in 6. nu. 22. qui ait communem.

conscientiæ digniorem vtrque præferendū esse,& eos, qui aliter fecerint, grauiter delinquere,[a] verum etiam clare hoc hodie Tridentino Concilio cautum esse nouimus, dum affirmat mortaliter eos, qui ad promotionem præficiendorum ius a Sede Apostolica habent, peccare, nisi quos digniores iudicauerint, Ecclesijs præfici curauerint[b]. Quo quidem in numero recenseri solent Imperatores, Reges, Principes, atque alij, qui a Sede Apostolica ius nominandi, aut præsentandi habent, siue canonici,& capitula, quæ eodem Apostolico iure eligunt, aut denique ipse etiam summus Pontifex, si quando accideret, vt minus dignos auctoritate sua proponeret. Verum hæc ipsa quæstio nihil ad rem nostram pertinet, quandoquidem nos de Cardinalibus agimus, ad quos non pertinet iure proprio quemquam in Episcopum, aut Cardinalem pronunciare, sed eorum tantum partes esse scimus, vt cum ab alijs Episcopi proponuntur,& ipsi sententiam de his rogantur, tunc quid sentiant, syncere respondeant: quod ad sequentem quæstionem pertinet. A B

Secunda igitur est quæstio, quando aliquis nominatus, electus, aut præsentatus fuit, qui sit dignus quidem, sed non omnino dignior alijs, qui potuissent præsentari: an tunc ille, ad quem pertinet, electum, aut præsentatum admittere, possit salua conscientia illum approbare, cum sciat digniorem fuisse prætermissum. Et huic loco commodè congruere videtur disputatio nostra, quæ de munere Cardinalium agit: nam, quamuis ad eorum auctoritatem,& officium non ita proprie pertinere videatur, vt quemquam admittant, vel non admittant, cum ipsi tantum sint Consiliarij Papæ,& consilium sequi nemo teneatur, vt sæpe diximus; attamen, quia ex vetere sacri Consistorij instituto receptum est, vt cum de promouendis Episcopis agitur, Cardinales singuli sententiam a Papa rogentur, vt quid eis de proposita persona videtur, fideliter respondeant: quorum etiam suffragia, si plures numero fuerint, Papa libenter sequi solet: propterea iuste hic quæritur, an sufficiat illis dignos tantum propositos laudare, an etiam digniores teneantur commemorare. C D

Quo loco respondemus, multis alijs omissis, duos casus considerari posse: quorū Primus est, quando duo, tres, aut plures ad Consistorium deferrentur: nam tunc dubitandum non videtur, teneri Cardinales in foro cōscientiæ meliorem ex illis, siue aptiorem præferre, cum hic eadem Doctorum extet ratio, de qua in præcedenti quæstione,[c] & ex alio Tridentini Concilij decreto satis clare colligatur, dum in simili casu ait,[d] quòd ex idoneis Episcopus eum eligat, quē ceteris magis idoneum esse iudicauerit: atque illi,& non alteri collatio

a Sil.de inst. & iur.lib 3.q. 6.artic.2.conclus.9.Siluest. verb.electio.1. nu 18. Naua. par.2.li.5.consil 21.
b In sess 24. c.1 de reform. §.omnes vero.
c Facit c.licet 8.q.1.ca.3. de iur patr.cap si forte. 63.dist.
d Sess.24.c.18.

A latio Ecclesiæ fiat: verum hic casus perraro solet accidere. Secundus est casus, & hic admodum frequens, quando vnus tantum in Consistorio proponitur, siue præsentatur, qui debeat institui, aut approbari: & hic, si quærimus quæ partes sint Cardinalium, an scilicet sufficiat illis dignum tantum approbare, aut potius debeant digniorem alium eligendum proponere; Respondemus, hoc a vinculo obligationis pendere, quo Cardinales consilium præbere tenentur. Quod cum duplex sit, vt aliàs diximus: alterum, quod iustitiæ: alterum, quod charitatis appellatur; Dicimus, quatenus ad iustitiam spectat, eos non vlterius obligari, quàm vt ad eas res, de qui-
B bus a Papa requiruntur, & consuluntur, fideliter respondeant.[a]

QVAPROPTER cum Papa in Episcoporum promotione nihil aliud ab illis petit, nisi vt dicant quid eis de persona promouenda in Episcopum videatur, satis est si ad interrogata respondeant, nec amplius iustitiæ vinculo obstringi videntur:[b] quod etiam Tridentino Concilio probari constat,[c] dum iniungit quattuor Cardinalibus, vt inquisitiones, informationes, testimonia, ac probationes de qualitatibus promouendi in publicum instrumentum redactas propria subscriptione corroborent, non vrget illos, vt meliores denuncient, aut commemorent, sed tantum vt dicant certo se existimare sub pe-
C riculo salutis æternę, illos, de quibus in documentis agitur, idoneos esse, qui Ecclesijs præficiantur. Ex quibus verbis dubium non est, & reliquos Cardinales tutam respondendi, ferendique suffragij sui rationem colligere posse.

ET si quis diceret, quòd quando pętermisso digniore, aliquis dignus tantum in Consistorio proponeretur, Cardinales scientes digniorem prætermissum, & consentientes huiusmodi electioni, peccarent ex eo saltem quòd noscentes hanc electionem vitio non caruisse, tamquam in minus dignum collatam, nihilominus illam in Consistorio approbasent; Respondetur, præsupponi a nobis, eum,
D qui propositus fuit, non esse sane inhabilem, aut ineptum; siquidē indignus non est certo modo eligibilis, & electio nō est nisi bonorū; sed cū varij sint gradus bonitatis, ponimus hunc inter bonos quidē censeri, & dicimus hoc satis Cardinalibus esse, nec pertinere ad eos inuestigare, aut iudicare, an alius eò dignior inueniatur, sed hoc ad eos spectare, qui habent ius eligendi, seu nominandi, prout clarum est ex verbis Concilij, dum loquens de ijs ait, *Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesię magis vtiles ipsi iudicauerint, præfici diligēter curauerint.*[d] Vnde vtens his verbis, *Ipsi iudicauerint*, satis ostendit sufficere, quòd iudicio nominantium

a *c. fundamēta. §. decet. de elect. in 6.*

b *Glo c. monasteriū. 16. q. 7. & in c. constitutus 2. de appellat*

c *Sess. 24 c. 1. §. omnes vero. de reform.*

d *Sess. 24. c. 1. §. omnes vero.*

tium illi sint digniores, quamuis non Cardinalium iudicio tales videantur: immo etsi Cardinales omnino existimarēt plures inueniri posse, qui sint multo digniores eo, qui electus fuit, non tamen illius reijci potest a Cardinalibus electio, dummodo ille nominatus sit dignus: quandoquidem & in ijs, qui proponuntur a Papa, satis est, Papam censuisse illum, quem proponit, esse digniorem, licet vere non sit, cum Concilium præter alias qualitates non amplius exigat, quā vt illi, qui proponunt, eos digniores esse iudicauerint. Vnde hęc maior dignitas non est attendenda regulariter quo ad iudicium Cardinalium, sed quo ad iudicium ipsius Papæ, qui ita censuit, cui potius Cardinales & deferre, & acquiescere debent, quamuis ipsi alium digniorem æstimare potuissent: loquendo tamen secundum iustitiæ vinculum, non ex charitatis officio, de quo infra agemus. A B

VERVM ad rem adhuc magis explicandam, & scrupulos euellendos, quædam omnino animaduertenda esse dicimus, quæ rei propositæ multùm conducunt, præter ea, quæ de Episcoporum creatione Pontificijs constitutionibus, & pręsertim a GREGORIO XIIII. nouissime sancita fuerant.[a]

Primum est: ad digniores proponendos, eosq. alijs præferendos, non necesse esse omnes Prouincias obire, aut angulos quosque locorum scrutari,[b] vt quis alijs præstantior sit, in lucem veniat: quod nimis operosum, & fere ineptum esset. Verum eos digniores nominandos esse, Doctores prudenter censere solent, qui in promptu sint, commodeque dignosci, & obtineri possint.[c] C

Secundo sciendum est, quòd si intellectu tantum speculemur, quo pacto hæc personarum dignitas, & merita inter se comparētur, haud valde difficile negotium videri potest: at vero si res ad praxim redigatur, illud adeo laboriosum, implicitumq. euadet, vt nulla fere certa, perpetuaq. regula possit comprehendi. Nam quamuis inter doctum & indoctum, continentem & incontinentem, exercitatum atque inexercitatum, facile sit discernere, attamen quando plures sunt vere docti, modesti, atque exercitati, quis eorum sit modestior, doctior, aut vsu peritior, nisi sit maximum discrimen in gradibus virtutum, difficillimum est iudicare:[d] & præsertim quia sæpe accidit, vt vnus sit doctior, alter exercitatior: vnus modestior, alter vigilantior: vnus ingenio præcellat, alter iudicio: alter zelo, alter facultate prædicandi, alter dexteritate in rebus gerendis. Itaque hæc omnia inter se conferre, & de ijs certum, ac probatum ferre iudicium, ita vt absolute vnus illi muneri aptior, & vtilior sit iudicandus, res est, quę maxima eget sapiētia, vsu, ac diuino prope consilio, D

indeq.

a A Gregorio xiiij. nouissime sācita fuerūt.

b Lamber. artic. 10 nu. 17.

c Caiet. 2. 2. q. 63. artic. 2. in fi.

d Sotus d. q. 6. artic. 2. in conclus. 9.

A indeq. receptum videtur a Doctoribus, vt propter inextricabiles hasce difficultates, satis sit in foro contentioso si dignus eligatur[a]. Hincq. subdimus numquam memoria nostra accidisse, nec facile euenire posse, vt quando aliquis idoneus propositus fuit, is prętextu alterius melioris reijciatur, quia semper difficillimum visum fuit, hanc meritorum imparitaté æqua lance, irrefragabiliq. iudicio diffinire, tum quia nihil aliud hoc esset, quàm existimationé Præsulis illius, qui iam nominatus fuit, & ius quodam modo ad rem habere videtur, sine fructu in discrimen adducere, tum etiam quia auctoritas Principum, & eorum, quibus facultas nominandi, aut prę sentandi
B di competit, hac ratione irrita redderetur: quod vix sine magna perturbatione eueniret.

Tertio illud animaduertendum, non eos digniores habēdos esse, qui meliores absolute fuerint, sed eos, qui (alioquin boni.) respectu Ecclesiæ, de qua agitur,[b] meliores censeantur, cum aliquando minus sanctus, minus bonus, & minus doctus sit tamquam Ecclesiæ illi vtilior ceteris præferendus, quæ ratio inspecta temporum conditione, pariter erit obseruanda, cum propter bella, dissidia, publicasq. perturbationes, vnum altero aptiorem esse sciamus, qui alioquin multis esset postponendus: idem & quo ad alias multas cir-
C cumstantias considerati posset, veluti in locis ditioni Principũ subiectis, si quis gratia, & auctoritate apud eos reliquis pręstaret, quamuis aliqua ex parte, doctrina alijs concederet, & veluti siquis ex eodem loco oriundus esset, & ciuibus magis acceptus: quod & ad multa alia huiusmodi exempla congrue pertinere potest.

Quarto illud valde DD. Cardinalibus cogitandũ erit, quòd quāuis magno hoc onere nominandi digniores sint subleuati, non parũ tamen negotij, ac ponderis eis relinquitur, si idoneos tantũ debeant approbare, cũ præter prudentiam, probitaté, doctrinam, & alia, quæ multis muneribus obeundis sunt cõmunia, peculiaria quædã in eo,
D qui ad Episcopatũ prouehendus est, a nascentis Ecclesiæ primordijs semper fuerint requisita. Nam præter ea, quæ ab Apostolo, sacrisq. Concilijs, ac sanctis Patribus frequenter sunt tradita,[c] illud accedit, quòd Imperatores Leo, & Anthemius scriptũ reliquerũt, his verbis: *Castus, & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quoque locorum peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet: non pretio, nec precibus ordinetur Antistes. Tantũ ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogēdus, rogatus recedat, inuitatus effugiat: sola illi suff. agetur necessitas excusandi Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.*[d] Quod & a S. Gregorio in eumdē sensum fuit repetitum, qui

a Glos. c. cum inter. de elect. & in cap. licet. 8. q. 1.

b S. Tho. 2. 2. q. 63. artic. 2. & ibi Caiet.

c 1. Timot 3. Tit. 1 Synod. 8. c. 5. S. Hieronym. in ep ad Ocean 83. S. Greg. in pastoral S. Gregor. Nazian in apologe 1 Aut. Aug epit. iur. lib. 2 titu. 3. 5. 6. & seq.

d l si quē, nā. C. de episc. & cler

scripsit: *Sicut is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus: sic qui vltro ambit, vel importune se ingerit, est proculdubio repellendus. Nã qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi vt crescẽdo decrescat, & ascendẽdo exterius, interius ad profunda descẽdat? itaq. fratres charissimi in sacerdotibus ordinãdis synceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio, vt ad summa sacerdotij, non suffragio venditorum prouectus, sed Dei credatur esse iudicio.*[a] Quam sententiam a sanctis Patribus sæpe proditam fuisse legimus, vt sanctæ Ecclesiæ Præsules, non dignitatem præripientes, non vltro se offerentes, non volentes demum neque currentes, sed sibi ipsis diffidentes, & inuiti potius in Episcopalem ordinem asciscantur.[b] A B

Quinto illud animaduertendũ est, quòd sicuti medendi officium non alteri quàm medicæ artis perito, nec nauigium, nisi rei nauticæ experto, atque in periculis probato committitur, sic & multo magis Pastoralis animarum cura, quæ ars artium dicitur, illis tantum deferenda videtur, qui in Ecclesiastica disciplina, spiritualisq. vitæ exercitijs diu versati fuerunt. Quod apud S. Leonem extat, cum ait: *Sanctorum Patrum venerabiles sanctiones eos demum sacris administrationibus idoneos censuere: quorum omnis ætas a puerilibus exordijs vsque ad perfectiores annos per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset.*[c]

Sexto sunt præterea alia multa priscis vsque temporibus commemorata,[d] quæ nos obiter tantum hic innuenda duximus, non quia non videamus exquisitam illam antiquorum temporũ disciplinam, non ita sæculi nostri infirmitati congruere, cum præsertim alia tunc eligendi Episcopos ratio obseruaretur: verum vt hinc saltem admoneantur hi, qui consilium de idoneis Prælatis ad Pastoralem curam daturi sunt, quantam in ea re solicitudinem veteres adhibuerint, Episcopalis muneris pondus librantes, atque eximiam vtilitatẽ cogitantes, quæ ex bonorum Episcoporum electione in Christianam Rempublicam esset prouentura: & proprerea Cardinales quoque hodie meminerint, cum de Episcoporum creatione agitur, se grauissimum præ manibus negotium habere, ac summa admodum maturitate, & vigili circumspectione deliberandum. Hæc de iustitiæ vinculo, quo concludimus Cardinales regulariter non amplius teneri, quàm vt dignos, & idoneos probent, si tales in Consistorio, qui vere apti sint, proponantur, siue nomine Principum, siue ab ipsomet Papa, nec a Cardinalibus quidquam de dignioribus exploretur; sed tantum prout moris est, rogentur, quid illis de Præsule proposito videatur. C D

Nam si de altero illo vinculo loquimur, quod ex charitate oritur,

cuius

[a] S. Greg. lib. 7. epist. 110.

[b] S Cypr. li. 4. epist. 2. S Leo ep. 84. S. Chrysost. lib. 4. de sacerd. S. Bern. lib. 3. de cõsid. ad Eugen.

[c] c. miramur. 61. dist.

[d] 1. Tim. 3. & Tit. 1. quas epistolas multis Concil. & Patrum interpretationib. exornat Gratian. a 20. vsque ad 100. distin. 5. Greg. Naziã. in apol. & in epist. 21. ad Cæsariẽ S. Chrys. in libris de Sacerdotio, & in 1. Tim. 3. hom. 10. & alibi sæpe. S. Gregor. in Pastor. Auth. quomodo oport. Episcopos. § 1. & de sanctiss. Episcop. cum sim.

A cuius officio, etiam non requisiti debent summum Pontificem in rebus administrandis omni opera, auxilioq. iuuare, modo tamen se profecturos esse probabiliter sperent, ut aliàs diximus; Respondemus, si meliorem, & utiliorem in promptu habeant, commendatione dignos maximè fore, si re integra curarint qua poterunt diligentia, ut de eo summum pontificem commonefaciant, ueluti Hispani de Hispanis, Galli de Gallis, Germani de Germanis, Poloni de Polonis, & alij de alijs, qui promouendos notiores habent: non enim sine causa sacro Concilio cautum fuit, ut in uno Consistorio relatione facta, in aliud Consistorium iudicium differatur, ut scilicet interim maturius de re tota, quod opus fuerit, deliberari possit.

B Nunc de Cardinalium creatione agendum est, quæ multa habet Episcopis ipsis communia: nonnulla etiam pro gradus huius præstantia, & sublimitate quæ illius sunt propria, & peculiaria. Commune illud est, ut omnia, & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum uita, ætate, doctrina, & ceteris qualitatibus sacro Concilio Tridentino constituta sunt, eadem in creatione S.R.E. Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, adhibeantur.[a] Peculiare uero, ut ad eas qualitates non solum quædam aliæ accedant, quibus eos insignitos esse oportet, sed & omnia desint illis impedimenta, quę in lit- DE CARDINALIVM CREATIONE.

C teris Sixti Papę Qvinti sanctæ mem. recensentur. Peculiare & illud est, ut quamuis Episcopi quibuscumque anni diebus, & temporibus creari possint, Cardinalium tamen promotio statis tantum mensis Decembris ferijs celebretur.[b] Peculiare & illud, ut cum nouas quotidie Ecclesias erigi, atque Episcopos nouos creari ad propagandam religionem sit necesse, Cardinalium tamen Collegium certo numero regulariter concludi solet. Illud etiam peculiare, quòd Episcopus unusquisque Ecclesiæ suæ tamquam sponsæ adscribitur, a qua, quæ sibi ad sustinendam dignitatem, pauperemque gregem suum alendum sunt necessaria, tamquam coniugalem dotem suscipit, cum Cardinales ad uniuersalem Ecclesiam,[c] Pastoremq. illius adiuuandum, instituti, nullo certo loco solicitudinem suam circumscriptam habeant, sed Papæ ipsi adsistant, aut quò ille iusserit, se transferant, atque ab ipsius tamquam Ecclesiæ capitis benignissima manu, unusquisque subsidia necessaria consequi debeat. Inter cetera uero, ne singula persequamur, peculiare illud præcipuè haberi solet, quòd in Cardinalium creatione numquam ius aliquod Regibus, Principibus, aut Capitulis Canonicorum competit, quamuis Episcoporum nominatio, aut præsentatio, ut aliàs diximus, quandoque soleat ad eos pertinere. Verum auctoritas hæc

D

a Sess. 14. ca. 1. §. ea uero.

b n d. constit. Sixti V. §. antiquum uero.

c Caiet. 2. 2. q. 185. art. 5.

in Cardinalium creatione ita solius Romani Pontificis propria, & A præcipua existit, ut nulli prorsus quocumque ille gradu aut dignitate fulgeat, tribuatur. Vnde mirum non est, si Tridentinum Concilium uerbis adeo pijs, ac uehemētibus summum Pontificem cohortatum fuit, ut *quam solicitudinem uniuersæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimū* (ut uerbis eius utamur) *impendat, ut lectissimos tantū sibi Cardinales adsciscat:*[a] mouens his uerbis, non dignos tantū, sed dignissimos: non probatos tantū, sed probatissimos: non lectos tantum, sed lectissimos in hunc gradum adsciscendos esse. Nam cū hi Christianæ Reipublicæ cardines, & clarissima Ecclesiæ lumina sint habendi, oportuit eos omnibus uirtutum meritis ita fulgere, ut B nihil prorsus ad cumulatam tantæ dignitatis perfectionem in ijs possit desiderari: sicuti enim in gēma, quo pretiosior est, & elegantiore annulo inserta, eò diligentius minima quæque signa, aut maculæ inuestigātur: sic Cardinales, quo excelsiore in gradu sunt positi, insignioreq. tū munere, tū habitu, ac titulo decorati, eo longius ab omnibus prorsus uitiorū decuit suspicionibus abesse, ita ut uirtutū suarum splendore uniuersorū in se oculos, atque admirationē cōuertāt.

a Sess. 24. de refor. c. 1. in fi.

Quam ob causam, ut res tanta, qua decet, trutina, & consilij maturitate expenderetur, in sacrarum ceremoniarum libro legimus,[b] illud seruari solitum fuisse, ut cum summus Pontifex nouos Cardi- C nales creare uellet, in primo Consistorio causas narraret, quæ illum mouerent ad nouam creationem, & sigillatim a Cardinalibus exquireret, an uideretur illis expedire, nouos Cardinales creari, ipsiq. libere sententias suas exponerent, ita ut ab omnibus intelligerētur. Et si maior pars Collegij in sententiam Pontificis ueniret, ageretur deinde de numero promouendorum, interimq. Pōtifex Cardinales moneret, ut de personis eligendis cogitarent, & postea aliud Consistorium haberetur, in quibus nomina promouendorum significarentur: & si infirmitate aliqui detenti essent, mitterentur ad eos duo alij Cardinales, qui uota eorum scrutarentur, tum in primo, tum in D secundo die, quo Consistoria haberentur, nec summus Pontifex nisi de consensu maioris partis sacri Collegij Cardinales nouos crearet. Hæc in summa sunt, quæ ex ceremoniarum Libro colliguntur.

b In lib. 1. cerem. sect. 3. c. 1. & 3. & 4.

VERVM hæc ad summum Pontificē spectant: nos autem quoniā quærimus quæ partes sacri Collegij esse debeant, quādo proponēte eodē summo Pontifice in Consistorio nouos Cardinales creandos, ipsi sententiam sunt dicturi; Ideo respondemus, duplex illud officiū repetendum esse, quod supra commemorauimus, Cardinalibus uti Consiliarijs incumbere: alterum uidelicet iustitiæ, alterū charitatis.

QVOD

A QVOD ad iustitiam attinet, variæ offerre se possunt occasiones illius munia exercendi in noua Cardinaliũ creatione, & præcipue in ijs rebus, quæ ad eorum spectãt, aut qualitates, aut ætatẽ, aut numerum, aut tempus promotionis. Quantũ ad qualitates pertinet, modo diximus ea omnia, & singula in illis fulgere debere, non solũ quę in Episcoporũ creatione obseruanda sunt, sed & alia etiam, quę recẽti SIXTI Papę QVINTI Constitutione requiruntur. Vnde dubium non est, quoties Cardinalis in sacro Consistorio audit de Cardinalibus nouis creandis agi, in quibus singulæ illæ qualitates non concurrant, aut aliqua impedimenta prohibita adsint, eum teneri iusti-
B tiæ lege commemorare quid Concilium, quid Constitutiones, quid Leges sanciant, aut quid ratio postulet, seruata tamen, quo ad eius fieri poterit, personæ, de qua agitur, fama & existimatione.

Quibus & aliud accedit, quòd in Cardinalium creatione cum de illis agatur, qui aut summi Pontifices euasuri, aut in eo deligendo suffragium sint habituri: intereaq. Administri, Consiliarij, atque opitulatores sint futuri illius, qui clauum uniuersæ Dei Ecclesię gubernandæ, socijs illi adnitentibus fortiter tenere debet: propterea certum est, post summum Pontificem, Consiliarios teneri diligẽtissime cauere, vt promouendi tales omnino existant, qui huic mune-
C ri integre possint respondere: ob id enim sacrum Conciliũ Tridentinum admonuit, ut ex omnibus Christiani orbis nationibus, quantum commode fieri poterit, & prout idoneos repererit, sanctissimus Romanus Pontifex eos assumat,[a] non solum ut per eos sedes Apostolica de omnium gentium moribus, & negotijs certam pro rerum emergentium opportunitate notitiam habere possit, sed etiam ut declararet optimos quosque, & lectissimos vndequaq. esse in hunc Cardinalium ordinem adscribendos, ea omnino exceptione remota qua se Collegia fere omnia & Senatus tueri solent, dum asserunt in suas societates, non alios quàm ciues, aut inde oriundos, solere reci-
D pi: ideoq. minus dignos, aut idoneos quandoq. ab ijs admitti, quod non semper pro loci angustia, aut ciuium copia, tales inueniri possint, qui maxime apti sint futuri. Nam sacrum Concilium, tametsi optime nouerat Prælatum Ecclesiæ, quo nomine etiam Papa continetur,[b] non esse rerum spiritualium dominum, ita ut possit ea arbitratu suo, quibus maluerit, dare, sed teneri ad eas dispensandas, habita ratione communis boni, alioquin eum peccare in acceptione personarum:[c] attamen uolens eo cautius sanctæ Ecclesię administrationi consulere, & ne ullo tempore minus digni, minusve vtiles priuato aliquo prætextu natalis soli, aut prouinciæ, seu clientelæ, vel

a Sess. 24. c. 1. §. ea vero omnia.

b Caiet. 2. 2. q. 63 articu. 2. vers. nota tertio.

c S Tho. 2. 2. q. 63. articu. 2. Augu. de Ancon q. 47. arti. 1. & 2.

consanguinitatis, aut familiaritatis, meliorum, atque aptiorum locum in publica re, supremoq. Ecclesiæ cardine, occuparent: sed ut perpetuo præstantissimi quique, & ad commune bonum optimi ceteris præponerentur, statuit, ut Cardinalium Collegium nullis finibus circumscribatur, sed in omnes gentes, & nationes extendatur, ita ut Romanus Pōtifex sicuti Pastor est uniuersalis, sic omni humano carnis, affectu erga sibi adiunctos deposito,[a] uniuersi orbis agrū ante oculos gerens, posset lectissimos quosque flores in hac, uel illa regione nitentes, suo tempore excerpere, atque ex ijs splendidissimā sibi Consiliariorum, & assessorum coronam, uniuerso orbi & gratam, & salutarem contexere. A B

a d. Sess. 25. c. 1. §. omnia.

Quod ad aetatem spectat, scimus eodem Tridentino Concilio ætatem, quæ in Episcopis est necessaria, triginta uidelicet annorum qui exacti fuerint,[b] in Cardinalibus quoque etiamsi Diaconi sint, omnino requiri,[c] quamuis quod de Diaconis dicitur, eos saltem in uigesimo secundo suæ ætatis anno constitutos esse, Sixtus Quintus sanctæ mem. postea sanxerit, ita ut omnino intra annum ad sacrum Diaconatus ordinem promoueantur.[d] Propterea hac quoque in parte Cardinalis erit iustitiam colentis officium, si quando de minoribus hoc annorum spatio promouendis ageretur, quid Synodi, quid Patrum Decreta, quid usque ueteres tum Græcorum, tum Romanorum mores in suis Senatibus religiose obseruatent,[e] commemorare, non quia in sacro Consistorio non aliquos interdum hoc annorum curriculo inferiores, adlectos fuisse ignoremus, qui moribus atque ingenio ætatem antecedentes, magnum Collegio nostro ornamentum attulerunt, de quibus etiam alibi egimus:[f] sed ut in posterum quanta fieri poterit cautione curetur, ne frustra Canones, Concilia, & Pontificiæ Constitutiones hanc ætatem præscripsisse uideantur, atque omnino ea auctoritas, & existimatio, quæ Collegijs ex annorum maturitate acquiri solet, in hoc nostro potissimum conseruetur, & amplificetur. C D

b c. cū in cunctis de elect.
c Sess. 24. c. 1. §. ea uero. de reform.
d d. constit. §. neque posthac.
e Tiraquel in præfat. de iur. primogen. nu. 79. cum multis sequ.
f In quæst. 20.

De numero uero Cardinaliū, certum illud est, maiores nostros in eo parcos maxime extitisse, & paucis admodum contentos fuisse, cum tamen Ecclesia Dei optime ijs temporibus administraretur; cuius rei tanta uidetur ab illis ratio habita fuisse, ut usque ad patrum, aut certe auorum nostrorum ætatem, Cardinalium ordinem uix trigesimum regulariter attigisse uideamus: postea uero, cum numerū hunc paulatim excrescere, progrediente tempore, summi Pontifices agnoscerent, moderationem aliquam adhibendam esse censuerunt, donec Sixtus Quintus sanctæ mem. de S. R. E. Cardinalium

A lium numero, ordine, & ætate, Constitutionem edidit, in qua uniuersum Cardinalium ordinem ad septuaginta redegit, ut ueteris synagogæ figuram imitaretur de congregandis septuaginta senioribus Israel, qui una cum Moyse onus populi sustentarent, & non ipse solus grauaretur.[a] Quam tamen Constitutionem uerbis negantibus, ubi de numero agit, sapienter admodum idem Pontifex concepit,[b] ut scilicet ostenderet non solum numerum septuagenarium non esse transiliendum, sed nec etiam semper æquandum, ubi pauciores possunt ad omnia munera sufficere, cum, ut aiunt Iurisconsulti[c], non quidquid iudicis committitur potestati, illud etiam subijci
B tur necessitati.

[a] Numer. 11.

[b] Constit. 50. Sixti V § de prædictorum.

[c] l. non quidquid. de iudic.

Cum igitur non ualde multos ad Sedem Apostolicam adiuuandam, sanctamq. Ecclesiam regendam, Cardinales necessarios esse ex Maiorum nostrorum traditione, atque usu ipso perspiciamus, propterea quotiens de nouis Cardinalibus adiungendis agitur, id in primis ei, qui suffragium suum daturus esset, considerandum putaremus, an Sedes Apostolica illis eo tempore indigeat, memorans illud secum, atque in animo bene constitutum habens, dignitates Ecclesiasticas institutas fuisse principaliter, ut consuleretur loco, aut muneri, aut Ecclesiæ indigenti, non ut inde homines, aut familiæ splen
C dore gradus illustrarentur.[d] Quamobrem, sicut numquam agitur de præficiendo Episcopo alicui Ecclesiæ, nisi certa urgeat illius necessitas, eo quòd sponso, & pastore suo orbata inueniatur; sic in uniuersali Ecclesia, nisi perspicua se ostẽdat necessitas, quæ Sedem Apostolicam pluribus adiutoribus, & Consiliarijs indigere declaret, præposterum esset de eligendis nouis Cardinalibus consilium iudicandum: sicuti enim uehiculo, cui quattuor rotæ sufficiunt ad onera ferenda, si quis quintam adderet, illius turbaret potius, atque impediret cursum, quàm adiuuaret: sic in Collegium Cardinalium bene constitutum plures ingerere quàm oporteat, nihil aliud est, quàm
D corpus nõ necessarijs cibis onerare, ac lædere potius, quã subleuare.

[d] S. Tho. 2. 2. q. 63. art. 2. in corp & ad 1. ubi Caiet. & art. 3.

Non negamus tamen pro uario Ecclesiæ statu, temporumq. ratione interdum accidere posse, ut affluente etiam sacro Cardinaliũ Collegio plurimis, & præstantissimis in omni uirtutum genere Præsulibus, adhuc tamen alij sint adlegendi, sic publica rerum utilitate postulante. Nam cum hi dignitatum gradus instituti fuerint, ut essent officia in Ecclesiæ utilitatem exercenda, hæc utilitas dupliciter considerari solet, tum simpliciter, &, ut dicitur, per se: quæ utilitas intrinseca appellatur, oriens immediate ex persona ipsa promouenda, quæ proprijs uirtutibus, & meritis commune bonum sit adiu-

uatura, tum etiam per accidens, quando occasione eiusdem personæ promouendæ, magna præterea utilitas Ecclesiæ rebus aliunde sit accessura, quæ utilitas extrinseca uocari solet. Qua quidem ratione maiores nostros, maximorum Principum patrocinium aduersus hæreticos, ac Christianæ fidei hostes eximio Sedis Apostolicæ adiumento sibi sępe comparasse nouimus, dum his efflagitantibus aliquos ex eorum consanguineis etiam ætate minoribus, optimæ tamen indolis, & spei, ad suum ordinem aggregare non recusarunt. A

POSSENT & aliæ iustissimæ rationes interdum exurgere, quibus de uno, aut altero cooptando extra ordinem sapienter decernere liceret, si id communis boni causa euidenter exposceret, ita ut uix aliter imminentibus periculis prospici posse non uideretur, modo tamen septuagenarius numerus, nisi ex urgentissima, atque ineuitabili causa, SIXTI QVINTI Constitutione præscriptus excederetur. Quam quidem extraordinariam promotionem feliciter aliquando successuram esse non est dubitandum, dum tamen non gratiæ, non amicitiæ, non propinquitatis, non cupiditatis, sed sacrosanctæ Sedis futura sit electio. B

QVOD uero ad tempus promotionis spectat, potest & hic suus iustitiæ locus esse, ne scilicet alio tēpore quàm ferijs Decembribus, ipsisq. ieiuniorum diebus, nouissima SIXTI QVINTI Constitutione præfinitis, promotiones Cardinalium celebrentur, quod priscis CLEMENTIS, ANACLETI, EVARISTI, ALEXANDRI, & aliorum sanctorum Pontificum temporibus per sexcentos, & amplius annos continuata serie obseruatum fuisse, idem SIXTVS V. meminit.[a] Quo loco & illud obseruandum esse nemo ignorat, quod sacro Tridentino Concilio continetur, ut scilicet in uno Consistorio ad Cardinales de promotione facienda referatur, in altero postea deliberetur: quandoquidem in re omnium grauissima, nisi matura præcedat consultatio, summa pericula ac discrimina adiri possent. Quod quidem, ut eo feliciorem fructum afferat, uidimus nosipsi, & obseruauimus eximiam multorum summorum Pontificum uigilantiam, ac solicitudinem, qui præter ea, quæ in sacro Consistorio ex vetere ritu denunciauerant, priuatim etiam unumquemque moneri curabant, ut si quid illis ante diem promotionis significandum occurreret, illud eis, si libuisset, intra domesticos parietes omni fiducia, & familiaritate deferrent: sic enim accenduntur magis, Consiliariorum animi ad ea cogitanda, diligenterque meditanda, quæ utilius in Dei gloriam, Sedisque Apostolicæ dignitatem sint euasura. Et hæc quo ad iustitiam. Quæ omnia C D

[a] *In d. constit. §. antiquum uero*

A loco suo in memoriam uniuersalis Pastoris redigere, si quando res diuerso ab eo, quod supradictum est, cursu dirigi dignosceretur, erit officium fidelis, & sapientis Consiliarij.

SVPEREST postremo charitatis officium, cuius exercendæ, quandocumque de Cardinalium creatione agetur, largum, atque uberé campum Consiliarijs illis offerendum esse non dubitamus, qui zelo Dei accensi, sanctæ Ecclesiæ prodesse exoptabũt. Occurrent enim multorum merita nihil ambientium, sed uirtutibus probitaté suam prædicantium, quos summo Pontifici priuatim, & publice commemorari publica utilitas exposcit. Occurrent insignium aliquorum B uirorum pro Sede Apostolica suscepti utiliter labores, atque omniũ commendatione celebrati, ita ut eos sacro Collegio usui, ac ornamento futuros esse non sit ambigendum. Occurret interdum concepta forte de ijs suspicio, qui sanguinis uinculo cum Principe coniuncti, cooptãdi esse dicentur, ut quamuis æque digni meritis, ac alij habeantur, & propterea sine personarum acceptione alijs præferri possent; tamen propter scandalum satius esset ab ijs supersedere, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem bona Ecclesiæ consanguineis dandi, ut ait sanctus Thomas. [a] Occurrent clarissimæ multorum, tum Principum, tum aliorum, familiæ, C quorum Maiores, cum in sacro Collegio uirtutem, singularemque prudentiam suam probarint, ęquum est tam præclara semina, si qua fructui ferendo idonea supersint, a Sede Apostolica recipi, & foueri. Occurrent nonnullorum etiam Cardinalium optime meritorũ domesticæ necessitates, imparesq. gradui census, quibus ut antea cõsulatur, quàm de Collegio nouis Cardinalibus amplificando, aut de augendis ijsdem bonorum Ecclesiasticorum redditibus agatur, fraterna dilectio & pietas postulabit. Offerent se & multa alia pro loci, & temporis opportunitate commemoranda, quæ Dei spiritus unicuique eum imploranti facile suppeditabit.

a S. Tho. 2. 2. q. 63. artic. 2. ad 1. ubi Caie. & Quodlib. 4. art. 15. Turrecrem. in c. decenter 89. dist. num 2. Bald. l. tutor §. qua tutoris. de excus. tutor.

D ATQVE hæc quidem, quæ a nobis dicta sunt, satis unumquemque admonere possunt quid in alijs negotijs sentiamus, quæ in Consistorij consultationibus uersari solent, an scilicet satis sit id, quod a summo Pontifice proponitur, cum honestum sit, probare: an uero etiam si quid melius, atque utilius occurrat, dicendo amplecti: nam ex his, quæ disseruimus, cum liqueat, totam Consiliarij functionem partim ad iustitiæ, partim ad charitatis debitum pertinere; idcirco sicuti iustitiæ officium numquam est intermittendum, sic charitatis munus opportune susceptum magna sæpe cum laude, tum fructu, atque aliorum ædificatione poterit exerceri.

PARS

An teneatur Cardinalis detegere crimina, aut impedimenta, quæ obstant promouendis in Episcopos, aut Cardinales.

QVAEST. XXVII.

PRAESENS quæstio quoniam propter varietatem criminum, multiplicesq. circumstãtias prolixam nimis requireret disputationem, nos ad vitandam Lectori molestiam, eam ad illa tantum capita redigendam duximus, quæ ex communibus Doctorum regulis rei nostræ possunt sufficere. A

PRIMVM igitur de Episcopis agẽtes, illud præfamur, quòd quãuis non fiant relationes ad sacrum Consistorium de promouendis Prælatis nisi præcedant informationes, inquisitiones, & probationes publicis documentis traditæ de vita, ętate, doctrina, moribus, alijsq. eorum qualitatibus necessarijs, vt superiori capite dictum fuit: Quoniam tamen accidere potest, vt non omnia sciri, cognoscive potuerint; propterea nunc quæritur an Cardinalis sententiam rogatus a Põtifice in Consistorio quid sibi de persona promouenda videatur, debeat si qua norit impedimenta alijs forte non ita cognita denunciare. Quod quidem clarioris explicationis gratia in tres partes distribuimus. Primum est, quid officio, personæq. Cardinalis responsuri conueniat. Secundum, quæ crimina, aut impedimenta sint, de quibus dubitari potest. Tertium, qua ratione, aut modo hæc sint tractanda. B

Quod ad primum attinet, meminisse debet Cardinalis, sibi duplicem personam incumbere: alteram tamquam Christiani hominis, quæ fidelibus omnibus communis est, ex qua ipse veluti membrum corporis Ecclesiæ debet commune bonum Christianæ Reipublicæ tueri, & propugnare, etiam cum rerum suarum, aut amicitiæ amittendæ, si oporteat, aut si necessitas vrgeat, periculo: alteram, quam velut Coadiutor, & Consiliarius Papæ refert, duplici adhuc, vt aliàs diximus, vinculo obstrictam, tum iustitiæ, tum charitatis: iustitiæ quidem, vt de ijs rebus, de quibus a Pontifice consulitur, fideliter semper respondeat: charitatis vero, ut præterea induat personam C

summi

A summi Pontificis,eaq. omnia illi pro loco,& tempore suggerere studeat, quæ Pastoralis illius auctoritas, communisq. Ecclesię vtilitas exposcere videtur,secum ipse statuens quando opportune id se facere posse confidit, vt illud ipsum in rebus gerendis consilium Papæ subministret,quod ipsemet,si eo loco sederet, proculdubio esset executurus: sic legimus strenuum Chusi erga Regem Dauidem obseruasse,[a] & Eliseum erga Ioram Regem Israel,[b] & alios multos Dei seruos fecisse. a 2 Reg. 17. b 4 Reg. 3.

In secundo capite animaduertendū est, num sint crimina, quę obstant promouendo,an vero alia impedimēta. Et quoniā mul B tiplicia admodum vtraque esse possunt,ea summatim potiùs,quàm certa regula,subtiliq. distinctione,quę longiorem exquireret tractationem,complectemur.Nam si crimina sunt,ea aut tamquam occulta, aut vt publica considerantur. Occulta in præsenti dicimus,quæ intra priuatos parietes admittuntur: & hæc aut ipsi tantum promouēdo & paucis fortasse alijs domesticis solo exemplo nocent: veluti si crapulæ,lusibus,aut aleis indulgeat,siue concubinā ancillę specie alat: aut nocent non ipsi tantum,sed ui sua apta sunt etiam Rempublicam totam,uel partē eius lędere,vt si quis sit hęreticus, schismaticus,ac ciuium saluti infensus. Publica appellamus, quæ alijs quoq. C ciuibus nota sunt,& hęc aut ita proprię personæ annexa sūt,vt ipsemet promouendus ijs cum diuinę gratię auxilio prouidere possit[c]. nec alijs nisi exemplo,ut plurimum,nocere solēt,qualia sunt multa ex ijs,quę Apostolus cōmemorat,[d] veluti si sit superbus, iracundus, uinolentus,turpis lucri cupidus, incontinens: aut ea sunt,quæ alijs quoque damnum afferunt,veluti si sit rixosus,adulter,maledicus, fęnerator. Rursus præter crimina,sunt,vt diximus, alia impedimēta, quæ ad duo capita redigi possunt: aut enim proueniunt a iure Pontificio, aut ab ipsa natura. Iure Pontificio prohibentur promoueri excommunicatus,irregularis,per saltum ordinatus,& alij. A natura D multi sunt morbi,qui obstare uidētur,vt si quis sit lymphaticus,energumenus,furiosus,aut corpore enormiter vitiatus. Quæ igitur sunt a iure Pontificio,licet peccatum nō sint,quod est perspicuū, habent tamen aliquando peccatum annexum, & sunt veluti pęna peccatorum,quę antecesserunt,siue ipsa peccata vera,siue pręsumpta sint,vt patet in excommunicatione,& irregularitate, quæ nascitur ex delicto. Aliquando uero nullum peccatum habent annexum,ut cernere licet in bigamia,& in alijs irregularitatibus.

c S. Tho. 2. 2. q. 185. artic. 2. ad 2.
d 1. Timot. 3. & Tit. 1.

Interest autem multum inter impedimenta, quæ sunt a iure Pontificio,& ea, quæ sunt a natura: quę enim sunt a iure Pontificio possunt

possunt

possunt auctoritate Pontificis maximi tolli, ut si ipse promouendus, A sit excommunicatus, aut irregularis. At uero, quæ sunt a natura quædam nequeunt ab ipso Pontifice tolli, ut de furioso, muto, & paralytico constat: quædam condonari, ut patet ex eo, qui corpore uitiatus est: licet enim non possit eum Pontifex sanare, poterit tamen illi facere potestaté suscipiendi ordines sacros, & fungendi munere Episcopali, quamuis id magna ex parte non expediat, hincque merito iure Pontificio prohibeatur.

His ita positis, si quæramus quod tertio loco propositum est, an hęc peccata, & impedimenta, de quibus diximus, necessario sint semper detegenda; Respondemus, illud in primis animaduertendum, B hoc negotium, quod in Consistorio geritur, non pertinere ad fraternam admonitionem, quæ secreto facienda est ad correctionem proximi.[a] Non etiam ad iudicialem actionem, quia iuris proprij hic non fit persequutio.[b] Non item ad accusationem, quia hic non intenditur uindicta legis.[c] Sed spectat ad canonicam denunciationé, cum exerceatur ad damnum euitandum, quod ex illius uitiosa promotione sequi posset.[d] Quare cum quæramus, qua ratione debeat se Cardinalis prudenter gereré ut muneri suo satisfaciat; Respondemus, illud primum & uniuerse spectandum, ut nulla praua affectione, aut simultate ductus, sed communis tantum utilitatis stu- C dio, sanctoque zelo permotus in his se habeat ea prudentia, & dexteritate, quæ Cardinalis muneri conueniat.

Qvapropter ut rem, non quidem præcise, sed qua commodiore licet ratione persequamur, dicimus, si ea, quæ obstant promouendo, occulta sint crimina, de quibus supra diximus, quæ scilicet ipsi tátum, & paucis forte alijs domesticis solo exéplo nocere possunt, Reipublicæ auté detrimentum sua natura non afferunt; tunc charitatis ac iustitiæ officium exposcere uidetur, ut nõ eo in loco corá alijs, sed priuatim per secretá admonitionem cum eo agatur.[e] nisi forte usque adeo in ijs esset implicitus atque inueteratus, ut admonitione D etiá sæpius repetita, nulla emendationis spes illius esset expectáda.

Vervmtamen illud est, quòd cum de eo nobis sit sermo, qui iam nominatus fuit in Consistorio, & de quo relatio facta ex more a Cardinali proponente, cumq. post præconizationes, & prænunciationes factas instet tempus prouidendi Ecclesiæ, & deliberationis sumendæ, nec res patiatur longiorem moram, aut locum concedat priuatæ admonitioni; propterea ex sententia Doctorum affirmari posse uidetur, si crimina non modo sint uera, & quæ probari possint, sed etiam ita grauia ut legitime eú ab Episcopalis muneris susce-

a Matt. 18. S. Thom. 2. 2. quæst. 33.
b l. nihil ff. de act. & oblig. §. 1. Inst. de act.
c S Tho. 2. 2. q. 68 artic. 1. Silu. in uerb. accusatio. in princip.
d Abb. in cap. nouit. de iudi. nu. 57. & seq. Sotus de ratione tegédi secr. membr. 2. q. 7.
e S Tho. 2. 2 q 33. art. 6.

A ſuſceptione debeant arcere, tunc ne alias ille, qui indignus, & inhabilis eſt, in Epiſcopum promoueatur cum Eccleſiæ detrimento, debere Cardinalem in Cõſiſtorio ea quamuis alijs occulta denunciare [a], ſi alia via non adſit ad damnum publicum, quód inſtat, uitandum, cum huiuſmodi denunciatio fiat Papæ, qui eo loco non vt iudex, ſed vt Pater, & Paſtor eſt deliberaturus quod melius, & vtilius erit.[b] Quę ratio in aliorum ordinum criminibus idem obſeruandum eſſe, multo magis ſuadere videtur, & præſertim vbi publicum detrimentum inde manare poſſet: quandoquidem eiuſmodi crimina tamquam hoſtes, qui moribus inſidiantur, & diſciplinam labefactare contendunt

B procul arcenda ſunt. Cuius rei exemplum non alienum legimus in Actibus Apoſtolorum, [c] quando filius ſororis Pauli inſidias ſecretas, & coniurationem pluſquàm quadraginta virorum contra Paulum ad Tribunum detulit, qui ſapienter admodum & periculo prouidit, & Paulum ab inſidijs liberauit. Non negamus tamen tam varias, & graues poſſe in huiuſmodi caſibus circumſtantias concurrere, vt vix quidquam abſolute, ac perpetuo diffiniri poſſit. [d] Vnde conſulendum potius cenſemus, vt, quando caſus acciderer, omnia mature, & ſapienter circumſpiciantur, & charitate duce, quę cuncta vtiliter dirigit, & publicæ utilitati, & proximi famæ, quo ad eius fieri poterit, conſulatur.[e]

C Hæc de ijs, quæ ad Epiſcoporum creationem pertinent, quæ pari ratione quid in Cardinalium promotione ſentiendum ſit, ſatis declarare poſſunt, eo adiecto, quod ſupra tetigimus, & veteris ſolet eſſe inſtituti, nosq. ætate noſtra vſu receptum vidimus, ut cum ad ſacrum Conſiſtorium de habenda promotione Cardinalium a ſummo Pontifice refertur, inuitentur etiam Patres omnes, qui adſunt, vt ſi quid illis commonefaciendum occurrerit, liber illis aditus in priuatum eiuſdem cubiculum pateat, antequam præſtituta dies nouos Cardinales creandi, &

D promulgandi aduenlat. Quod quidem cum in poſterùm obſeruandum eſſe ſit ſperandum, facilius hinc difficultatibus & periculis illis occurri poterit, quæ turbas interdum excitare poſſent, ſi coram alijs eadem eſſent proferenda.

a Nauarr. in Manual. c. 18. nu. 30. & nu. 56 & cap. 24. num. 14.

b S. Th. quodlib. 11. art. 13. S. Antonin 2. par tit. 9 c. 6. § 4 Verſ. item quæritur

c Act. 23.

d S. Tho. in 8. quodlib. Gabr. Biel. in canon. Miſſæ lect. 74.

e S. Antonin. vt ſupra.

PARS

Si quis consilium a uiris peritis accepisset, licere sibi certis de causis aliter in Consistorio de re proposita respondere, quàm conscientia dictet, an defendi mereatur.

B

QVÆST. XXVIII.

QVISQVIS cogitatione secum illa repetet, quæ aliàs a nobis de petendi consilij necessitate, atque utilita te tractata fuerunt, uideatq. totam fere hanc dispu tationem nostram in eo potissimum uersari, ut de rebus gerendis recta, ac fidelia consilia capiantur, non poterit non maxime Cardinales illos commē dare, qui in rebus grauibus, & difficilibus antequàm sententiam suā in Consistorio proferant, uiros probitate, & scientia præstantes sibi adiungunt, quorum consilio iudicium suum mature instruāt, & mu niant: siquidē Cardinales ipsi, ob susceptum cū iuramento munus, non possunt non aliquo modo erga id, quod agitur, affecti esse: unde cautius est, quid alij sentiant, explorare, cum dici soleat, homines plus in alieno negotio uidere, quam in suo.[a] C

a Senec. epist. 109.

Cum igitur ab homine nihil amplius ad uitandam culpam exigi posse uideatur, quàm ut ueritatis studio præeunte, omnem, quātum in se est, diligentiam adhibeat, ne labatur: utique in re dubia, & anci piti, qui doctos, probatosq. uiros consulit, satis muneri suo fecisse e- xistimandus est, cum regula sit, magistris artium ac peritis conceden dum esse,[b] præsertim in foro animæ, in quo bona fides, & mentis syncerit as potissimum spectari solet. D

b Valer. Max. lib. 8. cap. 12.

VERVM quoniam uarie consilium hoc, de quo agitur, & requiri, & præberi potest, ideo diligenter considerandum putamus, quid a uiro perito consilij causa petatur, & quid ab eo respondeatur. Nā si id petatur tantum ut consulat, an Senatori, qui sententiā in Senatu dicturus est, liceat propter aliquas, quæ extrinsecus se offerunt, ratio nes, aliter respondere quàm sibi cōscientia in eo, quod agitur, dictet, ueluti quòd uereatur se nihil profecturum, aut inde inuidiam sibi,

aut

A aut odium Cardinalium comparatum iri:siue Principem id ægre laturum,aut aliquid huiuſmodi. Et conſultus ab eo reſpondeat utiq; id ei licere:Nobis quidem uidetur magnopere uerendum eſſe ne illud in eos accommodetur,quod Saluator noſter dixit: *Si cæcus ducatum cæco præſtet,ambo in foueam cadunt.* [a] Nam cum dicat Apoſtolus, *Omne quod non eſt ex fide,peccatum eſt,* [b] ideſt omne,quod contra conſcientiam profertur, [c] quamuis etiam ex ipſa rei ueritate, ac natura ſua rectæ rationi non repugnaret,peccatū eſſe;[d] hinc ſequitur eum, qui aduerſus conſcientiam loquitur, ſemper peccare, nec excuſari aliorum quantumuis peritorum conſilijs,aut argumentis: [e] nam in B his,quæ pertinent ad fidem,& bonos mores,erronea opinio cuiuſvis etiam præceptoris ſui,nihil prodeſt, quamdiu conſtiterit eam erroneam eſſe,& prauam,nec ignorantia ullo pacto excuſat, [f] niſi ſit inuincibilis,ut aiunt: qualem difficillimum eſt credere poſſe illā eſſe, de qua agimus,cum facile omnes intelligant,malum eſſe mētiri, & contra conſcientiam aliter dictantem agere. Vnde,cum in caſu propoſito Cardinalis ſatis ſciat,ſe pro ratione muneris ſui etiam cum iuramento obſtrictum eſſe fideliter reſpōdere quod ſentit; idcirco nullius contrarij conſilij, aut honeſtæ rationis extrinſecus accedentis prætextu defendi poteſt,ut ſibi ipſi,& ſummo Pontifici mentiatur.

a *Matt.* 15.
b *Rom.* 14.
c *Gloſſ. ibid.*
d *S.Tho.* 1. 2. *q.* 19. *art* 5.
e *S Th. quodlib.* 3 *q.* 12 *art.* 26. & 27.
f *S.Th quodlib.* 3. *q.* 4. *artic.* 10.

C Si uero petitur à perito conſilium, an liceat Senatori aliter loqui in Conſiſtorio, quàm prior ei conſcientia dictabat; exempli cauſa, quando is, qui rem in Conſiſtorio tractandam ſecum iam examinauerat, & quid reſponſurus eſſet pro animi ſui conſcientia deliberauerat, nolens tamen plene iudicio ſuo fidere,animi ſui propoſitum cum probatis uiris communicandum putauit,qui illum uarijs argumentis in contrariam partem pertraxerunt:ſi hic quæratur, an tuto ei liceat, priore conſcientia depoſita, hanc nouam induere: Dicimus in primis animaduertendum eſſe, quòd ſicut qui medici officium ſuſcipit, ſi medicinæ diſciplinam ignoret, reum illum cuiuſ-D cumque detrimenti cōſtitui,quod ex illius culpa ſequeretur, nec ob ignorantiam,illum excuſari,qui munus aggredi nō debuit, cui obeundo impar erat: ſic Conſiliarios Principum non propter quamlibet imperitiam a culpa uindicari,cum honoris gradus ab illis ſuſceptus,ut alios ſplendore,& dignitate antecellit,ita ſingularem in ijs tum bonitatem,tum prudentiam,tum ſcientiam,ac rerum cognitionem profiteri uideatur.

QVONIAM tamen ea eſt humanę prudentię infirmitas,& rerum, quæ accidunt,tam multiplex uarietas,atque obſcuritas; tum hominum, cum quibus agendum eſt, fallacia, & ſimulatio, ut facile ſit

ea, quæ falsa sunt, ueritatis specie adumbrari, hominesq. in his di- A
gnoscendis hallucinari: ideo probatum semper fuit a uiris, etiam sanctis, optimum esse aliorum opiniones & iudicia inuestigare, præsertim in rebus grauibus, & difficilibus, quorum rationibus, & suasionibus auditis, si quis sententiam mutet, tantum abest, ut hoc ei ullo iure prohibeatur, ut immo dici soleat, posteriora consilia salubriora esse, & sapientis esse, sententiam in melius emendare: quod libri retractationum sanctorum Patrum docent. Ea siquidem humanæ conditionis est ratio, ut cognitionem suam a sensibus hauriat,[a] & cum noua quotidie phantasmata generentur, uaria etiam in nobis de ijsdem rebus consilia, & deliberationes gignantur, quæ non B
ideo mendacium, aut fallaciam ullam arguunt in ijs, quibus ea contingunt.[b]

a Arist. 1. Metaph. c. 1. & 1. Poster. c. 14.

b Dec. in l. nemo potest mutare de reg. iu. & Cagnol. numer. 4.

Accedit quòd, cum ueræ rerum rationes, & causæ plerumque inuolutæ, & abditæ nobis sint, necesse est, ut meditatione paulatim progrediamur, & quasi ex obscuro loco in lucem emergamus, & quæ antea non animaduerteramus, ipsa peruestigatione, aut inueniamus ipsi, aut ab alijs oblata in notitiam nostram perueniant.

Qvando igitur Senator sententiam in Consistorio dicturus, sibi persuasum habet, negotio, quantum uires suæ patiuntur, expenso, id quod tunc sentit, publicæ utilitati, & Sedis Apostolicæ C
dignitati conuenire, nihil est quòd prioris conscientiæ, quam ut errantem deposuit, scrupulis agitetur, dummodo quod tunc dicturus est bona fide, syncera mente, fideli que consilio pronunciet. Sicut enim uiator, qui uidet se ab itinere certo aberrare, si incidit in homines regionis illius peritos, libenter illos consulit, receditque a uia, quam imprudens ingressus fuerat, & paret, eis, qui uiam rectam demonstrant; essetque sane ineptus, si non pateretur, se ab illis commonefieri, uelletque de industria in errore permanere: eodẽ modo Senator, qui in dando consilio, a rectæ rationis tramite declinat, simulatque alicuius rationibus, & argumentis in uiam cer- D
tam reducitur, non solum potest a priore sententia discedere, sed erit profecto in culpa, si in ea amplius audet persistere: tantumque abest, ut ea de causa scrupulis pungi debeat, ut quemadmodum, qui uenenum mortiferum sumit, quod salutare medicamentum esse putabat, ubi primum rem nouit, non solum uenenum a se reijcit, uerumetiam grauiter peccaret, si potionem ipsam bibere uellet: ita qui consilium aliquod Reipublicæ utile existimabat, si uidet postea perniciosum esse, non solum sine scrupulo potest ipsum reijcere, uerumetiam uiolabit sine dubio officium, & fidem, eritq. supplicio di-

gnissimus

A gnissimus si in eadem sententia perseuerat: immo qui mordicus illam teneret, ut consuleret honori suo, non satis consuleret saluti animæ suæ: quæ, cum supremum bonorum humanorum gradum obtineat, longe honori ipsi, qui bonis externis annumeratur, est anteferenda.[a] Vt enim si quispiam uendens stannum, illud imprudēs tamquam argentum uenderet: statim, si uir bonus esset, emptorem conuenire, illiq. rem patefacere, & pretium restituere deberet: ita Senator, qui consilium temerarium, aut periculosum dedit per imprudentiam, cum optimum, & salutare dare vellet, non solum tenetur illud abijcere, sed etiam detrimentum, quod intulit, resarcire, aut B quod inde sequi potest, si res adhuc est integra, & officio optimi viri fungi vult, quo ad potest, debet emendare.

a S Tho. 2.2. q.73. art.3.

SED nolumus iam de re tā perspicua plura verba facere: si enim quilibet homo priuatus, iure naturæ, cum consilium dat, tenetur illud fidele dare; quanto magis Senator præstare id debebit, ad quem ex officio pertinet sententiam dicere, cuius prudētiæ Princeps Rempublicam committit: cuius denique auctoritate, non vnius tantum, aut alterius hominis salus, sed totius Reipublicę splendor, & dignitas plerumque continetur? Itaque constat iam, Consiliarium, qui penitus re cognita, & perspecta, videt se deceptum fuisse, non solum C posse, sed etiam debere a sententia discedere. Quod quidem multo magis affirmandum esset, quando propter negotij difficultatem, numquam antea Senator in certam, & deliberatam ea de re sententiam descendisset: sed perplexum se sentiens, animi sui consilium suspensum semper retinuisset, & demum re cum alijs sapientibus communicata, præsentem deliberationem tamquam tutiorem, & sanctæ Ecclesię salubriorem suscepisset.

Ex quibus patere potest, ea, quæ initio contra afferebantur, nihil rei nostræ refragari, cum duplex sit consultandi ratio homini tributa: altera intrinsece, qua intimos animi sui sensus expendit, ac ratione D dictante, intelligit fidem fallendam non esse, officium præstandum, neminem lædendum, numquam peierandum, & alia his similia: altera extrinsece, cum ab amicis, a peritis, & a Consiliarijs exquiritur quidnam facto opus sit. In quibus igitur rebus, primum illud consilium pręcedit, cum sit tutum, & indubitatum, tamquam diuina prouidentia omnibus patefactum, regulariter non est opus alterum istud extrinsecus scrutari.

Sed si petatur, & diuersum a priore illo inueniatur, & nihilominus præcedens illud adhuc firmum, & constans in priore proposito rem ita vere, & recte se habere persistat, tunc non est dubium

hoc posterius nihili faciendum esse, & priori illi tamquam veriori, ac fideliori, & cælesti lumine mentibus nostris inserto, postponendum esse. A

QVARE in casu proposito, cum sibi conscientia consulat, quid sit faciendum; ea sic permanente, quodcumque aliud extrinsecum consilium secus nos operari suadeat, tamquam iniustum, & fallax reijciendum erit. Poterit tamen, immo debebit (ut dictum est) Consiliarius mutare sententiam, cum occurrunt rationes, quæ mentem conuincunt, & ostendunt id, quod antea improbabat, aut verius, aut saltem probabilius esse. Itaque quemadmodum qui sedet, quamdiu sedet, non potest deambulare; at vero potest qui antea B sedebat, modo surgere, & deambulare: eodem modo Consiliarius ipse, quamdiu probat sententiam aliquam, non potest contra illam uerba facere: ualet tamen sententiam mutare, & tunc poterit, immo debebit, mutata sententia, aliter ac antea sentiebat, consilium dare.

NON obstat quod dicebatur, Peritis in arte credendum esse: quoniam id intelligi solet, quando ipsi secundum regulas artis loquuntur, quam profitentur: non autem vbi secundum proprium sensum respondent,[a] at nullus peritus legis diuinæ, aut sacrorum Canonum, dicet a Theologis permitti, ut quando alicuius C iudicium requiritur, liceat ei aliter loqui, quàm sentiat: hoc enim mentiri esset, & fallere. Aut etiam admitti ea regula non solet, quando peritiores alij oppositum respondent: nam vbi plures in aliam opinionem concurrunt, illis potius est deferendum, prout in casu nostro est manifestum.[b]

a Abb. Pelm. Dec. c. proposuisti. de probat.

b Socin. regu. 362. in uerb. peritus. Nauarr. in Manual. c. 27. nu. 288. Spec. tit. de probatio. §. fin. col. pen.

PARS

PARS IIII. QVAEST. IIII.

Quando res proposita, Cardinali dubia uidetur, quę partes illius esse debeant.

A CVM dubitationes, quæ in rebus deliberandis versari solent, dupliciter considerari possint; Primo, prout comprehendunt multos simul, inter quos propter iudiciorum varietatem, dissimilitudinemq. opinionum, non facile de eo conuenit quod proponitur. Veluti an aliquid sit faciendum, aut non faciendum: siue an hoc, vel illo modo sit peragendum. Secundo, prout pertinere possunt ad singulos eorum, qui responsuri sunt, quatenus eorum mens in eo, quod quæritur, perplexa, & suspensa deprehenditur: nobis in præsenti de hac secunda parte, quæ varias difficultates continet, plenius disserere propositum est: nam de prima QVAEST. XXIX.
B superuacaneum videtur disputationē vllam attexere, cum iuris communis regula satis sit nota, atque vsu etiam in sacro Consistorio recepta, vt, quod a maiori Collegij parte probatum fuerit, id ratum habeatur,[a] quibusdam exceptis casibus a Doctoribus relatis, qui ad rem nostram non pertinent.[b]

DE secunda igitur parte locuturi, illud primum animaduertendum putamus, quid proprie dubium dicatur. Ad quod generatim loquendo, responderi a quibusdam solet; quidquid certum & exploratum non est, id dubium haberi posse, licet illius aliqui sint gradus, prout inferius dicemus. Qui etiam addunt dubitationis campum
C latissime patere, & in omnes fere materias vi sua protendi, non ratione rerum ipsarum, sed humanæ imbecillitatis infirmitate, quæ eas, vt oporteret, intelligentia consequi non valet. Illud quoque admonentes, tria esse nomina, quæ idem sonare uidentur, & ideo confunduntur a multis, cum tamen diuersa sint, quod est obscurum, difficile, & dubium: quæ si idem essent, cur diuersis nominibus, ut ait Iustinianus, appellarentur?[c] nam & ex contrarijs illorum vocabulis, diuersa ea inter se esse constare dicunt, cum obscuro opponatur clarum, & difficili facile, & dubio certum.

AIVNT igitur obscurum versari in verbis, iuxta illud tritum: *Breuis esse laboro, obscurus fio:* difficile in sensu rei, cū Aristoteles difficilia

a l. quod maior. ad municip. l. aliud. §. refertur. de reg. iur. c. 1 de his, quæ fiunt a maiori par.
b Fel. ca. cum omnes. de constit. nu. 15. usque ad 19.
c l. si idem. C. de codicil.

 ea vo-

a Arist. 2. Metaphy. in prin. b 2. Pet. 3. ea uocet, quæ sunt a sensibus remota: [a] & S. Petrus in Epistolis Pauli quædam esse intellectu difficilia affirmet. [b] At dubium oriri ex ratione rei, quæ cum nobis ignota sit, parit ambiguitatem. Verum nos cum uideamus hanc differentiam ad ea potius pertinere, quæ scripto, & litterarum contextu continentur, & interpretatione indigent, de quibus raro accidit in Consistorio disputari: nostras autem quæstiones ad humanas potius actiones, & negotia gerenda pertinere, de quibus deliberandum est: eandemq. modo traditam differentiam, non ita semper etiam in Legum, aut Constitutionum, siue contractuum interpretationibus obseruari, sed promiscue alterum pro altero sæpe accipi; propterea his omissis ad rem nostram descendentes dicimus, cum Senatus, & Collegia ob id conuocentur, ut ea, quæ propter uarias multorum rationes, quæ in materia probabili facile existunt, dubia uideri poterant, multis in unum collectis, ac rationibus utrimque excussis, & examinatis, id quod utilius futurum sit, deliberetur. Idcirco hoc primum Cardinali ad dicendam sententiam in Consistorium accersito curandum uidetur, ut negotio quantum ei licet bene cognito, certum, deliberatumq. de eo suffragium ferat, nec dubitationes dubitationibus addat, sed conetur potius, re secum diligenter examinata, cum alijs etiam, si opus fuerit, communicata, auditisq. deinde aliorum, qui eum præcedunt, sententijs, non dubitanter, quo ad eius fieri poterit, sed asseueranter quid de re proposita sentiat, pronunciare.

Sed quoniam plerumque uarias ob causas animus in contrarias partes distrahitur, & non potest alteri parti firmiter inhærere, antequàm longius progrediamur, operæpretiũ erit, nunc nonnulla, quæ huic disceptationi congruunt, obseruare.

c S. Th. 1. par. q. 1. artic. 4. & in 1. 2. q. 54. artic. 2. d S. Tho. 2. 2. quæst. 1. art. 4. Arist. 1. Post. c. 12. & Ethi. lib. 6. cap. 3. e S. Tho. 1 2. q. 76. art. 2. Primum, sicut in rebus speculatiuis est scientia, [c] quæ indicat, intellectum alicui rei per certas, & probatas causas, firmissime adhærere, [d] cuius contrarium est inscitia, seu prauæ, quam uocant, dispositionis ignorantia, quæ non quidem priuationem omnem cognitionis, sed errorẽ infert; [e] & sicut est medium quoddam inter hæc duo extrema, quod latissime patet, & uarijs nominibus appellatur, prout mens magis in unum extremum, quàm in alterum inclinat, sic in practicis actionibus, de quibus deliberandum est, sunt sententiæ hominum, tamquã extremæ, eædemq. firmæ, & stabiles, ueluti aliquid omnino faciendum, uel nequaquam faciendum esse. Et est quidam status medius, qui item uarius est, & multiplex, & uaria etiam obtinet nomina, prout intellectus practicus uarijs modis refertur ad ipsa extrema.

Aliquando

A Aliquando enim non ueniunt in mentem rationes, sed occurrũt testimonia hominũ: & hæc est fides humana, cuius licet nonnumquam tanta sit uis, ut nulli fere dubitationi locum relinquat; attamen sunt huiusmodi testimonia magna ex parte incerta, & quibus potest subesse falsum, immo ex sui natura sunt uelut rationes probabiles, quibus alij plus, alij minus tribuunt: ex quo illud sequitur, ut alij credant rem esse ueram, alij dubitent, alij omnino dissentiant.

Aliquando mens ipsa acriter tendit in alteram partem, sed quia rationes, quibus commouetur, non sunt ita firmæ, ut omnino conuincatur, timet ne pars contraria sit uera:[a] & hæc est opinio. a S. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1.

B Aliquãdo ipsa mens cõmota, ut fieri solet, aliqua coniectura, uel ratione non admodũ firma, nonnihil in alteram partẽ propendet, & tũc est suspicio, cuius etiam aliqui sunt gradus pro rerũ uarietate.[b] b S. Tho. 1. 2. q. 60. artic. 3.

Aliquando licet rationes, & argumenta ex altera parte extent, occurrit tamẽ ex altera, ratio aliqua leuis, quam dissoluere intellectus nequit, teneturq. mens ipsa uelut laqueis quibusdam irretita: quibus nullo modo se potest explicare. & hic est scrupulus. S. Antonin. 1. par. tit. 3. cap. 10.

Et tandem aliquando rationes æquales utrimque se offerunt, ita ut animus non magis in unam, quàm in alteram inclinet partẽ, & tunc oritur proprie dubitatio, ad cuius tamen substantiam, sicuti C non id semper necessario requiritur, ut æquales omnino tamquam in statera hinc inde urgeant rationes (nam poterit esse maxima, & maior, & minor dubitatio) sic nec cuiuslibet contradicentis sententia rem semper dubiam reddit: nam alia multa expendenda sunt, ut dubia res dicatur: immo ubi communis extat Doctorum opinio, res amplius dubia dici non solet.[c]

Quando igitur ab illa pugnantium inter se rationum æqualitate disceditur, quoniam tunc ad eos gradus modo narratos res redigi uidetur, qui suis inter se uocabulis sunt distincti: ideo nunc dubitationem appellare uisum fuit eam, quæ ad summũ quasi apicem ambi- c Puteus decis. 233. nu. 3. in 3 par.

D guitatis peruenit, cum frequenter contingere soleat, ut Consiliarij adeo hac perplexitatẽ implicati inueniantur, ut quò se uertant non habeant. Quare ut quæstiones in Themate proposito dissoluamus, oportet prius inquirere causas huius ambiguitatis, & si fieri potest, remedia ad illam depellendam adhibere. Deinde si tanta fuerit dubitationis uis, ut nullo modo depelli queat, operæpretium item erit, partes eo tempore ipsius Consiliarij ita dubitantis explicare.

HÆC igitur dubitatio, de qua modo agimus, ex uarijs causis manare potest. Ac primum quidem oritur nonnumquam ex earum rerum ignoratione, de quibus deliberandum est: quod caput cum

late pateat, & quædam sint, quæ omnino scire ad Consiliatij officium pertineat quædam etiam ignorare iusta sit excusatio; & tursus quædam sint, quæ Consiliarius antea secum meditari, quædam demum, quæ cum alijs viris prudentibus, multarumq. rerum vsu peritis communicare debeat, antequàm ipse in Senatu sensum suum pronunciet, & alia huiusmodi multa, quæ ad articulum hunc cognitionis rerum, de quibus tractandum est, spectant, cum ea proprio loco a nobis comprehensa fuerint, hic repetẽda non duximus, sed Lectorem eò reijcimus.[a] A

[a] Quæst. 31. & in conclus. oper.

Potest & hæc dubitatio ex ipsismet rationibus oriri, quæ vtrimque probabiles occurrunt: persæpe enim contingit, vt parem vim habere videantur: distrahiturq. tunc animus Consiliatij in deliberando, utrum hanc, an illam partem amplecti debeat. B

Affert item causam nonnunquam huic dubitationi attentissima, & acerrima cogitatio rerum, de quibus est futura deliberatio. Nam licet utilissimum sit rem attente meditari, tamen hoc ipsum si nimium sit, tantum abest ut prosit, ut sæpe noceat, & dubitationem, quam depellere debebat, augere soleat. Quemadmodum enim cibus moderatus necessarius est ad uitam tuendam, idem vero si multus est, affert graues morbos, & sæpe mortem ipsam; eodem modo commentatio, licet magnum pondus habeat ad dubitationis tenebras depellendas, & ueritatis lumen patefaciendum, tamen eadem sine dubio & tenebras affert, & lumen extinguit, si nimia est, & non statuitur modus ipsi indagationi ueritatis. C

Plervmqve etiam hęc ambiguitas ex uarijs perturbationibus dimanat, quę mentis aciem obtundunt. Cum enim Consiliarius ira, aut cupiditate incitatur, non bene potest, quid magis expediat, perspicere: ex quo illud sequitur, ut dubitet, iamq. hoc, iamq. illud probet: aut, quod deterius est, aliquid animo concipiat quod e re sua sit, atque nonnumquam Reipublicæ commodis anteponendum putet. D

Svnt præterea aliqui tales natura ipsa semper dubij: quin & acuti uiri hoc incommodo sæpe laborant: uident enim undique uarias difficultates, quare in deliberatione conflictantur: in nonnullis etiam sunt quædam animorum imbecillitates, quæ huc, & illuc leui cogitationum uento agitantur: unde hi quasi rerum incerti, ac suspẽsi, semper pendent, ab omnibusque facile in utramuis partem deflectuntur & persuadentur.

Svnt & aliquando hæ dæmonum uexationes, qui hominis spiritum perturbari, atque æstu mentis perpetuo fluctuare cupiunt.

A QVAPROPTER ad has perplexitates eximendas, uaria fuerunt quandoque a sapientibus remedia proposita: [a] sed sicut periti medici solent pro morborum uarietate peculiaria pharmaca adhibere; sic existimaremus nos optimum esse singulas dubitationes accurate introspicere, ut certioribus possint præsidijs curari.

a Nauarr. in Manual. c. 27. num. 185. & seq.

NAM si Consiliarius, eas inde profluere sentiat, quòd scilicet in utramque partem pares se offerant rationes, poterit tunc rationes ipsas inter se conferre, & tamquam in libræ lances impositas, utra lanx alteram deprimat, considerare, & singulas circumstantias accurate secum recensere, atque ex pluribus siue honestis, siue utilibus, B seu fini accommodatis, eam partem deligere, in qua aut maior honestas, siue utilitas, siue rerum conuenientia iudicaretur.

SI autem ex repetita nimis cogitatione hæc dubitatio pendeat, cautio erit, ad euitandam affectatæ sapientiæ suspicionem, ut consideret res, de quibus Princeps ad Senatum defert, tales non esse, in quibus opus sit demonstrationibus mathematicis, [b] sed satis esse, si in huiusmodi genere negotiorum, ea, quæ probabilia sint, adducantur, & quibus meditandis, quantum satis est temporis impertitum sit, ne alioquin quod alijs negotijs spatium debetur, in hoc uno iniuste occupetur.

b Arist. 1. Ethic. c. 3.

C RVRSVS, si ex mentis perturbatione dubitatio oriatur, illud erit maxime necessarium, ut Consiliarius composito, & tranquillo animo ad dicendam sententiam accedat, cum absurdum sit, eum, qui difficultates propositas, ac controuersiarum fluctus sedare debet, eo ipso tempore maxime anxium, ac curarum æstibus laborantem deprehendi.

SIN uero hæc sit potius naturalis animi imbecillitas, & inconstantia, difficile putamus huic ægritudini remedium adhiberi posse, sed cum hoc morbo uix credendum sit, laborare eum, qui in summum magistratum a supremo, ac sapientissimo Principe D est cooptatus, non est cur in conquirendis remedijs multum operæ impendamus, sat erit (si quid aliquando eiusmodi acciderit) ut ille uiros prudentes, maturos, ac fide præstantes sibi adiungat, quorum iudicio, atque consilio animum ex his dubitationum nodis euoluat.

DE his uero, qui dęmonis insidijs agerétur, quid aliud dicemus, quàm ut orationibus ad eum frequenter confugiant, per quem fracta sunt tartara, & qui potestates aereas disiecit?

RESTAT nunc inuestigare, quid, si his ipsis, aut etiam ualidio-

ribus remedijs adhibitis, adhuc Consiliarij animus pendeat, nec rationem vllam, qua sibi in sententia certa proferenda satisfaciat, prorsus inueniat. A

Certe tunc primum inspiciendum censeremus, num re vera dubitet: non enim semper qui non omnino assentitur, vere & proprie dubitat, vt patet ex ijs, quæ a principio diximus. Quare tunc, vt aptius respondeat, videtur suus cuique gradui locus dandus esse: ita vt, qui eum audiunt, & post illum dicturi sunt, videant plane illum aut dubitare, aut opinari, siue etiam scrupulo aliquo tangi, vnde & ipsi sententiam suam certius confirmare queant.

Si autem re vera dubitat, tunc illud tamquam subsidiarium auxilium non abnegamus, quo veteres vsos esse scimus, vt, *sibi non liquere*, Cardinalis respondeat, adiectis tamen nonnullis obseruationibus proprio loco à nobis explicatis.[a] B

a In quæst. 37. & 41.

Sed præterea hoc vnum addimus, vt quando scilicet animum suum perplexum esse, ac secum pugnare intelligit, tunc Cardinalis mentem suam in Patrem luminum reflectens, cogitet quem calculum in re deliberanda esset positurus, si secretum ei esset suffragium ferendum, & tunc idem clara voce pronuuciare, ac profiteri non vereatur, quod clanculum esset probaturus. Illud tamen aduertens, vt dubitationem, qua antea detinebatur, quærat ab animo suo expellere priusquam sententiam ferat, simulque studeat sibi in mentem inducere, aut certe opinari, eam partem, secundum quam suffragium ferre statuit, veram esse, alioquin conscientiæ dubiæ contraueniens, peccato se inuolueret, vt Doctores affirmarunt.[b] C D

b Nauarr. in Manual c.27. nu.281.

PARS

Quando res graues ex improuiso proponuntur, quid Cardinali sit agendum.

CVM ad suscipiendas de negotijs grauibus, ac difficilibus deliberationes, multa opus sit animaduersione, diligentiq. examinatione, tum neteribns rebus repetendis, tum præsentibus inquirendis, tum etiã futuris prospiciendis, & reliquis, ut oportet, circũspiciendis: quæ omnia moram aliquam, & cunctationem exposcunt: unde ab antiquis dictum est, *Consiliari tarde oportere*;[a] propterea duplex a sapientissimis uiris excogitata aliquando fuit ratio, sacro Cardinalium Collegio accommodata, ut qua decet maturitate, cuncta, quæ grauiora essent, decernerentur. QVAEST. XXX.

B

ALTERA erat, ut quod sacrum Concilium Tridentinum de promotionibus Episcoporum sapienter constituit;[b] itemq. de creatione Cardinalium a priscis usque temporibus obseruatum comperimus,[c] relationes scilicet in uno Consistorio fieri, in altero de illis iudicium ferri, idem & in alijs difficilioribus negotijs obseruaretur. Quandoquidem id non solum ijs, qui responsuri sunt, maxime posset conferre ad maturiora consilia proferenda, uerumetiam ex illorum, qui res deliberandas proponunt, commodo futurum esset, ut deferuescente illorũ erga inuenta sua amore, in ijs tuendis non adeo essent defixi, sicut auctores patiuntur a se scripta refrigescere, ut melius ea iudicent: & amplius, ut ex consilijs ab alijs prolatis, diligentiusq. inde a Principe expensis, posset is tamquam ex materia aptiore, maturiusq. præparata, rectiorem, ac salubriorem deliberationem inire: quæ etiam Cardinalis Papiensis sententia fuit, cum scripsit: *Quod in vno Consistorio introducitur, utile est in altero decernendum relinquere. ad grauitatem ordinis hoc pertinet, & ad uerius cognoscendum præstat materiam; die, una, aut altera interposita diligentius perquirendi spatium dabit, ac ueluti in stomacho demissus cibus, sic tempore ipso coquetur consilium.*[d] Quibus ex causis a sapientibus uiris in constituenda Republica cautum fuisse scimus, ne eodem die disputaretur de eo, quod propositum fuisset.[e]

C

D

ALTERA erat, ut non statim a principio Cardinalium sententiæ tamquam firmæ, & certæ exquirerentur, sed primo loco omnium

rationes

a Arist. 6. Ethic. c. 9. Plato in Protagora post princ.

b Sess. 24. de reform. cap. 1. uersic. (omnes uero.)

c In lib. 1. Cærimon. sect. 8. c. 2. & seq.

d Card. Pap. epist. ad F. Gõzag. Car. Mãtuan.

e Tho. Mor. in Repub. Angli. libr. 2. tit. de Magistr.

A clara, certaq. sunt, festinatio improuida,& cæca. [a] Nam si quando res difficilis ad consilium defertur, quæ sæpius disputationibus exagitata, adhuc in aliquorum animis dubitationem, ac perplexitatem relinquit, licet respondere Senatori, *Sibi nondum liquere?* cur quando negotium arduum subito proponitur, quod mentem prorsus imparatam, incertamq. offendit, indecorum esse existimetur fateri, se ampliore ad statuendum spatio indigere? alioquin sicut dici solet, sententiam, non uisis actis, aut tam breui spatio, ut ea integre,& quantum satis est, animaduerti non potuerint, pronunciatam, nullam esse; [b] sic qui negotij totius statum, conditiones, aliasque adiacentes B circumstantias perspectas habere, secumque conferre non potuit, aiunt huius prioris sententiæ Auctores, non uidere se, quomodo integrum, sanumque de ijs iudicium ferre possit.

Præterea, quemadmodum secundum corporis motum id dicitur præcipitari, quod ex superiore loco in imum peruenit, non gradatim descendendo, sed impetu quodam proprij motus, aut alterius rei impellentis præter debitum ordinem; sic metaphorice, præcipitatio dicitur in homine, [c] qui actiones non congruenti ordine exercet: siquidem summum animæ est ipsa ratio, imum autem ipsa operatio, quæ corpore peragitur: gradus autem medij, per quos oportet hoC minem ordinatim descendere, sunt memoria præteritorũ, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris euentibus, ratiocinatio conferens alterũ alteri,& docilitas, qua acquiescit aliquis sententijs Maiorum. Cum igitur hi sint tamquam gradus, per quos trãseundum est ad consilia prudenter capienda, propterea si quis hunc ordinem transiliens, minimeque gradibus his seruatis, ad agendum præpropere feratur, in uitium præcipitationis labitur, quo nihil est magni discriminis consilijs magis inimicum. [d]

Posterior sententia est, quæ durum nimis, absurdumq. censet, uniuersum Senatũ, qui uiris grauibus, ac rerũ usu peritis constare solet, D licet res subita,& improuisa proponatur, sic cõticescere, ut nihil ex eorũ uocibus, quod ad rẽ faciat, possit Princeps elicere, qui ut plurimum rem non omnino nudã, atque rudẽ, sed rationibus aliquibus tectam, atque munitã solet proponere, ex quo dicendi, cãpus potest se Consiliarijs utcũque offerre; ut aliquid apte pro eorũ acumine,& solertia possint pronunciare, ne alioquin, si negotium silentio transigatur, parũ id Principis maiestati,& Senatus ipsius dignitati respondisse uideatur. Et præsertim quoniam in consilijs capiendis uitium contingere potest, non solum ex præpropera festinatione, sed etiam ex nimia cunctatione,& tarditate, ita ut prætereat rei agendę opportunitas,

[a] Liu. lib. 22.

[b] Bart. l. properandũ C. de iud. & interl in fi. Fel c. Ecclesia. de const. nu. 14.

[c] S. Tho. 2. 2. q. 53. art. 3.

[d] Liu. lib. 31.

a Aristot. 6. Ethic c.9.

b Matth. 10.

tunitas, ut in Ethicis dicitur.[a] Quando ergo negotium instat, & tem A
pus urget, non uidetur differendum esse consilium, præsertim cum Saluator noster dicat: *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini.*[b]

Nos inter has sententias, extrema quædam fugienda esse existimaremus: nam sicuti multi inueniri possunt, prout uaria sunt hominum ingenia, ætas, doctrina, consuetudo, rerumque usus, qui subita oratione prudenter de rebus propositis poterunt respondere, & ingenij celeritate, ac diuturno rerum usu, petenti Principi satisfacere: sic multi etiã erunt, qui ad res dubias, ac difficiles, ex improuiso diffiniendas, nõ ęque idonei erunt. Quapropter arbitraremur in primis unicuique cõscientiam suam in omni negotiorũ uarietate, & obscu E
ritate ducem præferendam, & quod sibi satis commode perspectum esse senserit, id syncere secundum Deum pronunciandum. Quod uero nondum sibi cõpertum, aut nõ satis examinatum intellexerit, in eo statum rei, temporisq. cõditionem attente perpendere oportet, &, si negotiũ eiusmodi sit, ut amplius differri non sustineat, sed subitam deliberationem exposcat, tunc sicuti in acutis, & repentinis morbis, ea, quæ statim in prõptu sunt, remedia, quamuis non ita certa, adhiberi solent, sic in re proposita, partes Consiliarij uidentur, quod sibi ratio tunc dictabit, præfatione aliqua præcedente sibi non plene quæ necessaria essent, perspecta esse, syncere proferre: sic enim al C
ter post alterum qui subinde dicturus erit, addendo, differendo, indagando, atque in medium adducendo, facile efficere poterit, ut quod initio obscurum uidebatur, paulatim apertius, planiusq. reddatur.

Quòd si res moram non incommode patiatur, reiq. grauitas maturam deliberationem exigat, minime fugiendum illud prudenti uiro existimaremus, quod ueteribus etiam in usu fuisse scimus, ut, *Sibi non liquere*. Et: *Se maiore ad deliberandum spatio indigere*, responderent. Homines enim quantumuis ingenij acumine ualeant, nõ statim, & in temporis momẽto ea omnia, quæ ad rem pertinent, percipere pos sunt. Cum enim duplex modus intelligendi in creaturis reperiatur: D
Alter Angelorum proprius, qui protinus sine ulla mora, & sine ullo labore res ipsas percipiunt per species adeo ipsorum intellectui initio infusas, ut ex ijs, quę naturaliter primo cognoscunt, subito ea omnia quæ substantialiter, aut accidentaliter (ut aiunt) rem consequuntur, eodem momento comprehendunt:[c] Alter est hominis, qui ut res comprehendat, necesse est ut phantasmata speculetur, & assidua meditatione paulatim ea, quæ in rebus insunt, per species a rebus sensibilibus abstractas inuestiget.[d]

c S. Dion. c.7. de diu. nomin. S. Thom. in 1. par. q.56. art 6. S. Bonau. in 2. sent dist. 3. art. 2. q 1.

d S. Tho. in 1. par q.84 ar.3. & 6. Francisc. Tolet in 3. de anim. q 9. Aristot. 3. de ani. tex. 14. & 31. 1. Metap. c. 1. & 2. Post. t. 27

Et sicut agricola, ut fructus uberiores colligat, iterum atque iterũ

agrum

A agrum aratro subigit, ita oportet homines ipsos, vt apertius rem intelligant, tota mentis acie illam sæpissime, & diligentissime considerare. Itaque proprium hominis est, ex rebus alijs alias colligere, & prius ad has, deinde ad illas mentem appellere.

Et vt omnia breui complectar, quemadmodum viator, qui ad vrbem aliquã se cõfert, si vult ad eam peruenire, necesse est iter facere, tantumq. spatium percurrere, quantũ abest locus ille, ex quo discedit, ab eo, ad quẽ proficiscitur: eodem fere modo vbi res dubitationem habet, necesse est, mentem humanam pedetentim progredi, & primùm aliqua, deinde alia, atque alia cõplecti, iterum atque iterũ B cogitatione percurrere, vt tandem rem, quam nosse desiderat, ipsa ratione perfecte comprehendat. Immo aliquando ea est nostræ mẽtis imbecillitas, vt, licet omnem in eo operam ponat, rem tamen ipsam intelligẽtia complecti nequeat, aut (quod grauius est) putet se intelligere quod re vera nõ intelligit. Sæpe enim nobis illud accidere solet, quod Isaac Patriarcha, quo tempore voluit Esau filium maiorẽ natu benedicere; caligauerant (ut ait diuina Scriptura) senis oculi, & nõ poterat filiũ videre: ex altera parte audiebat vocem Iacob, ex altera parte contrectabat manus pellibus opertas, quas putabat esse Esau, tandemq. manibus deceptus, maluit illis, quàm voci fidem ha- a *Gen.* 27.
C bere, benedixitq. filium minorem, cum putaret se maiori benedictionem impertiri: sic etiam mens nostra sæpe errorum caligine offunditur, existimatq. se perspicere, quæ non perspicit, & cum rationes ex vtraque parte occurrunt, conuincitur plerumque infirmioribus, & imbecillioribus, easq. certissimas, & firmissimas esse censet.

Itaque absurdum est, quempiã suspicari ideo se tardioris ingenij, aut modicæ peritiæ habendũ esse, si cum res magni ponderis de improuiso occurrit, inducias sibi ad respondẽdum dari postulet. Nam cum in rebus grauibus circũstantias omnes accurate expendi oporteat, quæ sæpe cognitu difficiles sunt, prudentiæ potius in eo docu-
D mentum dabit, si nonnisi præmeditate sibi respondendum esse iudicet, cum alioquin ij, qui parum uident, plana omnia plerumque esse putantes, facile atque inconsulto soleant respondere: vnde sicuti incauti viatores dum aquarum voraginem in itinere obiectã nihil verentes, ac recto eam cursu transilire audentes demerguntur, cautiores vero oculis omnia collustrant, circumeunt semitas, & paululum a via deflectunt, aut cunctantur donec securiorem cursum, aut itineris ducem assequantur; sic vbi errandi periculum in dando cõsilio imminere potest, tutius, & sapientius erit, si temporis angustiæ non prohibeant, maturius rem totam examinare.

QVOD

Qvod uero putant aliqui licere hoc casu bona fide sensum suum A
Principis sententiæ subijcere, qui rei statum optime tenet; nos quando negotium nondum Consiliario, a quo consilium petitur, bene cognitum, & perspectum est, potius abstinendum, atque, ut in re dubia, pronunciandum esse suaderemus[a] siquidem ad aliquam uidetur consilij rationem pertinere, rem dubiam, & difficilem esse indicare, atque ostendere. Hinc Calixtvs Papa dicebat: *Nos tempore indigemus, ut aliquid mature agamus, non præcipitemus consilia, & opera nostra, neque eorum ordinem corrumpamus*.[b] Vnde dici solet, gladiatorum esse, non Senatorum, capere in arena consilium.

a Diximus in quæst. 41.

b c. ponderet. 50. dist.

Ex his non modo conciliari possunt diuersæ illæ Doctorum sententiæ, sed etiam rerum argumenta facile dissolui. Et ad prioris quidem sententiæ rationes, quibus suadebatur, Consiliarium in re graui, quamuis ex improuiso proposita, non debere statim ad quidpiam affirmandum, aut negandum prosilire; Respondemus, illud uerum, si negotium dilationem patiatur, secus autem si moram non concedat, & executionis necessitas urgeat: tunc enim sat est Consiliario id syncere promere quod sibi ratio dictabit. Nam illæ rerum circumstantiæ, quas forte perspectas ipse non habet, aliorum dicentium indagatione, & tractatione manifestabuntur. B

Ad aliud Respondetur, non incurrere eum in præcipitationis uitium, qui consideratis negotij circumstantijs, quantum necessitas, & rei absoluendæ mora patitur, id, quod iudicat utile, uel noxium, syncere profert, atque ubi gradus illi medij inter rei considerationem, & operationem, quos modo diximus, possunt breui temporis spatio ab homine ingenij perspicacia, & diuturno rerum usu prædito concipi, & excursione quadam superari: illa enim dicuntur fieri temere, & præcipitanter, quæ ratione non reguntur, sed solo uoluntatis, & affectionis impetu ducuntur.[c] C

c S. Tho. 2.2. q. 53. artic. 3. in resp. ad 2.

Secvndæ sententiæ argumentis eodem fere modo satisfit: Nam ad primum concedimus, absurdum esse uniuersum Consiliariorum Senatum conticescere, quando res subita, & improuisa proponitur, non tantum ut consultanda, sed etiam quæ absque cunctatione, & mora concludi, atque ad effectum perduci postulat. Sicut enim oportet uelociter tunc operari, quæ consultantur,[d] ita in ijs deliberandis hoc temporis articulo, solicitudo, & celeritas ad uirtutis prudentiam spectant.[e] Vnde illud tantopere celebratum, *Festina lente*, quod tempestiuam celeritatem cum prudenti tarditate complectitur, quam Maturitatem ueteres appellarunt.[f] D

d Ethi. lib. 6. cap. 9.

e S Tho. 2. 2. q 47. art. 9.

f Aul Gell. li. 10. c. 11. Macrob. lib. 7. c. 8.

Ad aliud dicimus, quòd cum in inquisitione consilij multa particularia

ticularia

A ticularia sint consideranda, unde illud frequens est: *Oportet consiliari tarde*, ideo præcipitatio magis opponitur rectitudini consilij, quàm nimia tarditas, quæ habet imaginem quandam recti consilij. Non enim, ut in Prouerbio dicitur: *Idem finis est, cursus, & consilij*, cum in cursu uincat celeritas, in consultando tutior sit cunctatio, nisi negotium admodum instet, & tempus urgeat: nam tunc non est consilium in longius protrahendum, sed cito, & opportune proferẽdum, iuxta id, quod recta ratio, perpensis ijs, quas tunc licebit, circumstantijs, dictabit faciendum: Saluator autem noster non prohibet considerare ea, quæ sunt agenda, uel dicenda, quando homo habet oppor- *Matt.* 10. *a* 2. *Par.* 20. *S.Thom.* 2. 2. *q.* 53. *art.* 4. *in resp. ad* 1. *& art.* 3. *in resp. ad* 3. *Et S.August. ser.* 68. *de tempore.*

B tunitatem, sed munit fiducia discipulos, ut, deficiente sibi opportunitate, uel propter imperitiam, uel quia subito præoccupantur, in diuino confidant consilio: quia, *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Deum.*[a]

PARS IIII. QVAEST. VI.

C Si Cardinalis earum rerum, quæ proponuntur, idoneam notitiam, aut experientiam non habeat, quid ei sit agendum.

QVOD modo quærimus, mirum fortasse, aut superuacaneum ijs uideri poterit, qui sciunt in amplissimũ Cardinalium ordinem sapientissimos, præstantissimosq. uiros recipi solere, qui & summo Pontifici consulere, & de rebus, quę ad Senatũ referuntur, iudicium ferre apprime ualeant, ideoq. uix accidere QVAEST. XXXI.

D posse arbitrentur eiusmodi res in consultationem uenire, quarum ipsi congruentem cognitionem & usum non habeant.

VERVM si quis uicissim secum meditetur, quanta sit rerũ obscuritas, & quàm multiplex negotiorum, quæ ad Sedem Apostolicam deferuntur, uarietas, facile animaduertet multa non raro emergere, quæ aliquãdo Principis etiã ipsius, qui ceteros intelligentia antecellere debet, nedum aliorum cognitionẽ effugiant. Nam, cum, ut aliàs disseruimus, non omnia ab omnibus perspici, ac sciri possint, propterea Senatus, Consiliaq. instituta fuere, ut, quæ aliquibus abscon-

dita

dita sunt, aliorum iudicio detegantur, ut enim scribebat Apostolus, *Sicut in uno corpore non omnia membra eundem actum habent*,[a] sic in sãcta Ecclesia distributa sunt munia, quibus quisque fungatur, & gratia sapientiæ, sciẽtiæ, uirtutis, & sermonis, alijs atque alijs uarie communicata, *Numquid enim*, ut idẽ aiebat, *omnes Apostoli? nũquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes linguis loquuntur?* A

a 1. Cor. 12.

QVONIAM igitur quædam sunt, quæ nescire, iusta est excusatio: quædam, quæ ignorare sine uitio non licet:[b] idcirco, ut clarius, quid in re proposita sentiendum sit, explicetur, Dicimus, tripliciter circa cognitionem rerum, quæ proponuntur, aliquem uersari posse. Vno quidem modo speculatiue, ut cognoscat eam secundum suam naturam, & causas. Alio modo practice, prout confert, aut obest ad rem ipsam efficiendam. Tertio modo, ut nullam penitus notitiam rei habet: quod quidem exemplis clarius aperietur. B

b S. Tho. 1.2. q. 76. art. 2. in corp.

EGIT, vt omnes nouimus, GREGORIVS XIII. Pontif. Max. de anni emendatione. Certe in eo negotio tria hominum genera poterant in consilium adhiberi. Alij periti Astrologiæ, qui uidebant tempus anni non respondere æqualiter cursui solis, cum tamen sit illud huius mensura; & hac de causa periculum esse, ne Pascha aliquãdo alieno tempore celebraretur. Alij Consiliarij poterant adesse, qui nullam haberent Astrologię cognitionẽ, intelligerent autẽ ex hominibus peritis hũc in supputatione anni admissum errorem: quo perspecto & cognito, animaduerterent maxime rationibus Ecclesiæ cõducere, ut hic error depelleretur, cum antiqui Patres, præcipue Latini, magnopere elaborauerint, ut Pascha tempore constituto celebraretur, idq. tũ multis Concilijs antiquis, quæ Romę, & in alijs prouincijs fuerunt habita; tum in Concilio Nicæno, sedata iam omni controuersia, a Patribus fuerit definitum.[c] Alij tandem poterant illi cõsultationi interesse non solum imperiti Astrologiæ, uerumetiam parum uersati in rebus Ecclesiæ, qui neque perciperent anni errorẽ, neque intelligerent hãc emendationem utilem Ecclesiæ futuram esse. C D

c Euseb lib. 5. c. 23. Niceph. lib. 4. c. 38 & lib. 8. c. 24. & 25. Baronius Anno Christi 159 to. 2. Annal. & Anno 325 to. 3.

IDEM in alijs exemplis potest declarari, ueluti si de arce aduersus piratas in ora maritima extruenda, aut de classe aduersus Turcas cõparanda, aut de expeditione in Terram sanctã suscipienda, esset agẽdum. Aliqui enim in Senatorio ordine inueniri poterunt, qui rei bellicæ, & nauigationis periti, ea, quæ ad arces erigendas, aut classes instruendas pertinerent, plene compertum habeãt. Erunt alij, qui maris pericula numquam sint experti, nec quæ ad arces, aut classes muniendas sint necessaria omnino norint: an tamen expediat, aut non expediat hoc tempore, hoc statu Ecclesiæ, hoc Principe, tantam rem

aggredi,

A aggredi, facile iudicium ferre possint. Erunt & alij, qui cum in sacra solitudine aut litterarum studijs, seu contemplatione uitam transegerint, ista commoda aut incommoda, quantum oporteret, non satis assequantur.

His ita constitutis, Respondemus, quatenus attinet ad primum illud distinctionis nostræ caput, nõ exigi a Cardinale, ut sciẽtias, aut artes illas calleat, quæ Cardinalis personæ & officio nõ sunt necessariæ: si tamen eas habeat, non respuendas, sed maioris tantum ornamenti loco illi adiunctas censeri debere. Præterea addimus in consilijs maioribus hæc, quæ ad scientias, aut artes huiusmodi pertinent, non solere tractari, sed tantum in priuatis Congregationibus inter B eos, qui se illarum rerum peritos profitẽtur: quorum deliberationes ad Consilium maius postea, si res postulet, deferuntur. Itaque hæc ignorare, nulla est Cardinalis nota, cum ad eius munus proprie non pertineant: &, si hæc aperte se nescire fateatur, non erit hoc humilitati, sed ueritati, & sano iudicio tribuendum.[a]

QVANTVM spectat ad secundum, Dicimus, quamuis ipsius rei, quæ cadit in controuersiam, sint imperiti, posse tamen satis muneri suo facere, si commoda, aut incommoda inde prouentura ualeãt iudicio suo comprehendere: ueluti in superiori exemplo de anni emẽ C datione: nam si inter peritos conuenerit anni dimensionẽ cum solis cursu non congruere; tunc Consilij maioris succedet determinatio, an hęc emẽdatio utilis Ecclesię Dei sit futura, an a Principibus Christianis sit recipienda: an tranquillitatem, aut dissidia potius in Christiano orbe sit excitatura. Cum igitur duobus modis res cognosci possit, altero, ut quis rei scientiam teneat, eiusq. naturam & causas mente comprehendat; altero uero ut hæc omnia ignoret, sciat tamen rem esse utilem, honestam, & omnino necessariam: certe quamuis prior illa cognoscendi ratio desit, hæc tamen posterior existimãda est satis esse ad tuendum Consiliarij munus, & ad explicandam D cum dignitate sententiam. Cum enim in dando consilio in primis perpendatur decus, & utilitas Reipublicæ, immo cum consilium sit, proprie de his, quæ sunt utilia ad finem consequendum;[b] utique cũ hic Consiliarius, rem ipsam, de qua agitur, ad Reipublicæ dignitatem, aut utilitatem pertinere uideat, nihil prohibebit, illius causam certa demonstratione non esse assecutum, quo minus possit personam Consiliarij, quæ sibi est imposita, sustinere: immo prior illa cognitio sine hac posteriore nullius fere est in consultationibus momenti, si illi, qui rei scientiam habent, tam parum experti sint in Republica, ut non percipiãt, num res sit utilis, an inutilis: & sine dubio

a S. Chrysost. homil. 38. ad Popul. Antiochen.

b S. Tho. 2.1. q 14. art 4. in corp. & q. 51. artic. 1. in solut. 3.

hi erunt anteponendi, qui licet rem omni ex parte, mentis acie non A
comprehendant, agnoscunt tamen usu & experientia illius commoda, & detrimenta.

Restat postrema illa diuisionis nostræ particula de eo, qui neque rem ipsam nouit, neque illius incommoda, aut emolumenta satis animo complectitur, & certe uix existimamus accidere posse, ut in Cardinalium ordine aliquis eiusmodi inueniatur, qui saltem ex aliorũ narrationibus non possit in uniuersum congrue aliquid, quod ad rem pertineat, pronunciare. Si tamen quispiam iusto erran di metu nollet in rebus sibi non plene cognitis sententiam suam eç co labendi periculo committere, dubitari non absurde potest, an B
culpa, aut uenia dignus sit habendus. Nam cum quisque ea per-noscere teneatur, quæ ad officij sui munus pertinent,[a] multo magis qui se Consiliarium profitetur, eorum gnarus esse debet, quæ in con sultationem cadere possunt, sicuti medicus in culpa esset, qui morbos cognoscendi, & curandi peritia careret.

a S. Tho. 1.2. q. 76. artic. 2.

Attamen si res attentius expendatur, secus fortasse statuendum erit. Ponimus enim negotium, de quo agitur, non uulgare, aut consuetum; sed ex eo rerum genere esse, quæ raro accidunt, & ad eas dijudicandas peculiarem quandam exercitationem exigunt:[b] non enim Consiliarius res omnes, quç in usum uenire possent, necessario C
notas, menteq. cõprehensas habere compellitur, sed satis ei erit per sonam Cardinalis pro ratione muneris sui sustinere: sic uidemus uiros graues, & prudentes, si de re bellica agatur ad iudiciũ Imperatorum, aut Præfectorũ militiæ; de epidimia aut phlebotomia ad medicos: de dogmatibus ad Theologos: de litibus ad Iurisconsultos se conferre. Et Q. Mutius Scæuola[c] Iurisconsultissimus, & qui Vrbis oraculum habebatur, quoties de iure prædiatorio consulebatur, ad Furium, & Casellium huius artis peritos cõsultores reijciebat: quod non solum eius auctoritatẽ non minuebat, uerumetiam uiri pruden tiam maxime cõmendabat, cum quisque artẽ, quam profitetur, cete D
ris melius nosse censeatur, & dici soleat, peritis in arte credẽdũ esse.[d]

b S. Antonin. par. 2. tit. 5. cap. 9.

c Cicero pro Balb.

d Val. Max. lib. 8. cap. 12.

Itaque si Cardinalis eius rei sententiam rogatus, quam propter ætatem, aut uitæ institutum, aut loci conditionem, aut studiorum disciplinam, aliamve similem causam notã minime habeat,[e] ideoq. ad peritorũ iudicia se referat, tantũ abesse existimaremus, ut is culpç damnandus sit, ut eum potius laudãdum arbitremur, qui uires suas metiatur, nec scientiam, quam nõ tenet, uelit alijs uenditare: immo prudentis Consiliarij officium præstet, qui Principem dirigat, ac uiã illi ostendat, quo de re proposita, recte, utiliterq; possit deliberare.

e S. Antonin. par. 1. titu. 6. c. 1. §. 1.

Nec

A Nec obstat id, quod adducebatur, teneri Consiliarium nosse omnia, quæ in consultationem cadere possunt: Nam respondemus, uerum id esse quantum ad ea, quæ frequenter, & communiter ad consultationem referri solent, non autem quo ad ea, quæ perraro contingere, & in disceptationem uenire consueuerunt.

Illvd autem antequam quæstionem absoluamus, obseruandum est, aliquando euenire posse, quòd etiam qui rem non ita intelligunt, ut consilium aperte dare ualeant, nonnulla commoda, aut detrimenta percipiunt, quæ rem ipsam, de qua agitur, consequuntur: fieri enim potest (si in ijsdem exemplis, quæ supra proposita sunt, B uersemur) ut quispiam ignoret, num Ecclesiæ conducat inferre bellum Turcis, & tamen sciat milites omnes fortissimos, qui in exercitu Turcarum Principis pugnare solebant, fuisse interfectos: aut ducem aliquẽ rei militaris peritissimũ a Turcis defecisse, aut deficere uelle. Fieri item potest, ut aliquis ignoret, num oporteat classem instrui, & tamen sciat magnam uim armorum, & pulueris sulphurei, aut tormentorum bellicorum facili negotio apparari posse. Cum igitur Consiliarius non habet tantam rei cognitionem, quantam postulat negotium illud, de quo est controuersia, & ideo animi pendet, & nescit quò se uertat: necesse est, ut, si nequit omni ex parte, nempe C consilio suo Rempublicam iuuare, saltem eo modo, quo potest, illi auxilium ferre conetur, illudq. in medium proponat, quod ualeat alijs Consiliarijs fortasse lucem afferre. Quemadmodum enim qui Quadragesimæ tempore adeo est imbecillis, ut ieiunium seruare ne queat, saltem, si potest, debet carnibus abstinere: & quemadmodum qui habitat in aliqua regione, in qua nullus est sacerdos, non tenetur diebus festis sacro interesse, cum nullus sit, qui illud faciat: at uero tenetur ab opere seruili cessare, & ex ea parte diem festum colere, qua illum colere potest: eodem modo Consiliarius, si non ita rem nouit, ut de illa iudicium facere queat, saltem non dubium est D ea parte, & eo modo, quo potest, negotio ipsi, de quo agitur, prospicere debere: & si ipse non audet sententiam dicere, saltem alijs Consiliarijs opem præstare. Itaque licet aliquando propter inscitiam, aut propter alias causas non teneatur consilium dare, tenebitur tamen ratione sui muneris Principi, & Reipublicæ consulere, &, si non potest omnino, saltem quantum potest officio suo satisfacere, & partes Consiliarij sustinere.

Quando aliàs eadem causa fuisset in Consistorio proposita: an dicenti sufficeret suffragium suum reijcere ad id, quod prius ipsemet dixisset, aut ab alio Cardinali dictum probaret.

QVAEST. XXXII. VT aptius propositæ quæstioni respondeatur, causa in primis consideranda uidetur, cur iterum res eadem ad consilium deferatur: quod uarijs ex rationibus potest contingere, siue propter rei difficultatem, siue ob Principis solicitudinem, seu ob Senatorum concertationem, aut etiam ex alijs, quæ extrinsecus possint emergere, occasionibus. A

PRIMVM igitur rei ipsius grauitas suo quodam modo iure exposcere uidetur, ut de ea sæpius tractetur: non enim in rebus arduis, & difficilibus probanda est subita deliberatio.[a] Quid enim si agatur de Concilio generali conuocando? quid si de Christianorum Principum fœdere contra Turcas ineundo? quid si de Rege aliquo, aut magno Principe loco suo amouendo, atque a fidelium communione eijciendo? quid si de statu Christianæ Reipublicæ constituendo, de moribus conformandis, de hostibus Christiani nominis profligandis, atque exterminandis? an satis erit hæc unius horæ spatio decernere? Iurisconsulti quantumuis scientia, & prudentia excellant, cũ ciuibus priuatis consiliũ dant, sumunt tempus ad cogitandum, ponuntq. nõnumquam multos dies in causis perspiciendis, ne quid temere, ne quid fortasse, quod consulentibus noceat, respondeant: multo magis sane Principum sapientiæ congruit in rebus maximis, ex quibus pendet Reipublicæ dignitas, & ciuium utilitas, eadem negotia sæpe ad Senatum suum deferre. B C

[a] S. Tho. 1.2. q. 47 Artic. 9.

CERTE, ut ad hunc primum casum respondeamus, cum rebus arduis latebrę multæ, atque pericula soleant subesse, & ideo in Senatu iterũm, atque iterum proponantur: propterea partes Consiliarij uidentur esse, eas ita in omnem partem uersate, ut cum denuo in cõ-

sultatio-

A sultationem ueniunt, nouam quoque in ijs excutiendis industriam eum adiunxisse perspicue omnes intelligant. Quare nō satis hoc casu uidebitur, Senatorem se ad aliàs dicta referre, cum rei magnitudo iterum propositæ iteratam postulet animaduersionem, quæ licet forte priuatim fuerit adhibita, nisi tamen eadem publice uniuerso Ordini pateat, uix satis muneri suo Senator fecisse uidebitur, & præsertim quòd interiectum temporis spatiū, sententiæ aliàs à se dictæ obliuionem potuit alijs inferre. Vnde tutius uidetur, breuibus saltem priora, si adhuc probentur, repetere, & ualidioribus, si suppetant, argumentis munire, nisi aliud temporis ratio postulauerit: quod dicen-
B tis prudentiæ statuendum relinquitur.

Secvndo fieri potest, ut Principi non placeat Senatorum sententia, nec eorum rationibus conuincatur: unde uult, ut de re iterum inter eos disseratur, & eam diligentius considerent, & aut sententiam mutent, aut, si placet, non solum eandem confirment, uerumetiam, si quæ obstant argumenta, refellant: quod certe ratione non caret. Nam cum Principis sit præcipere, qui actus proprius est, & præcipuus prudentiæ, [a] non satis est consultare, sed necesse est, ut iudicet ipse, consilium illud esse salutare. Quare licet Consilia- *a S. Tho. 2.2. q. 47. art. 8.*
C rij omnes consentiant, si tamen rationes illorum non usque adeo firmæ illi uidentur, mirum non est, si assensum tunc cohibeat, nolitque illorum consilia sua auctoritate repente confirmare: itaque quamdiu illis non commouetur, merito cunctatur, vultque ut iterum, atque iterum inter eos de re accuratiùs agatur. Quapropter si Consiliarius tantum dicat se idem sentire quod antea senserat, uerendum est ne parum officio suo erga Principem seruiat: siquidem dubitatio, ac solicitudo Principis urgere maxime illum debet, ut rem ipsam attentius consideret, & quidquid nocere, aut prodesse potest, animo percurrat, & denique ut reconditas aliquas
D rationes excogitet, aut saltem eas, quas antea protulerat, ita explicet, ut omnem, si fieri potest, Principis ambiguitatem ex illius animo depellat.

Tertio, aliquando etiam re a Principe initio proposita, Consiliarij ipsi in tam uarias discesserunt sententias, ut quid maxime expediat, ac Reipublicæ conducat, constare satis non possit.

Hic ergo, cū controuersæ fuerint Senatorū sententiæ, certū est, si idcirco negotium iterū proponatur, ut dubitationes tollantur, difficultates sedentur, & disceptationes componantur, maiora Cōsiliarium ingenij, & prudētiæ documenta daturum, qui non solum sua, si ei videbitur, confirmet, sed opposita etiam argumenta cōuellat, ac,

 tamquam

tamquam nauigium inter medios scopulos tuto itinere in portum A ueritatis perducere conetur.

ILLVD autem magnopere cauendum est, ne Consiliarij sententiam, quam a principio defendunt, mordicus tenere uelint. In negotijs enim magni momenti, cum Consiliarij distrahuntur in contrarias sententias, solent aliquando, qui earum sunt auctores, & principes, maiore conatu eas defendere, quàm postulat illorum officiũ, & expedit Reipublicæ saluti, & dignitati. Immo (quod sane dolendum est) quo magis aliqui auctoritate, & ingenio ualent, eo difficilius ad credendum alijs adducuntur: existimant enim se, qui præter ceteros acumine, & rerũ maximarũ cognitione præstant, non debe- B re alijs, qui fortasse, aut nuper fuerunt in Senatum cooptati, aut adolescentiores sunt, aut nobilitate, aut eloquẽtia, aut doctrina sunt inferiores, facili negotio dare manus, sibiq. indecorum esse sine grauissima causa, a sententia priore discedere. Ex quo illud sequitur, ut qui lucem Principi afferre debebant, tenebras plerumque offundãt: & quos oportebat Reipublicæ cõmodis in primis prospicere, hi præter ceteros Rempublicã in discrimen adducãt, & sint ueluti milites illi, qui cũ se subsidio uenire ciuitati glorientur, ipsos ciues spoliant, maioraq. illis nonnumquam important detrimenta, quàm hostes.

Nullus autem miretur, nos de hac re tot uerba proferre: cum C enim certum sit, eos ut plurimum deligi solere Consiliarios, qui mentis acie, & rerum usu in primis excellunt, persæpe usu uenire solet, ut in his præcipuis animi ornamentis pertinacia innascatur: homines enim summo ingenio, & eloquentia, magna ex parte præstare omnibus concupiscunt, tamq. turpe putant, se in Senatu disceptatione ab alijs Consiliarijs uinci, quàm duces in prælio armis ab hostibus superari. [a] Patet id exemplo Achitophel, [b] qui cum Consiliarius esset Absalonis, plurimumque apud ipsum, ipsiusque Consiliarios auctoritate ualeret, adeo ægre tulit consilio suo reliquos Senatores non assensisse, sibiq. alium prælatum fuisse, ut statim relicto D Absalone, se in patriam contulerit, sibiq. ipsi turpiter mortem consciuerit. Patet item exemplo illius ducis Lacedæmoniorum, qui cũ moneretur a multis, ne classe pugnaret cum hostibus, qui uiribus superiores erant, maluit prælium committere sine ulla spe uictoriæ, quàm fugere, & classem seruare; Lacedæmonijs enim facile esse dicebat aliam classem instruere si illam amitterent; sibi autem non esse facile honorem tueri, si fugeret, & sine prælio hostibus cederet.

Itaque uix quispiam uerbis explicare potest, quãtum noceat hæc eorum contentio, qui, ut plus ceteris sapere uideantur, omnia syllogismis

a Arist. 7. Ethic c. 9. S. Th. 2. 2. q 138. ar tic 2. S Antonin. 2 par. tit. 4. cap. 6.

b 2 Reg. 17.

A gismis & rationibus astruunt, aut potius labefactant; quàmque necessarium sit, huic fœdæ animi perturbationi resistere:[a] est enim uelut flamma quædam, quę nisi statim a principio extinguatur, omnes fructus sine dubio consumit, quos ex Senatorum consilijs Princeps, & Respublica colligere solent.[b] Sed de his hactenus, nunc iam ad rem redeamus.

QVARTO, rursus accidere potest, ut licet res, quæ denuo consultanda proponitur, sit eadem, aliquid tamen de nouo occurrat, & ideo Princeps dubitet, Senatumque iterum conuenire iubeat. Vt, si Princeps egit de imponendo aliquo uectigali, & Consiliarij obstiterunt, ne populus grauiter ferret: postea autem Turcæ, aut Hæretici B bellum inferunt, & excursiones faciunt, non habet Princeps exercitum, quo suos fines tueri possit, non habet pecuniam, quæ neruus belli existimatur, non habet commeatus, nescit quo se uertat, agit iterum de imponendo eodem uectigali, Senatumq. de ea re consulit. Certe licet hæc quæstio de vectigali iam sit in Senatu agitata, tamen modo si diligenter perpendatur, non est eadem, quæ tunc erat: quare oportebit Consiliarium rem ipsam non tamquam iam in Senatu propositam, sed tamquam nouam magnopere considerare. Nam negotia Reipublicæ aliqua re addita, aut sublata, ita mutantur, ut eadem iam non sint: sunt enim uelut numeri, in quibus si C quidquam etiam minimum, nimirum si unitatem addas, aut detrahas, iam non est idem numerus;[c] & quemadmodum in musicorum cantibus, si uox paululum intendatur, aut remittatur, iam non est idem concentus; eodem modo in negotijs Reipublicæ, unica aliquando circumstantia totam rem immutat, efficitque ut quod antea erat utile, modo afferat detrimentum. Igitur hoc casu, cum res eadem omnino non sit, constat nouum quoque consilium, sententiamque requiri.

QVAE cum uniuerse ad Senatores omnes pertinere existimemus, non negamus tamen hoc præcipue illis congruere, qui primo D loco dicunt, ac ætate, auctoritateque alijs præstant: non enim suppetit omnibus interdum tempus ad dicendum, & cum primi magna ex parte ualidiores rationes attingere soleant, uix alijs quidquam, quod præclarum sit, dicendum relinquitur. Vnde satis est, si ipsi, quæ ab alijs dicta sunt, sequantur ea ratione & modo, prout alias a nobis tractatum fuit.[d]

a 1. Cor. 11. vbi Oecumen. & Theophyl. Clemens Alexand. li. 2. Paedagog. cap 7.
b Plutarch in lib. Respub. gerenda praecepta insti.
c Arist. lib. 8. Metaphy tex. 10.
d In quaest. 41. & 42.

An de rebus, quæ ius diuinum respiciunt, Consiliarium loqui, de ijs uero, quæ ad ius positiuum spectant, eundem silere deceat.

QVAEST. XXXIII.

INTER uarias rationes, quæ afferri solent ad excusandos Consiliarios, ut eis liceat nonnumquam a sententia proferenda cessare, ea a nonnullis asseritur, quando scilicet res, de qua agitur, ad ius positiuum pertinere dicitur: cuius auctor cũ sit ipse Princeps, nihil aliud, quàm illius uoluntas, & auctoritas attendenda uidetur. Quod quidem cum non leui ueritatis specie niti uideatur, propterea eo diligentius examinandũ arbitramur, ne quis, re parum considerata, inani hoc commento decipiatur. A

CVM igitur iuris, quo reguntur homines, tres sint species, aliud diuinum, aliud naturale, aliud humanum; [a] certe quod ad ius diuinum, & naturale, præsertim uero ad sacra fidei dogmata pertinet, satis constat ex antiquissimo sacri Consistorij instituto, nullam de hisce rebus inter Patres solere uersari disceptationem. Quòd si quid umquam huiusmodi consultandum accideret, certissimum & illud est, neminem in sacro Collegio umquam defuturum, qui catholicæ ueritatis decreta intrepide tueri, & si opus sit, pro illius tutela se Christo Domino in holocaustum offerre non sit paratissimus. B

[a] S. Tho. 1. 2. quæst. 91.

SVNT tertij generis res, quæ mere iuris positiui habentur: & hæ sunt illæ præcipuæ, de quibus censent aliqui, nihil eas cum Cõsiliarijs habere commune, sed in his silentium potius, quàm certam sententiam ab illis expectandam esse. Quorum sententia tum ex eo uidetur approbari, quia res iuris positiui a Principis pendent arbitrio, & auctoritate, eiusq. uoluntas pro lege, ac iure censeri solet: tũ quia, præstat Rempublicam ab optimo Principe, quàm optimis legibus, ut notum est, administrari. [b] Ideo sicut post conditas leges nullus consultationi locus reliquus est; sic & multo magis ubi de Principis uoluntate constat, nefas uidetur, ab alijs amplius eam in controuersiam uocari. C

[b] Arist. 3. Polit. c. 11. & 12.

AT nos contrarium utique probandum esse affirmamus, non

A solum ex ratione illa generali sæpe a nobis repetita, quòd cum Cardinales sint Consiliarij Papæ, non uidemus, si Papæ uisum fuerit, eos de lege etiam positiua ferenda interrogare, cur nõ debeant id, quod sentiunt, respondere eorum siquidem obligatio, & iuramentum præstitum de fideli consilio dando, nullam habet præfinitionem aut rei, aut loci, aut temporis, quominus quandocumque sententiam ex officio rogantur, non debeant syncere eam proferre.

QVIN addimus magis uideri quodam modo necessarium consilium Senatoris in huiusmodi rebus, quæ iuris positiui dicuntur, quã in alijs, quæ sunt minus dubia, atque incommutabilia, qualia illa B sunt, quę iuri diuino tribuuntur. Nam cum ad legem humanam cõstituendam multa sint necessaria, tum ut ab ęterna lege procedat,[a] tum ut cum iure naturali conueniat,[b] tum etiam ut alias multas cõditiones legi necessarias complectatur.[c] Hinc sequitur quòd cum hoc ius positiuum, de quo agimus, consentaneum præcipue debeat esse rationi, quandoquidem lex est aliquid rationis, & regula, ac mẽsura humanorum actuum;[d] propterea nõ statim, ac Princeps illud proponit, debet Senator manus dare, idq. sequi quod credit Principem uelle, sed eius est diligenter cõsiderare: num iuri diuino, naturali, ac rationi cõgruat, hoc est: num honestatem pręferat: num cõmu-C ne bonum respiciat: num econtrario detrimentum tunc importet, aut postea possit importare. Quid enim si iure positiuo, paruo alicui delicto summum supplicium, aut contra, crimini graui pœna leuissima constituatur? si furtum unius denarij, pœna capitis, & homicidium, aut adulterium exigua pecuniæ summa mulctetur?

Sed dicet quispiam, iuris naturalis esse sontes punire: fateor lege naturali præmia uiris bonis, & supplicia improbis deberi; at uero nũ hoc, aut illud supplicij genus hoc loco, & hoc tempore, huic culpæ præscribi debeat, id omne pertinet ad ius positiuũ.[e] Itaque in rebus eius generis non est sola Principis uoluntas consideranda: est enim D habenda ratio loci, temporis, personarũ, & aliarum huiusmodi rerũ, quarum consideratio propria est Senatorum, eximiamq. prudentiã, magnumq. negotiorum usum, & cognitionem uidetur postulare.

At uero fingamus nũc cogitatione, uelle Principẽ facere potestatem aliquibus exportandi frumẽtum extra prouinciam, dummodo ipsi aliqua pecuniæ summa præbeatur. An si hoc negotiũ deferatur ad Consiliarios, statim dabunt manus, & assentientur? nonne prius diligenter perpendent, an Regio illa abundet frumento? an ex finitimis Prouincijs facile aduehi possit? an sit magna spes messis futuræ? an longe absit tempus metendi segetes? Quid autẽ si contra uult

a S. Tho. 1. 2. q. 93. artic. 3.
b S. Tho. 1. 2. q. 95. artic. 2.
c c. erit autẽ lex. 4. distinct.
d S. Thom. 1. 2. q. 90. per tot. q. 91. art. 3. & 95. art. item 3.
d S. Tho. 1. 2. q. 90. art. 1.
e S. Tho. 1. 2. q. 95. artic. 2.

ferre legem de non exportandis rebus esculentis extra prouinciam; A quantumuis magna sit illarum copia;nonne oportebit Consiliarios magnopere considerare rerum illarum naturam,uim,emolumenta, & detrimenta, quæ possunt ad ciues peruenire? num utilius sit eas conseruari? num expediat, si non sunt necessariæ, eas importare in alias regiones,& colligere pecuniam,qua Respublica locupletetur? Idem dico de tributis, de portorijs, & de uectigalibus, quæ sub iure positiuo magna ex parte continentur. Constat enim inter omnes ualde hæc prudentum iudicio esse expendenda, & examinanda; & non solum debere Consiliarios animaduertere: num uelit Princeps illa imponere, uerumetiam:num iuste possit: num sint accommo- B data tempori, & ciuium facultatibus:num seruetur æqualitas:num denique (ut omnia unico uerbo complectar)sint consentanea ratio ni. Ipsa namque ratio est uelut animus,&uita iuris positiui:[a] est uelut sal, quem in omni sacrificio Deus aspergi uoluit:[b] quemadmodum enim sal in sacrificio, ita ratio semper in omni lege debet inesse.Fatemur enim legem iam sancitam,licet non pateat ratio,tamen esse seruandam, dummodo diuinis præceptis,aut naturæ aperte non sit contraria. Nec uero potestatem, quam in condenda, & promulgãda lege habet Princeps,aliqua ex parte minuimus,aut labefactamus:sed hoc tantum affirmamus in lege constituenda Consi C liarios,qui sententiã rogantur,non tam debere ad uoluntatem Principis, quàm ad rationem respicere: immo si uoluntas Principis pugnat cum ratione, nefas esse,quãtumuis ad ius positiuum attineat, Principi consentire. Nã ait sanctus Augustinus:*In temporali lege nihil est iustum, ac legitimum, quod non ex lege æterna descendit:*[c] & ideo ubi a ratione recedit, dicitur lex iniqua, & non habet rationem legis,sed magis uiolentiæ.[d]

a Bald in l. si quis seruo. nu. 7. C. de furt. Iaf. in l. qui quadraginta. nu. 2. ff ad Trebell.

b Leuit. 13.

c S. Aug. li. 1. de liber. arbit. c. 5. & 6.

d S. Tho. 1. 2. q. 96. artic. 4.

QVAPROPTER tantum abest, ut Consiliarij se possint excusatione iuris positiui defendere, ut in primis, cum agitur de iure positiuo, officium illorum exigatur;tunc enim res proprie pendere uide D tur ex auctoritate Principis, proprieq; cadit in consultationem, cũ utraque pars in Principis est potestate, qui in hac,uel illa eligenda, & executioni mandanda grauiter decipi potest: immo si rem acutius introspiciamus,dignitas,& splendor Reipublicæ magna ex parte iure positiuo nititur. Cum enim ius naturale apud omnes Respublicas, & apud omnes homines, qui utuntur ratione, idem sit,[e] ratio præcipua,cur hęc Respublica melius,quàm illa administretur, pendet ex legibus positiuis. Quare in ijs potissimum,quæ huius iuris humani sunt, debent Senatores elaborare: & cum aliqua res huius-

e Orig. in epist ad Rom lib 2. c. 2 in illa uerba (quicunque sine lege peccauerũt) S. Chrysost. in hom. in Psal. 107. & S. Tho. 1. 2 q. 94.

A huiuſmodi grauis occurrit, illam attẽte perſpicere, vtriuſque partis rationes diligenter perpendere, omnia emolumenta, & detrimenta cogitatione percurrere, tum propter cauſas, quæ hactenus explicatæ ſunt, tum etiam, quia certum eſt, omnes contentiones, quæ inter Principem, & populũ eſſe ſolent, aut ſemper, aut plerumque ex hoc iure profluere. Nam, ut omittamus Tyrannũ, qui naturæ leges contemnit, certe Princeps bonus, qui illas, vt par eſt, ſeruare, neminiq. iniuriam inferre vult, nihil habet pręter hoc ipſum, de quo loquimur, ius poſitiuum humanum, quo ciues, qui in ſua ditione ſunt, offendere poſſit. Quare vt pax perpetua conſeruetur, illud maxime B neceſſarium eſt, vt ſumma ſemper ratio huius iuris habeatur, ſemperque pars illa præferatur, quæ iuri naturali ac diuino magis conſentanea videtur.

Hæc autem, quam modo firmauimus, concluſio, non ſolum locum ſibi vendicat in ijs, quæ ad ius humanum ſimpliciter pertinent, verum etiam comprehendit alia, quæ cum iure diuino aliquo pacto ſunt coniuncta: exempli cauſa, agitur de canonizatione Sanctorum: in quo negotio, cum per humana media ueluti teſtes, inſtrumenta, aliaſq. probationes progredi oporteat,[a] in quibus iudiciorum varietates deprehenduntur; propterea neceſſe eſt ſingulo C rum ſentẽtias exquirere, quas, dubitandum nihil eſt, ſyncere, & fideliter ab omnibus pronunciari debere. Sed agitur præterea ſæpe de infidelibus ad Eccleſiam cõuertendis, de prædicatione fidei in noui Orbis regionibus diſſeminanda: de ſacris alicui prouinciæ interdicendis: de nouis diebus feſtis decernendis: de diſciplina Eccleſiaſtica, morumq. reformatione in varijs locis inſtituenda, atque de alijs huiuſmodi cauſis, in quibus tum iuris diuini mandata verſantur, tũ iuris etiam humani determinationem propter illa in morem inducenda, ac propter multas emergentes circumſtantias requirunt.

a S. Th. quodlib. 9. art. 16. S. Antonin 3. par. tit. 12. ca. 8. §. 2.

Hæc igitur, cum ſummus Pontifex ad ſacrum Cõſilium deferre D ſoleat, & in his non omnes diuerſis adducti rationibus ſemper cõueniant, & quia etiam, vt aiebat Apoſtolus, *Omnia licent, ſed nõ omnia expediunt:*[b] propterea uerendum hic quoque nihil eſt, ne, vnuſquiſque quod ſentit, plane pronunciare teneatur, & non ſolum Religionis incrementum, fidei propagationem ardenti pectore procurare, ſed etiam Eccleſiaſticam libertatem, clericorum immunitatem, ac populorum incolumitatem, quotieſcumque opus ſit, magna animi conſtantia adiuuare.

b 1. Cor. 6.

Non obſtat igitur quod ſupra attigimus, in ijs, quæ iuris poſitiui ſunt, voluntatem Principis tamquam legem habendam: nam

fatemur

fatemur huiusmodi voluntatem obseruandam esse, cum certa, delibarataq. ostenditur, ita ut alteri parti omnino adhęreat, eamq. præcipiat, & contrariam repudiet: propterea cum in casu proposito ea tamquam dubia, ancepsq. proponatur, quippe quę ad Cardinalium consilium delata fuerit (quod solet in rebus dubijs adhiberi) certę existimamus, eos etiam in hac parte libere quod sentiũt debere profiteri, ex uarijs rationibus aliàs in medium adductis. A

Ex quo etiam sequitur responsio ad alia in contrarium adducta. Nam nos non dicimus quamlibet Principis voluntatem habere rationem legis, sed eam, quæ rationi cum sit consentanea, manifestatur, & promulgatur alijs, vt ei obtemperetur. Et ideo nõ negamus, Principis voluntati, si de ea liquido constet, quòd scilicet non modo velit, sed imperet, & præcipiat, esse parendum: sed affirmamus re in Senatu a Principe addubitante, vel interrogante proposita, Consiliarium prætermittere non debere, quin aperte proferat quod publice senserit expedire, cum hac ratione & Principis interrogantis voluntati obtemperare censeatur. B

PARS IIII. QVAEST. IX. C

An hoc dandi consilij officium ad affirmatiua præcepta sit referendum, ita ut non semper, sed opportune sit suppeditandum.

QVAEST. XXXIIII.

ILLa etiam difficultas nullatenus est prętermittenda, qua tueri se multi solẽt, ne sententiã rogatĩ, eã tunc proferant, quod obligationẽ hanc explicandi consilij a præcepto affirmatiuo oriri dicãt, quę nõ semper, sed pro tẽpore tãtum, & loco sit implẽdas. Aiunt enim ex Theologorũ, & iuris Põtificij Doctorũ sententia, duo esse præceptorum genera, alterũ quod affirmatiuum, alterum quod negatiuum vocari solet: [a] atque illud prius, quod verbis affirmantibus concipitur, veluti orare Deum, & honorare parentes, obligare homines perpetuo quidem, sed opportune tantum, & non ad omnia temporis momenta: & quod Theologi aiunt, obligare semper, sed non ad semper: quæ vero a præceptis negan- D

[a] S. Tho. 2.2. q. 33. artic. 2. Syluest. & alij in verb. (præceptũ.) Archi. c. si peccauerit 2. q. 1. Abb. & alij in c. nouit. de iudic.

A negantibus descendunt, ut non furari, non mœchari, hæc quocumque loco, & tempore prohibitionem suam extendere.[a] *a S.Tho. d.q. 33 art. 2.*

NON pauci igitur in ea sunt sententia, præbendi consilij præceptum ex affirmatiuis esse, & ex eorum regulis metiendum. Quare in hunc modum argumentantur, quòd sicuti non tenetur quisque singulis horis orare Deum, seu parentes colere; & quemadmodum Episcopus, cuius munus est prædicare, uisitare, eleemosynas facere, & alia huiusmodi, non tamen perpetuo ea exercere tenetur, sed tantum, cum res, & occasio postulat: quoniam illorum obligatio a præceptis affirmantibus descendit, quorum ea est suauitas, & conditio, B ut satis sit illa implere, quando commode, & opportune licet;[b] sic & de Consiliarijs aiunt, quibus cum officium consulendi uerbis affirmatiuis iniunctum fuerit, non debent censeri hoc iugo perpetuo ad stricti, ut semper respondere, & palam sententiam suam proferre cogantur: sed tunc tantum, cum id tempestiuum esse ex animi sui sententia iudicabunt. Quare quoties illi probabiliter sentient, inanem cõsilij sui operam certis temporibus, aut locis euasuram, absurdum uideri debet in has angustias eos cõpellere, ut sine ulla Reipublicæ utilitate, ac potius cum aliqua eius iactura, atque officij sui dedecore, C temere verba effundant, atque stolidorum agricolarum more, cum tempus non est sementis, triticum dispergant in solo nondum subacto, neque ita emollito, ut iacto semine uberem concipere segetem possit. *b S Tho quodlib. 1 art. 11.*

ADDVNT etiam, quòd sicuti omnis promissio, etiam cum iuramento facta, tacitam habere conditionem intelligitur, nisi iusta aliqua causa obsistens superuenerit,[c] vnde & ieiunandi, ac Missam audiendi obligatio propter succedentia impedimenta remittitur: sic Consiliarios æquum esse solui vinculo suo promissionis, eo saltem tempore, quo sententiam suam libere pronunciando, indignatio- D nem Principis incurrerent, aut damnum aliquod patriæ, consanguineisve suis afferrent, aut aliquod aliud impedimentum sese illis offerret. *c c. quemadmodum. de iureiuran.*

PROPTER has dubitationes sunt qui respondeant, præceptum hoc dandi consilij licet affirmatiuum videatur, tamen in eo latere præceptum negatiuum. Nam quemadmodum in præcepto de restituendo, continetur præceptum de alieno non retinendo, qua de causa ille, qui debitor est, statim sine vlla mora, si potest, restituere tenetur;[d] ita in hoc præcepto de dando consilio fideli, inest præceptum de non mentiendo, & de non simulando, neque enim aliàs consilium fidele dari potest. *d S.Tho. 2.2. q.62. artic. 8. Nauar in Manual cap. 17. num. 54.*

VERVM hæc responsio, non omnino quæstioni nostræ satisfacit: A Nam duobus modis potest Consiliarius deesse muneri suo in suffragio ferendo: primus est cum rogatus sententiam, abstinet se ab ea explicanda & tacet. Secundus est, cum respondet, at non syncere, & fideliter, sed potius simulat, & mentitur. Præceptum igitur dandi consilij prout affirmatiuum est, quamuis implicet secundum hunc casum tacite, vt non liceat Consiliario vlla in re mentiri, quemadmodum & præceptum restituendi illud continet, vt non liceat rem alienam vllatenus retinere, non tamen implicat primum casum, vt non possit aliquando pro tempore & loco a respondendo se abstinere, secundum naturam præcepti affirmatiui.

QVARE alia ratione in hac materia incedēdum videtur: sed antequam ad ipsam quæstionem propius accedamus, illud admonemus, eas a nobis causas omnes, siue excusationes excludi, quas uarijs in locis in hoc tractatu fuimus persecuti. Nam cum videremus posse multos uarijs prætextibus se a dicenda libere in Consistorio sententia subducere, nunc ob summam Papæ auctoritatem, siue ad fugiendam eius indignationem: nunc obedientię specie: nunc quia se nihil profecturos putent: quandoque quia se creaturas, vt uocāt, Papæ, aut eius officiales esse agnoscāt: interdum quia sibi id alio loco, C aut tempore melius successurum sperent, siue alijs huiusmodi coloribus; dedimus operam, quantum in nobis fuit, ut clare omnibus pateret, cuncta hæc inania esse commenta; ideoq. in præsenti non amplius repetenda duximus, sed illis positis, tamquam minime Consiliario patrocinantibus, nunc quærimus, an hæc excusatio, quæ hac tantum generali ratione præcepti affirmatiui nititur, cuius natura & vis est, facultatem largiri, ut certis temporibus iniuncta cesset obligatio, in Consistorio quoque locum habeat, ut scilicet quando Consiliarius sententiam rogatur, possit se ab ea pronuncianda abstinere: quod ita tunc ipse expedire iudicet. D

HVIC autem dubitationi, vt congruentius respondeamus, quærenda in primis uidetur esse ratio differentiæ inter affirmatiua, & negatiua præcepta: quam a sacris Doctoribus egregie explicatam accepimus,[a] qui tradiderunt, præceptis negatiuis, prohiberi actus peccatorum, qui cum suapte natura sint mali, & nullo modo, nec aliquo tempore, aut loco benefieri possint, quia finem prauum respiciunt, ideo talia præcepta negatiuā aiunt obligare semper, & ad semper: at ex præceptis affirmatiuis homines induci ad actus uirtutum, qui existere non quolibet modo possunt, sed adhibitis tantum ijs circumstantijs, quæ necessarię sunt ad bonum virtutis cōstituendū, nempe

[a] S.Tho. 2.2. q.33.art.2. in resp. S. Antonin. in 2. par. tit.9.cap.6.

A vt id fiat, ubi debet, & quando debet, & secundum quòd debet: sic enim a sapientibus traditum est, [a] bonum existere ex integra causa, hoc est ex multarum rerum recte inter se conspirantium concursu.

[a] S. Dion. Areopag. c. 4. de diuin. nom.

Cum itaque hæc affirmatiua præcepta multiplices circūstantias, & præsertim temporis, quo illa obeunda sunt, requirāt, ideo ut ultra tempus necessitatis, de quo constat inter omnes, certior aliqua regula, quātum fieri potest, in ijs exercendis statueretur, ob eam causam hæc ipsa præcepta affirmatiua, quòd ad temporis rationem pertinet, in tria quodam modo genera sunt distributa.

Primum est, cum ea absolute considerantur. Nam quamuis nul
B la humana sit actio, quam, si exercenda est, non in aliquo tempore exerceri oporteat, & ideo tempus semper annexum tamquam propriam mensuram habere dicatur, illud uidelicet, quòd rei gerendæ protractio postulat, cum nihil extrinsecus ab homine sine tempore fieri possit: quoniam tamen in hoc ipso rerum genere, quod tempore aliquo faciendum esse dicimus, sunt præterea, ut id bene fiat, maxime obseruandæ circumstantiæ rei, loci, personarum, & alia huiusmodi, quæ uariari sæpe solent: ideo uirtutum actiones, cuiusmodi sunt, orare, prædicare, uisitare, & id genus aliæ, nobis iniunctæ ad præcepta affirmatiua pertinere a Doctoribus dicuntur, quia non est
C illis extrinsecus semper certum, & immutabile tempus præscriptū, quo sint obeunda, sed pendent a rei natura, ab agentis circumspectione, & denique ab alijs permultis circumstantijs.

Secundum genus est eorum, quæ habent tempus certum, quod præscribitur aliqua lege, ueluti præceptum de percipienda Eucharistia, habet præscriptum ex lege Ecclesiæ tempus Paschatis, [b] & præceptum confitendi peccata habet certum tempus, saltem semel in anno; [c] & præceptum de audiendo Missæ sacro, habet item tempus certum, uidelicet, in diebus festis. [d] Itaque cum tempus sit certum, tunc sine dubio id, quod præcepto continetur, eo tempore efficien-
D dum est, nam dies ipse interpellat.

[b] c. omnis vtriusque. de pænit. & remiss.
[c] d. c. omnis.
[d] c. Missas, et c. omnes fideles. de consecr. distin. 1.

Tertium est genus eorum, quæ directe nullum habent tempus præfinitum, ut scilicet potius hac hora, hoc die, quàm alio debeant exerceri, pendent tamen a certo aliquo actu, qui extrinsecus determinatus est, & ideo tempus certum obliquo modo habere dicuntur, quemadmodùm milites pugnare, cum classicū sonat, & Canonicos ad chorum, aut in Capitulum conuenire, cum tintinnabulo inuitantur, & alia huiusmodi: & ad hoc genus uidetur præceptum dandi consilij ex officio, de quo agimus, referri posse, nō quidem, ut est præceptum charitatis, quod non nisi opportune exercendum esse aliàs

diximus,

diximus, sed prout præceptum iustitiæ consideratur, quod suapte na A
tura non habet in iure præscriptum tempus, quo sit præbendum, pendet tamen ab actu certo, & determinato, videlicet vt tunc ministretur, quando summus Pontifex consilium quæret.[a]

Vnde licet affirmatiuum hoc quoque sit præceptum, adiunctum tamen habet certum actum exteriorem, vnde temporis momentum elicitur, quo illud sit agendum. Quemadmodum enim communi Theologorum sentētia receptum est, pręcepti affirmatiui obligationem tēpore necessitatis maxime declarari, veluti cōfiteri peccata in periculo mortis: facere eleemosynam, cum proximus fame vrgetur: orare, quando quis in summis angustijs positus est: condonatas in- B iurias etiam exterioribus amoris signis declarare, quando inimicus veniā ex animo petit; sic, quando Princeps cōsilium requirit, declarat ipsa petitio, tum Principem, qui solus potuisset de re statuere, indiguisse cōsilio, tum rem ipsam ad Reipublicæ vtilitatem pertinere, quoniam alioquin ad consultationem non fuisset delata: & ideo maxime debet Consiliarius animi sui sensum ingenue ei aperire tum, cum ridiculum sit, indagare an locus, vel tempus illud congruum existat ad consulendum quando interrogatur. Cum enim ad Papam cōsilio iuuandum Cardinales fuerint instituti, & propter eum, ac Reipublicæ bonum, consilia ministrentur, nulla aptior declara- C tio opportunitatis huius excogitari potest, quàm quæ ab ipsomet Papa fit, cum singulorum uota exquirit, ita ut constanter admodum sibi Consiliarij persuadere debeant, tunc uerum esse tempus, & locū consulendi, quando Papa illud postulat, immo nullum aliud tempus regulariter quàm illud, quo Consistorium habetur, aptius, aut commodius ad id inueniri posse. Quare cum hoc sit præceptum affirmatiuum, tunc maxime implendum est.

HIS igitur non obstant quæ supra obiecta fuerunt. Non primū, quòd scilicet in præceptis affirmatiuis perpetua functio quocūque loco, & tempore non exigatur; Nam respondetur, hoc dandi consilij D officium ex tertio illo genere esse, quod habet actum extrinsecus adiunctum, qui cum interpellat, necessario semper implendū est, alioquin, & milites, cum pręliari oportet, in certamen descēdere, & Monachi Præfectis parere nollēt, & Clerici Episcopis obsisterent, & denique omnis obedientiæ disciplina subuerteretur, si Maiorum præcepta sine iusta, & graui admodum causa a subditis essent in controuersiam adducenda: immo neque Regna, neque Respublicæ, neque priuata domus, manente hac licentia, ulla ratione constare possent. Sic enim Deus mundū, eiusq. partes uoluit administrari, ut alij præsint,

a cap. fundamēta. §. decet. de elect. in 6.

b S Tho. 2. 2. q. 83. articu. 8. Nauar. in Manual. cap. 14. nu. 9. & 25.

A sint,& præcipiant: alij autem imperio,& potestati superiorum subijciantur,& obtemperent illis:& quemadmodum uirtus superioris est bene præcipere, ita uirtus inferioris est, diligenter obtemperare.

Cum ergo, quo tempore Princeps sententiam rogat, eo ipso necessitatem quandam declarare uideatur, in qua ipse,& Respublica uersantur, cum auxilio tunc indigeant; propterea eadem interrogatio obligationem pariter Consiliario imponere censetur, ut impleat tunc præceptum, quo dare consilium omnino tenetur.

Ad secundum, quo dicebatur, posse aliquas iustas,& graues occurrere causas, quæ Cardinalem excusent; Respondetur, nos iam in
B superioribus quæstionibus, illas potissimum reijcere conatos fuisse, quæ ceteris ualidiores uisæ fuerunt. Quòd si illæ non afferunt excusationem, arbitramur neque alias afferre posse, cum minoris sint momenti. Non tamen negamus duas reperiri causas, quibus Consiliarij se defendere possunt: altera est cum absunt ipsi ex legitima causa: altera uero quando interrogatio Principis non ad omnes, sed ad aliquos tantum, ueluti seniores, pertineret, quorum consilio Reipublicæ utilitas satis iuuaretur, ita ut aliorum opera non esset necessaria, iuxta ea, quæ in alia quæstione explicata inueniuntur.[a] Ceterum cum Cardinalis præsens est,& a Principe senten- *a Diximus in*
C tiam rogatur, aut absens, sed nec ægritudine, nec alio necessario im- *quæst. 44.*
pedimento prohibetur, non uidemus quomodo possit saluo munere suo, atque integra conscientia a dando consilio supersedere, cum illud præceptum tunc non implendo,& silendo, rem iniustam faciat, non prohibens, ut debet, damnum, quod Principi,& Reipublicæ infertur. Nam si dicet, non esse id tempus opportunum dandi consilij, certe, præterquàm quod interrogatio Principis, cui parere debet, id exposcit, nullum aliud restat tempus dicendæ sententiæ, cum res nunc sit ex maiore suffragantium parte
D concludenda, atque a Papa, prout concluditur decernenda. Quare in manifesta est culpa, si illius patrocinium hoc tempore imminente destituat.

Quando res est talis, quòd Cardinalis eam non probans, eligit tacere, assurgens cum capitis inclinatione; an muneri suo satisfaciat.

QVAEST. XXXV.

PRÆSENS quæstio posset forte superuacanea ijs A
uideri, qui memores essent, antea iam in alia quæstione a nobis conclusum fuisse, Consiliarium, qui sileat, quando sententiam rogatur, nullatenus excusari, etiam si assurgat, & caput inclinet, ac Principis scientia, & patientia illi accedat.[a] Nam si tũc muneri suo minime satisfacit, quo magis erit id nunc affirmãdum, ubi nulla Principis fit mentio? Verum animaduertendum est, hæc diuersis admodum rationibus consideratis pertractari: tunc enim de ijs excusationibus agebatur, quæ a persona Principis deducebãtur: nunc circa eas difficultates uertitur quæstio, quæ ex rei propositę na- B
tura oriuntur, ideoq. alijs, atque alijs argumentis tota hæc disputatio progreditur, & terminatur.

QVOD igitur ad Thema modo propositum pertinet, dubium facit nota iuris regula, quæ ait: Expressa nocent, non expressa non nocent.[b] Vnde, cum supra firmatum sit, non licere Cardinali aduersus propriam conscientiam, sententiam dicere; uidebitur fortasse hoc eos non complecti, qui uerbis nihil exprimunt, sed tacent, & assurgunt tantum, seu caput demittunt. Nam & dici solet, eum, qui tacet, in rebus, quæ noxiæ esse possunt, non haberi pro consentiente.[c] Quare hi, qui rem propositam uere nõ probant, quòd eam publicæ C
causæ censent perniciosam, cum interrogati silent, existimari forte poterunt potius dissentire, & proinde ab omni culpa abesse. Præterea uidetur nequaquã capitis inclinatione, aut alijs signis eius generis mendacium proferri, sed tantũ ueritatem occultari: quod sępe non solum licet, uerumetiam est maxime necessarium. Verba enim, cum proprie instituta sint ad significandum, certe simul ac Cõsiliarius profert sentẽtiam suam, & loquitur aliter, atque sentit, nulla excusatione se potest defendere, quominus reus sit mendacij: at uero facta, licet aliquando significent, non tamen tam[d] proprie, quàm

a Sup q 16.

b l. expressa. de reg. iu. l nõnumquam. de condit. & demonstrat.

c l. filiusfam. §. inuitum. de procura. Ias. l. qua dotis sol. matr. nu. 104.

d Caiet. 2. 2. q. 111. art. 1.

A quàm uerba, habent enim alios usus: utimur autem his præcipue sine ullo mendacio, & sine ullo peccato plerumque ad occultandam ueritatem. Itaque uidemus, Clericos, & Monachos, cum iter faciunt per regiones, quas incolunt hæretici, sine ullo culpæ scrupulo, si periculum imminet, spoliare se uestibus proprijs, & induere uestimenta laicorum, ne, si Clerici, aut Monachi agnoscantur, in manifestum uitæ discrimen adducantur.[a] Christiani item, qui ad Saracenos mittuntur, ut eorum indagent, atque explorent consilia, & qui forte apud illos degunt, sæpe eorundem amictus assumunt, ne, si Christiani agnoscantur, in uaria incidant pericula: quam tamen ob causam
B nemo illos damnat, aut reprehendit. Præterea, cum uita, & salus uersatur in maximo discrimine, potest sine dubio uir uti ueste mulieris, & mulier ueste uiri.[b] Postremo scimus, homines nonnullos uirtute, & sanctitate præstantes, usos fuisse fictionibus quibusdam[c], quos tamen nullus hanc ob causam audet condemnare, ut constat de Dauid apud Regem Geth, & ex alijs multis, quos longum esset percensere.

Cum igitur hæc omnia ita se habeant, constetq. aperte, homines interdum sine peccato occultare ueritatem, & fingere multa, quę nō uidentur consentanea ueritati; cur non poterunt etiā Consiliarij ce-
C lare id, quod sentiunt, cum aliqua graui causa adducuntur, ut ita iudicent expedire? Cur (inquam) non poterunt assurgere, & caput inclinare, & alia facere huiusmodi, quæ uidentur ostendere consensū, licet re uera non cōsentiant? Clericus non censetur esse in culpa, cū periculum instat, quamuis ipso amictu, & reliquo corporis ornatu fingat se laicum esse: cur igitur peccabit Consiliarius, cum causa aliqua grauis occurrit, si ostendit his signis externis se probare quod non probat?

Verum si quis ad proprium Cardinalis officium, tum ad sacri Consistorij institutum, & simul ad rei propositæ grauitatem respexe
D rit, existimamus eum longe aliter responsurum. Primum uerò id præfamur, interiorem hominis mentem, cum sit occulta, non licere nobis nisi per exteriora signa deprehendere, quæ sunt uerba, aut facta, & ideo signa data uocari solent.[d] Quotiescumque igitur id, quod per uerba, aut alia signa exteriora indicatur, cum mente congruit interiore, ueritatis uirtus effulget:[e] at ubi repugnat, tunc in uitium illud incurritur, quod mendacium, seu simulatio appellatur.[f] Quoniam autem hominum, qui corporis tegumento circumsepti sunt, arcana animi introspici nequeunt, facileque alij in his pernoscendis eludi, aut decipi possent, Deus ipse,

a Gaiet. 2. 2. q. 3. art. 2.
b S. Tho. 2. 2. q. 169. artic. 2. ad 3.
c S. Chrys. in li. 1. de Sacer. prope fin.
d S. Aug. de doctr. Christ. lib. 1. cap. 2. & lib. 2. c. 2. cum seq.
e S. Tho. 2. 2. q. 109. artic. 1. & 2.
f S. Tho. 2. 2. q. 110. artic. 1. & 2.

qui scrutator est cordium, vultq. exteriora nostra, tam uerba, quàm facta congruenter ordinari ad aliquid sicut signum ad signatum, quod perficit homo per virtutem veritatis; voluit simul huiusmodi signa exteriora signatis conferri,[a] & sic ab hominibus repræsentari, prout ex communi hominum, quibus cum agitur, sensu accipi, & intelligi solent,[b] & iuxta hanc interpretationem hęc nobis aut veritatis, aut mendacij loco adscribuntur.[c] A

a Caiet. 2. 2. q. 110. artic. 1. vers. ad huius euidentiam.
b c. qui peierauerit. §. ex his 22. q. 5.
c Nauarr. in Manual. c. 12. num 7. & seq.
d S. Tho. 2. 2. q. 110 artic. 1. in sol. 2. & q. 111. artic. 1. in corp.

Et licet fateamur, uerba pręcipuum locum inter signa obtinere, perspicuum tamen est, etiam res,[d] & facta plerumque vim significandi habere. Quemadmodum enim inter nummos, quibus vti solemus in rerum emptione, & venditione, principem locum tenent nummi aurei, sed non ideo contemnuntur, aut reijciuntur argentei, aut æreì: eodem modo in explicandis interioribus animorum sensibus, certum est pręcipua signa esse verba: sed extant etiam multa alia, quæ vim habent ad eosdem explicandos. B

Illud autem animaduertendum est, signa, quæ rebus, aut factis nituntur, duplicia esse: alia enim ita sunt instituta, & imposita ad significandum, vt fere nullum alium habeant vsum, cuiusmodi sunt vexilla, & alia signa militaria, vt item tubarum, & buccinarum sonitus, quo iubet dux in prælio cani bellicum, aut cani receptui, & hæc sunt simillima verbis, vixq. discrimen, si res diligenter perpendatur, inter hęc, & illa reperitur. Alię vero sunt res, siue facta, quæ non sunt primo instituta ad significandum, sed habent alios vsus præcipuos, & hæc non sunt semper signa: cessat enim in illis nonnumquam ratio significandi, de quibus statim agemus. C

His positis, dicimus clarum esse in capitis demissione, & in alijs nutibus, quando Consiliarius intus dissentit, mendacium esse. Nam cum hęc signa sint simillima verbis, vt supra diximus, sintq. dũtaxat imposita ad significandum, ex communiq. omnium hominũ consensu, & ex quotidiana consuetudine tantum significent assensum; sequitur, vt illi, qui vtũtur his signis, sine dubio assentiri cẽseantur, D nullumq. sit discrimen inter eos, qui verbo, & illos, qui huiusmodi signis hanc, aut illam sententiam amplectunrur. Quare, qui in medium profert hæc signa, quo tempore dissentit, cum ipsa, sua natura significent assensum, nullamq. aliam significationem habere videantur, sine dubio mentitur: vtitur enim signis, quibus simulat se probare quod animo reprobat, & reijcit. Actus enim ille assurgẽdi, & caput detegendi adeo consensum interiorẽ solet demonstrare, vt quando numerantur suffragia Consistorij, illi, qui caput demittũt, recẽseri soleant inter cõsentientes. Quare in casu proposito (vt dictum

A ctum est) si quis capite annuat, & mente discrepet, quia inordinate, vt aiunt Theologi,[a] confert signum ad signatum, ostendens capitis inclinatione se id approbare, quod mente reprobat, aperte mendacium committit.

Dicimus etiam, quatenus ad Cardinalis munus spectat, quod in consulendo positum est, eos, qui ita annuunt, vnico actu duplicem deformitatem includere;[b] Alteram omissionis dum tacent, quando loquendi tempus est, & debitum bonum prætermittũt, [c] iuxta illud: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi:*[d] Alteram commissionis, quatenus per actum exteriorem assurgendi, & caput inclinandi,
B id affirmare censentur, quod verum non est, vnde S. Augustinus ait: *Vterque reus est, & qui veritatẽ occultat, & qui mendaciũ dicit: quia ille prodesse nõ vult, & iste nocere desiderat.*[e] Et S. Chrysostomus: *Non solũ ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatẽ, palã pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille, qui nõ libere veritatem pronunciat, quã libere pronunciare oportet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere conuenit.*[f] Quæ tamen omnia non ad omnem veritatis occultationem æque sicut mendacium extendimus, cum mendacium semper sit malum, & nullo tempore probari possit: Occultatio autem veritatis, licet tunc mala sit, cum quis tenetur uerum fateri, prout in
C casu nostro, nonnumquam tamen promiscua, atque indifferens esse potest, aut etiam bona.

Qvod vero ad Consistorij institutum spectat, notum est temporibus constitutis, Cardinales iussu summi Pontificis eò accersiri, cõsultationis causa, vt de rebus propositis quisque suffragium ferat, eas vel approbando, vel improbando: Generale autẽ id esse scimus[g] in omni Collegio, vel Vniuersitate, vt quicumque eò conuocantur, vt consentiant, vel contradicant, si præsentes sint, & taceant, habeantur pro expresse consentientibus, etiam in rebus male gestis, & ideo inuoluantur peccato, & pęna,[h] eo quòd ex debito officij ita tenen-
D tur, quando sunt accersiti consulere, & votum suum exprimere;[i] vt, si id omiserint, muneri suo minime satisfaciant.[k]

De rei etiam propositæ grauitate dicimus, illã suapte natura exposcere, non vt taceatur, sed vt clara voce, apertoq. ore id, quod publice prodesse potest, enuncietur, validisq. rationibus, & argumentis muniatur. Cum enim res, quæ proponi solent, vtilitatem publicam respiciant, & ideo magni ponderis, ac momenti habeantur, cogit rei ipsius conditio, & publica necessitas Cõsiliarium, ne reus fiat detrimenti, quod ex tam pernicioso silentio Reipublicæ importari potest, vt mentem suam apertissime declaret.

a Caiet. d. artic. 1.
b S. Tho. 1. 2. q. 72. artic. 6.
c S. Tho 2. 2. q. 79. artic. 3.
d Iacob. 4.
e c. quisquis. 11 q 3.
f c. nolite timere. 11. q. 3.
g Fel. c. nonne. de psumptio. num. 18.
h Innocen. & Abb c. 1. num. 13. de his. quæ fiũt a ma par. cap. l qua dotis scl. ma nu 89.
i Abb. c 2. de his, quæ fiunt. num. 9.
K Condis. de Card. q. 5. nu. 15 & seq.

Denique ad ſupradicta omnia, accedit & graue ſcandali peri- A
culum. Nam quoties Cardinales, præſertim antiquiores, & rerum uſu peritiores tacendo, aſſurgendo, & caput demittendo, illud ſe probare oſtenderint, quod ex animo non probant, aut ſimulare aliquid in tam graui re comperti fuerint; periculum eſt, ne alij eorum auctoritate commoti idem ſequantur, aut ſibi etiam eorum exemplo pariter ſimulandi fas eſſe putent: quod quàm cauendum ſit, Eleazari exemplum docet, qui maluit ſupplicium ſubire, quàm breuiſſimam ſimulationem, quam alij perſuadere ei conabantur, admittere, cum diceret: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt, fingere, ne adoleſcentes multi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis uitæ tēpus* B
decipiantur, & per hoc maculā, atque execrationē ſenectuti meæ cōquirā.[a]

a 2. Mach. 6.

Itaque cum hinc duo magna poſſint exurgere detrimenta: Primum ne cauſæ ſacri Collegij ab ijs, qui patroni eſſe debent, facile deſerantur. Secundum, ne recentiores occaſionem hinc accipiant errandi: propterea animaduertendum maxime putamus, quandocumque iſte tacendi, & annuendi mos cum ſimulatione eſſet coniunctus, eum tamquam Senatorio ordine indignum, & cauſis publicis pernicioſum, a ſacro Conſiſtorio procul eſſe repellendum.

Quod uero obijciebatur, ea, quæ non ſunt expreſſa, non nocere,[b] taciturnitatemq. ubi detrimentum ſequi poteſt, non obeſſe; C
Reſpondemus in Senatibus, & Collegijs ad res deliberandas conuocatis ſecus eſſe;[c] & propterea nō ſolum hic taciturnitatē ſubeſſe, ſed alia ſigna extrinſecus accedere, quę inſtar uerborum ſunt, ac mentis ſenſum perſpicue (imperatiue & directiue, ut aiunt) exprimunt.[d]

b d. l. expreſſa.
c Innoc. Abb. c. veſtra de ſocat. in fin. Fel. c. nōne de præſumpt. nu 18.
d Caiet. 2. 2. q. 110. art. 1.

Et ſi adhuc urgeatur, hæc ſigna exteriora eſſe æquiuoca, quæ non neceſſario arguunt, talem eſſe interiorem mentem; Reſpondemus, omnibus exterioribus ſignis quemadmodum & uerbis eum ſenſum attribui, quem ex condicto quodam communiter omnes admiſerunt, ideoque illi ſtandum eſſe.[e]

e l. labeo de ſupell. leg. l. librorum. §. quod tamē Caßius. ff de leg. 3. Ariſt. 1. Perihermen.

Et tandem ſi quis pertinaciter obſiſtat, quidquid homines con- D
ijciant, uel interpretentur, certum tamen eſſe, illum numquam omnino conſenſiſſe, & ueritatem opinioni eſſe præferendam; Reſpondemus, hoc ſimile dicto illi eſſe: *Lingua iuraui, mentem iniuratam gero:*[f] quod nihil aliud eſt, quàm euidenter confiteri, ſe mentitum eſſe, cum mendacium dicatur falſa uocis ſignificatio, quæ nutu etiam oſtenditur.[g] Peccatum igitur in eo conſiſtit, quod cum animo diſſentiat, ille annuendo ſignificare oſtendit ſe non diſſentire, ſed conſentire.

f Cic. 3. off.
g S. Tho. 2. 2. q. 110. art. 1. ad 2.

Ad ſecundum, quo dicebatur, demiſſionem capitis eſſe occul-

tationem

A tationem dumtaxat veritatis, quæ ſæpe eſt licita; Reſpondetur, nos non negare, aliquando licere obtegere veritatem, ſed negamus id licere Conſiliario, cuius conſenſus exteriori taciturnitatis ſigno enunciatur: deinde, etſi liceret, non tamen liceret per capitis deflexionem, & alia ſigna eius generis id facere, quoniam illis non occultatur veritas, ſed profertur ſine dubio mendacium, vt ſupra diximus.

TERTIVM argumentum, quod a Clericis, & Monachis ſumebatur, non obſtat: nam veſtimenta non ſunt primo inſtituta ad ſignificandum, & ad diſtinguendum Clericos a laicis, ſed ad operiendum corpus:[a] quare ueſtimenta laicorum communia ſunt (cum neceſſitas inſtat) Monachis, & Clericis. Ex quo ſequitur, ibi nullum eſſe mendacium, cum re vera amictus, ſiue veſtitus tempore neceſſitatis communis ſit, & non ſignificet proprie eos laicos eſſe. Et ſi ipſi ob veſtium formam putantur laici, non propterea ſunt in culpa, quia hoc non prohibet, quominus poſſint vti iure ſuo. Idem dico de veſtitu muliebri, aut virili: cum enim neceſſitas extrema impendet, non eſt ita proprius ac peculiaris alterutrius illorum, vt nō liceat[b], aut viro vti veſtitu mulieris, aut mulieri veſtitu viri. Rurſus, quod dictum eſt de Chriſtianis, qui degunt apud Turcas, & Afros, fatemur verum eſſe, iureq. illos aſſumere poſſe Turcarum, & Afrorum indumenta, cum ſint propria illarum nationum, non quatenus ſequuntur ſectam Mahometanam, ſed quatenus incolunt illas prouincias, quia tunc nullum eſt mendacium, cum veſtimenta periculi cauſa, in quo verſantur, communia ſint omnibus: at vero cum veſtes propriæ ſunt ipſius ſectæ, quam amplectuntur Saraceni, & illis ſignificant ſe eam ſectam colere, tunc certum eſt Chriſtianum, qui vteretur huiuſmodi veſtibus, grauiter peccare: oſtenderet enim illo ſigno, ſe Saracenum eſſe: quod ſine dubio mendacium eſſet pernicioſum. Quare, vt ſummatim dicamus, certe in omnibus exemplis, de quibus egimus, veſtes illæ non ſunt ſigna falſa. Ipſius autem Dauid factum de induſtria prætereo,[d] conſtat enim ex Doctoribus illam vultus immutationem, de qua ibi eſt mentio, non poſſe appellari ſimulationem, ſed potius myſticam quandam fictionem[e]. Apparet itaque in factis omnibus, quæ propoſita ſunt, non contineri mendacium.

(B and C, D are printed in the left margin at the lines beginning "dum corpus", "ſus, quod dictum", and "ſet pernicioſum" respectively.)

a Clem. Alex. lib. 2. Pedag. c. 10 S. Baſil. c. 22. Reg. fuſius diſput. S. Hierony. in Ezech. c. 44.

b S. Tho. 2. 2. q. 169. artic. 2. ad 3.

c Caie. 2. 2. q. 3. artic. 3. Vbi Bãnes dub. 2. concl. 1. & 3.

d 1. Reg. 21.

e S. Tho. 2. 2. q. 111 ar 1. in ſol. 2. argum. S. Antonin. 2. par tit 10. c. 1. §. 1. Silueſt. in uerb ſimulatio quæſt. 2.

An tacere Cardinalem in Consistorio, quando sententiam rogatur, sit culpa, & qualis?

QVAEST. XXXVI.

SILENTIVM Cardinalium, quatenus ad rem nostram pertinet, uarijs modis considerari potest: A
sed nos maioris tum breuitatis, tum facilitatis causa, ad duo præcipue capita redigimus: aut enim is, qui tacet, utitur signis, quibus significet sententiam suam: aut nullo utitur signo, sed intra fines silentij se continet omnino.

Si loquimur de priore illo, qui signis profert sententiam suam, sane aut signa illa non consentiunt cum mente ipsius Consiliarij, ut quia significat sibi placere quod displicet; aut displicere quod placet; aut dubitat, & tamen signis ostendit, se alterutri parti firme & B
constanter assentiri: & de hoc genere silentij iam supra copiose disputatum est, aperteque probatum, hoc silentium iniustum esse, & cum mendacio & simulatione coniunctum.[a] Vel contra, signa, quæ profert Consiliarius, consentiunt cum ipsius animo, ut si res, de qua est controuersia, ipsi probatur, & re uera signis ostendit, se illam approbare, aut eam improbat, & significat se eandem improbare: & & de hoc erit nunc in hac quæstione disputatio. At si loquimur de eo, qui nullum profert signum, sed omni ex parte tacet: & certe siue ipse rem probet, siue improbet, siue dubitet, si suo silentio dat causam, ut ij, qui intersunt, existiment ipsum assentiri (ut sæpe fieri solet) cum non assentitur: aut contra, dissentire, cum rem probat, aut C
dubitat; discedit sane ab officio, quia in causa est, ut alij decipiantur: quod pertinet ad ea, quæ supra dicta sunt. Si uero ita tacet, ut non solum nullo utatur signo, sed nihil omnino, qui adsunt, ex illius silentio colligere possint, de hoc maior est controuersia, & de hoc item erit in hac quæstione disputatio.

[a] In quæst. 16. & 35.

ACCEDAMVS igitur ad priorem illam silentij speciem, quæ huiusmodi est, ut Consiliarius, licet taceat, signis tamen ostendat se id sentire quod re uera sentit: & fortasse aliqui existimabunt, nullam in huiusmodi silentio culpam esse.

Primo,

A Primo, quia regula iuris recepta esse solet, taciti & expressi idē esse iudicium,[a] unde ex legibus id esse appellatur, tā quod uerbis, quā quod ex earum mente colligitur.[b] Quamobrem cùm Cardinalis sententiam rogatus, eam signis illis exprimit, quæ ab alijs intelliguntur, & in communi hominum usu sunt, non uidetur reprehendi posse, cum id respondeat, ac significet, quod omnino gerit in animo, siue uerbis, siue nutibus id faciat.

Secundo, quia cum sint uarij casus iure præfiniti, quibus consensus expressus requiritur, nec sufficit tacitus, prout in stipulatione[c], & alijs a Doctoribus relatis,[d] inter quos noster hic (uidelicet ut suf-

B fragia sacri Consistorij rata non habeantur, nisi uoce, & uerbis fuerint prodita) annumeratus minime inuenitur; utique standum esse uidetur iuris communis regulæ: ut, quemadmodum nutu hereditatis aditi, matrimonium contrahi, professio celebrari, donatio fieri, & alij contractus geri possunt;[e] sic & liceat Senatori quacumque ratione, seu uoce, seu alijs uoluntatis suæ indicijs, dummodo clare pateant, munus suum explere.

Tertio, quia sic usu etiam receptum uidetur, cū usque olim apud Romanos multi in Senatu tacita suffragia ferrent, nihil uoce expri-

C mendo, sed alijs atque alijs modis sententiam suam declarando; de quibus proprio loco egimus:[f] & hodie quoque tacentium Senatorum suffragia pro consentientibus numerantur, optimaq. dicitur legum interpres consuetudo: immo certiores illæ sententiæ quandoq. apud aliquos habentur, quæ calculis, & fabarum suffragijs ferūtur, quàm quæ uerbis interdum fallacibus pronunciantur: præterquàm quòd magnum esset incommodum, ubi negotiorum urget multitudo, a singulis Senatoribus, etiam qui imis sedibus locati sunt, sermones longos & superuacaneos de rebus expectare, quas annuendo tantum celeriter & apte possent expedire.

D Ex altera parte illud se objicit considerandum, quod cum ad sacrum Consistorium res ut plurimū graues, ac dubitationis plenæ referantur, ob idq. etiam in consilijs Senatores fuerint instituti, ut diligenti, maturaq. eorum tractatione, deliberationes capiantur; absurdum uidetur licere illis, solo, momentaneoq. nutu res perstringere, ita ut Consistorium ipsum, tamquam mutorum contubernium uideri possit.

Huc accedit, quòd cum consensus sermone expressus, dicatur a Doctoribus clarus, apertus, & manifestus; quippe qui uerbis depromitur, tacitus autem uocetur quodam modo occultus, tectus, & præsumptus tantum, ut qui aliquando fallax est, cum a coniecturis

solum

---

a l. cum quid. si certum pet.

b l. nominis. §. 1 de verbor. signif.

c l. 1 in princ. de verb. oblig.

d Tiraqu. de leg. cōnub. gl. 7. num 7. 11. & seq.

e l. Vbi nō voce, & ibi Dec. & Cagnol. de reg. iur cap. 1. §. vero de regula. in 6. Ias. l. si res obligata. num. 33. de leg. 1. Alex. & Ripa in l. 1 nume. 35. & seq. de verb. oblig.

f In quæst. 40.

solum proficiscatur, in quibus sæpe decipimur: [a] propterea dubium A
non est, expressum haberi longe potentiorem, & efficaciorem, quàm
tacitum, [b] sicuti & substitutio expressa multo plus operatur, quàm
tacita. [c] Vnde sequitur in proposito quoq; casu, Cardinales, ut aper-
tius id, quod sentiunt, exterius declarent, cum sententiam a summo
Pontifice rogantur, debere eam non nutu tantum, sed uoce, ac con-
ceptis pro rei qualitate uerbis, explicare.

Nos uero sic solui posse putamus has difficultates, quòd sicuti in
iuris scientia est frequentissimum, & in alijs etiam studiorum disci-
plinis obseruari solet, ut pro rerum, de quibus agitur, uarietate, ali-
ter atque aliter respondeatur, & ad commodiorem earundem tracta B
tionem, ac cognitionem, regulæ cum suis exceptionibus constituan
tur; sic in præsenti materia id, quod crebrius usu uenire solet, consi-
derando, regulam uerbis affirmatiuis statuamus, Cardinales scilicet
in Consistorio, cum sententiam rogantur a Principe, debere eam uo
ce, tamquam conceptum rei partum edere, ac uerbis congruenti-
bus enunciare, non solum quia Principis maiestas, loci, & conses-
sus illius amplitudo, sed etiã rei ipsius, de qua agitur, necessitas quã-
doque ita exigere uidetur. Quid enim si negotiũ eiusmodi sit (quod
sæpe contingere solet) ut de eo quid sentiat Princeps, nulla appareat
coniectura, nec rei natura ullatenus id demonstret, sed totum posi- C
tum sit in genere, ut aiunt, deliberatiuo? veluti an bellum sit aduer-
sus Turcas hoc tempore suscipiendum: an decernenda Legatio in
Britanniam: an Ciuitates ditionis Ecclesiasticæ sint uectigalibus, &
quibus subleuandæ: quæ ratio ineunda ad ærarium prope exhaustũ
instaurandum: quod consilium suscipiendum ad sumptus in littera-
rum Apostolicarum expeditione minuendos: ad Ecclesiasticã disci-
plinam restituendã, quæ sint in primis procurãda: nonne certum est
in his, & alijs huiusmodi, non signis, aut nutibus, sed efficacibus ra-
tionibus, ualidisq. argumentis, & probationibus tantum locũ esse?

Fatemur tamen, si de alijs rebus agatur in Consistorio usu fre- D
quentibus, uel sæpius examinatis, & diffinitis, non opus tunc esse (ni
si noua aliqua, & euidens subueniat ratio) rem actam pluribus age-
re, & sermonibus minus necessarijs, grauiorum rerum spatia occupa
ri, ab ijs præsertim, qui inferiora subsellia tenent.

Itaque ut articulum hunc concludamus, sicuti sententias uer-
bis appositis a Consiliarijs prolatas commendamus, sic non omnem
taciturnitatem, extrinsecis signis pro loci consuetudine declaratam,
ac cum ueritate consentientem, quando alia non est oratio necessa-
ria, condemnamus. [d]

Acce-

---

[a] Glo. c. statutũ. §. in nullo uerb. expressus de rescrip. i 6. Tiraq. l. si inquam. C de re uoc. donat. in uerb. libertis. nu. 22. & seq. Cagnol. in l. expressa nu. 3. de reg. iur.

[b] l. si. ff. de le. 2. iuncto text. in l. si quis in princ. testamẽti. ff. de leg. 3. Ias. in l. seruũ filij §. si idem seruus. nu. 12. ff de leg. 1.

[c] Bart. l. cum ex filio §. filio. de vulg. & pupill. Tiraqu. de leg. connub. in glo. 7. nu. 60.

[d] Diximus 3 quæst. sequent.

A ACCEDIMVS iam ad aliam silentij formam, nimirum cum Cōsiliarius non solum tacet, sed neque vlla signa profert, quibus indicet sententiam suam, vt si Cardinali aliquando non placent quæ proposita sunt, ille tamē iusta se excusatione, aut difficultate detineri iudicat, quo minus loquatur, & ideo pure tacet, nec signum vllum extrinsecus profert voluntatis suæ. Quod quidem etsi non admodū frequens sit, quoniam illi, qui quodam modo non audent, aut erubescunt loqui, aliquod fere semper signum edunt, se in assensum propēdere. Attamen, quod attinet ad excogitatas ab illis excusationes, aut impedimenta, satis a nobis in decursu huius nostræ tractationis B probatum esse existimamus, eas prorsus inanes, & iniustas esse. Quapropter si hi non solum tacent, sed etiam addunt signum aliquod interiori voluntati suæ repugnans, pertinet hoc ad primum præsentis Thematis articulum fuse a nobis in præcedenti quæstione disputatum. Sin vero illi simpliciter tacent, vt nunc ponimus, nec signo aliquo extrinsecus suam sententiam explicant, cum tamen eis displiceant proposita, tunc dubium non est, eos non defendi a culpa, tum quia non loquuntur prout muneris sui erat, tum quia tacendo censentur affirmare id, quod ex animo non probant, tum demū ex alijs rationibus sæpius ante deductis: ideo qualis, quantave huius silen- C tij culpa sit censenda, modo supererit declarandum.

IDEM fere est, quādo quod propositum fuit, placet, & tamen nec verbis, nec signis vllis id se approbare Cōsiliarius declarat: quod quidem a superioribus ijs pendet articulis, quibus ostendimus silētium hoc tametsi nullo aperto mendacio est inquinatum, non tamen ab omni culpa immune esse, cum veri Consiliarij prudētiam, synceritatemq. haud impleat, quæ loquendi libertatem postulat; quin potius suspicionē alijs præbere possit, tacēdo se illud improbare, quod vere, & ex animo probat: aut se ad tacendum artificiose seductum fuisse, vnde vetus prouerbium: *Bos in lingua*: aut potius de industria D tunc tacere, vt oblata occasione postea nocere possit, iuxta Græcum illud: *Crocodillus, caput sine lingua, sed dentibus armatum*.

ILLVD autem negotium facessit, & proprium est huius quæstionis, cum Consiliarius sententiam rogatus, non solum verbis nihil exprimit, nec nutu quidquam significat, verumetiam animi pendet, & non magis ad hanc, quàm ad illam partem inclinat: & quamuis hoc raro accidere soleat, cū Cardinales, qui nihil loquuntur, consueuerint fere semper interioris opinionis suæ significationem dare, aliquo saltèm gestu, aut corporis motu; attamen, quoniam & hoc ipsum potest accidere, & nō desunt qui mediam hanc,

& quasi

& quasi neutram uiam tutiorem esse existimant, ideo & hunc quoque articulum non prætermittendum duximus, ex quo Thema propositum diluetur, uidelicet, an tacere in Consistorio absolute consideratum, sit culpa, & qualis. A

Epist. cath. cap. 3. Poterit igitur aliquis existimare, cum S. Iacobus acerbe in linguam inuehatur, illamq. appellet uniuersitatem totius iniquitatis, affirmetq. omnia a natura humana domari posse præter linguam; & hanc esse malum inquietum, plenumque ueneno mortifero, & denique illum uirum perfectum esse, qui non offendit in lingua. Cum igitur hæc S. Iacobus proferat, poterit, inquam, aliquis ex his colligere, silentium tamquam tutum a uarijs periculis portum, probandum esse. B

CONTRA uero, cum Prophetas legamus dicentes: *Væ mihi, quia tacui.*[a] Et alibi: *Clama ne cesses, exalta uocem tuam:*[b] animaduertimus, non semper silentium amplectendum, sed & sermonem quandoque adhibendum esse.

a Isa 6.
b Isa 58.

Pro articuli huius definitione animaduertendum est, silentium absolute, & secundum naturam suam sumptum, ex earum rerum genere esse, quæ indifferentes uocantur, quippe quo aliquando bene, aliquando male uti possumus: & ideo Sapiens dixit, *Tempus esse loquendi, & tempus esse tacendi.*[c] Et in Psalmo legitur: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis:*[d] Ostium enim modo clauditur, modo aperitur, hincq. Saluatorem Dominum nostrũ, aliquando tacuisse legimus,[e] & alijs mandasse, ut nemini dicerent, quod uiderant,[f] aliquando etiam dixisse Apostolis: *Docete omnes gentes, prædicate Euangelium omni creaturæ.*[g] Et: *Quæ audistis in cubiculis, prędicate super tecta.*[h] C

c Eccles. 3.
d Psal. 140.
e Matt. 26.
f Luc. 5. & Matt. 17.
g Marc. 16.
h Matt. 10.

ADVERTENDUM deinde, quòd cum articuli huius determinatio, non a natura silentij absolutè sumpto, sed ab usu illius dependeat, & is, qui opportune loquitur, sit commendandus, & qui tempestiue nouit silere, sua laude sit dignus; cumque hominum natura propensior sit ad malum, idq. plerumque grauius sit in committendo, quàm in omittendo, propterea a sapientibus traditum est, ut, quando medium illud uirtutis, & tempestiuam illam horam tacendi, uel loquendi exacte obseruare difficile est, in hoc discrimine ad dexteram potius silétij, quàm ad læuam sermonis cursus dirigatur. Sic enim S. Iacobus inquit: *Sit omnis homo uelox ad audiendũ, tardus autem ad loquẽdũ.*[i] Et in prouerbijs legitur: *In multiloquio nõ deerit pęccatũ.*[k] Et in Threnis: *Sedebit solitarius, & tacebit.*[l] Hincq. uidemus eos, qui uitæ perfectiori student, intra claustra silentium maxime profiteti. D

i Epist. cath. cap. 1.
K Prou. 10.
l Thren. 3.

A teri. Vnde Iustinianus Imperator de Monachis loquens, eos Græco vocabulo ἡσυχαστάς, quasi silentiarios uocauit,[a] quod argumentum uarijs exemplis, ac rationibus, sacri Doctores persequi solent.[b]

Hoc tamen, ut diximus, tamquam consilium in dubio amplectendum a Doctoribus proponi solet; ceterum cum aliquis, aut diuino præcepto, aut ex uocationis suæ instituto, siue ex suscepti officij necessitate, aut obedientiæ munere, seu alio quopiam legitimo uinculo obstringitur, ut certis temporibus dicat, ut respondeat, ac loquatur, non est dubitandum cessare tunc prius illud consilium a Doctoribus traditum, & sermonem, prompte & cum fiducia arripiendum esse: nam & Scriptura sacra ait: *Ne retineas uerbum in tempore*
B *salutis:* Et rursus: *Pro anima tua ne confundaris dicere uerum.*[c] Quæ omnia cum suis distinctionibus copiose a Doctoribus,[d] & erudite tractata fuerunt, ad quos Lectorem reijcimus.

Ex his, quod ad rem nostram pertinet, satis constare putamus, quid in præsenti articulo sit dicendum, Cardinalem scilicet in Consistorio, silendo dum interrogatur, non esse a culpa immunem, tum quia Cardinalium officium in eo potissimũ uersatur, ut adiutores, & Consiliarij sint summi Pontificis: quod munus non cessatione, & silentio, sed opere, & sermone implẽdum est, eo præsertim tempore,
C cum eorum sentẽtia a Papa exquiritur, & Reipublicæ utilitas urget. Tum quia homines, cum ea, quæ mente complectuntur, nõ sola interiori locutione Angelorũ more exprimere ualeant,[e] sed externis signis ad ea explicanda indigeant, dicente S. Gregorio: *Alienis oculis intra secretum mentis, quasi post parietem corporis stamus, sed cum manifestare nos ipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur, ut quales simus, extrinsecus ostendamus:*[f] Cumq. ob id potissimũ Consiliarij munus sit institutum, ut loquatur, ut admoneat, ut, quod intus sentit, libere, & fideliter proferat, dubitandum nihil relinquitur, quoties ille sententiam rogatus nihil respondet, nec uerbis, aut saltem capitis
D inclinatione, seu nutu aliquo (in ijs tamen solum casibus, quibus id permitti posse modo demonstrauimus) assẽtitur, eũ officio suo minime satisfacere, neque excusationis, aut impedimenti alicuius prætextu ab hac culpa liberari: quod supra uarijs quæstionibus a nobis fuit ostensum. Itaque nunc cum de solo silentij huius usu agamus, eum omnino in culpa esse affirmamus: nã cum ex obligationis uinculo cum iuramento suscepto fideles esse atque obedire Papæ Cardinales teneantur, hoc uero silentium susceptæ illi obligationi prorsus aduersetur, non potest dici carere culpa, qui quod sibi faciẽdum incumbit, sine ratione prætermittit.

[a] *Authen de Monachis.* §. *cogitandum.*

[b] *S. Ambros. lib. 1. off ca. 2. S. Greg. Past. par 2. ca. 4. S. Antonin. par. 3. tit. 16 ca. 8. § fin.*

[c] *Eccles. 4.*

[d] *Alexan. de Ales par. 2. q. 121. per tres artic.*

[e] *S. Thom. 1. par. q. 107. artic. 1. ad 1.*

[f] *Lib. 2. Moral. c. 4.*

AD

AD hoc autem pertinet illud, quod S. Thomas nos Sanctorum A exemplo admonuit. Nā declarans verba illa Isaiæ: *Propter Syon non tacebo*, [a] ait quattuor de causis Sanctos non tacere. Primo, propter accensum eorum desiderium, de quo Hieremias Propheta inquit: *Et factum est in corde meo verbū Domini, quasi ignis exæstuans.* [b] Secūdo, propter euidens uerum, quod tacere eos non sinit, ut dicitur in Actibus Apostolorū: *Non possumus, quæ uidimus, & audiuimus, non loqui.* [c] Tertio, propter iniunctum eis officium, ut Apostolus scribit: *Necessitas mihi incumbit, væ enim mihi est, si non euāgelizauero.* [d] Quarto propter expectatum præmium, de quo idem Apostolus: *Bonum facientes nō deficiamus, tēpore enim suo metemus nō deficientes.* [e] Quod & S. Ambrosius in Epistola ad Theodosium Imperatorem affirmat, dum inter cetera ait: *Nihil in Sacerdote tam periculosum apud Deum, turpe apud homines, quā quod sentiunt, nō libere denunciare.* [f] Cum igitur ex his, & alijs sæpius a nobis allatis constet ex opportuno, & ingenuo Consiliarij sermone bona multa, ex iniusto uero silentio dāna multa prouenire, ideo firmandam esse supra traditam regulam esse dicimus, videlicet in themate a nobis proposito silentium Consiliarij regulariter culpa non carere. B

a Isa. 62.
b Hiere. 20.
c Act. 4.
d 1. Cor. 9.
e Galat. vlt.
f S. Ambros. epist. 29. ad Theod. Imper.

NEC obstat quod initio obijciebatur, taciti & expressi idem esse iudicium: nam illud intelligi solet in ijs, quę ueniunt ex natura cōtractus; [g] at hic repugnat potius natura rei, de qua agitur, non solū quia in plurimis casibus mens interior refragatur exteriori silentio, sed etiam quia Consiliarij officium propria natura exigit, vt loquatur, vt moneat, vt suadeat, non vt obmutescat. C

g l. hereditatē de dona. Iasl. eūquid. si certpetat. in 2. lec. nu. 16. Dec. & Cagnol. in d. l. expressa. de regul. iur.

EODEM etiam modo respondetur ad secundum, nam paucissimis admodum exceptis casibus, in quibus quod ad Consistorium attinet, uoluntas præsumi solet, licet non expressa verbis, in reliquis regula sine dubio prorsus aduersatur.

HINCQ. etiam cessat tertium, quoniam alij erant mores illi populorum, de quibus etiam alibi egimus, [h] valde diuersi a sacri Consistorij instituto, quo suffragia voce tantum feruntur, eademq. solum numerantur, nisi in illis casibus, quos supra attigimus. D

h In quæst. 40.

SVPEREST igitur nunc illud, ad quod tota hæc silentij materia potissimum dirigitur, videlicet in quo culpę gradu hoc silentium sit constituendum: nam cum conclusum a nobis fuerit, culpam esse silere, paucis illis exceptis casibus, in quibus iusta ratione silētium in rebus satis notis suscipi a Cardinali potest, dummodo signis aliquibus cum veritate consentientibus iuxta loci consuetudinem id pate faciat quod sentit; nunc sequitur vt in alijs casibus, in quibus culpa

subesse

A subesse solet, qualis, quantave hæc culpa censenda sit examinemus, quod quidem pro multiplici rerum contingentium varietate, difficile admodum est determinare. Nam ex una parte non desunt rationes aliquę eorũ, qui culpam hanc leuem esse opinantur. Cum enim interdum res, de qua in Consistorio agitur, non magni a Consiliario habeatur momẽti, aut non ueniat tunc ipsi in mentem quid debeat respõdere, aut alijs de causis ita mẽte perturbatus fortasse sit, ut quid ei agendum incumbat, non satis perspiciat, & rei ipsius difficultate potius, quàm uoluntatis studio deficiat; idcirco non videtur hæc loquendi omissio grauiori culpæ adscribenda esse, pręsertim cùm sciamus peccatum, quod sua natura veniale est, non effici mortale,[a] nisi
B transeat in aliam speciem, ratione alicuius rei adiunctæ, aut scandali, seu cũ delinquitur in officio, aut alijs huiusmodi casibus, quę hic semper non concurrunt.[b] Præterea, quæ consilijs Euangelicis aduersantur, dicũt aliqui, ex genere suo, venialia tantum delicta appellari: contra vero ea, quæ diuinis præceptis repugnant, lethalia vocali:[c] sed silentium nullo diuino pręcepto prohibetur: & loqui, quando tempus id requirit, est Euangelicum documentum. Quare non videtur huiusmodi silentium inter culpas graues numerandum.

Vervmtamen ex altera parte, multa quoque consideranda se offerunt, quæ suadent culpam huiusmodi grauem admodum esse.
C Primum enim, cum partes Consiliarij sint, fidele dare consilium; qui illud abscondit, is absque dubio nocet Reipublicę, quã consilio suo tueri debet: deinde exemplo suo alijs etiam Senatoribus nocet, quos ad consulendũ Reipublicæ segniores reddit: ad hęc violat legem iustitiæ, cũ munus a se promissum non pręstet: iniustitia vero est peccatũ mortale,[d] quia aduersatur charitati: frangit quoque fidẽ dum tacet, qui promisit se consiliũ fidele daturũ, quæ perfidia perniciosa, haberi solet, & ex suo genere mortalem culpam videtur cõtinere.[e]

Postremo, cum circumstantia personæ peccatum augere soleat propter dignitatem,[f] ideo quæ a Cardinalibus culpæ commit-
D tuntur,[g] grauiores efficiuntur, quia ipsi in præclarissimo post summum Pontificem honorum gradu positi,[h] statum perfectorum non perficiendorum referunt,[i] & quo plus aliquis a Deo recepit, eo maiorem ingrati animi significationem dat, si eo bene non vtatur,[k] sicuti de Lucifero dicitur:[l] Et quod S. Augustinus de Adamo ait: *Qui quanto erat Deo proximior, tanto grauius peccauit:*[m] Sic Cardinalium (qui pars corporis Papæ censentur[n]) eo grauior culpa haberi solet.

His

a S. Tho. 1.2. q.88. artic.4. & 5.
b S. Tho. 1.2. q 73. art.3. & seq. & 2.2.q. 110. artic. 4. ad 5.
c Sco. 2. Sent. distin. 21. q. 1. Siluest. in uerb. peccatũ. nu.3.
d S. Tho. 2.2. q.59. art.4.
e Caiet in Sũma verb. perfidia.
f S. Tho. 1. 2. q.73. artic vlt. Nauar. in Manual. ca.6 nu. 13.
g Arg. l. Presbyteri. C de episc. & cleric. & glos. in c. 2. per sacerdotale de off. deleg. in 6.
h Bull. Eugenij IIII. apud Iacobac. de cõcil lib. 1. art.1. num. 252.
i Io. Turrecr. in sum. de Eccles. li. 1. c. 80. & seq. Aug. de Ancon. quæst. 102. artic. 1. & 2. S. Antonin. 3. pa. sum. tit. 21 cap. 1. circa fin. & c. 2. col. 1. & 2. Ioan. Viguer. in suis Instit. cap. 17. § 1. versic. 11. (notandum tamen.)
k Tiraquel. de pœnit. temp. caus. 31. num. 18. & caus. 88. num. 3. & 9.
l c. principium. de pœn. dist. 2.
m c. consideret. de pœn. dist. 5.
n l. quisquis. C. ad leg. Iul. maiest.

His igitur in vtramque partem adductis, non videtur certa regula in hac materia pręscribi posse. Nos tamen commodioris doctrinę causa duo veluti capita cōsideranda proponimus, quæ omnē silendi modum complectuntur. Primum est, cum de silentio loquimur non puro, sed quod signa secum extrinsecus adiuncta habet, quæ veritati & officio aduersantur: quod quidē mendacium potius, seu simulationem appellaueris, & hoc nemo non videt suapte natura graue admodum vitium esse, nisi ob materiæ exiguitatem, aut ex alijs fortasse circumstantijs leuius iudicari possit, sicut vicissim ob rei pondus, de qua agitur, & magnitudinem, grauissimum censeri posset. A

Secundum caput est, quando de puro silentio agitur, vbi taciturnitas sola, quæ omissionis est, sine vlla mendacij significatione spectatur. Et hæc duplici maxime causa peccatum graue haberi potest. Primo, propter rem, de qua agitur. Secundo, ob causam, propter quā silentium suscipitur. Nam quod ad rem attinet, dicimus ea, quę ad consultationem in Consistorio deferuntur, vt plurimum grauia esse solere, tum propter summi Pōtificis maiestatem, ac sacri Senatus amplitudinem, lociq. dignitatem, tum ob negotiorū ipsorum pondera, quæ ad Christianæ Reipublicæ administrationem pertinere solent: idcirco non facile euenire posse, vt taciturnitas Cardinalis in consilio dando culpa sit leuis, sed eam fere semper grauem esse censendam. Propter causam vero, quando nullo quidem extrinsecus motu ad id adduceretur, prout initio quæstionis diximus, sed tantum propter ipsius silentij studium, quod tamen varijs etiam ex causis oriri potest, modo grauioribus, modo leuioribus: potest enim fieri vt Consiliarius non aliunde, quàm ex pertinacia siue superbia quadam obmutescat: aut quia nolit sententiam suam quoquo modo alijs innotescere: aut quia tacendo, se alijs sapientiorem habitū iri putet: seu quòd periculum aliquod in sermonis pronunciatione veretur, siue etiam quòd nihil sibi dicendum occurrit, aut aliqua huiusmodi. B C

Illud præterea addimus, quædam esse negotia, in quibus non solum culpa committitur, verumetiam inde satisfaciendi obligatio oritur, si in alterius damnum redundat: nam qui ex officio obligatur ad aliquid agendum, si ex sua negligentia damnum sequatur, ad illud resarciendum tenetur.[a] Quare, quemadmodum iustitiæ Minister, si uideat furem domum ingredi, nec ei obstet, ad reficiendum damnum astringitur; eodem modo Consiliario, qui veritatem tacendo, detrimentum intulit, non satis erit de culpa commissa dolere, nisi & damnum ex silentio suo tāquam proxima causa secutum, D

a S.Tho 2.2. q.61. artic. 7.

plene

A plene restituat. Item fieri poterit, ut teneatur consulens malum consilium, aut consensum retractare, quando res est integra, de quibus nos Lectorem ad ea, quę a Doctoribus extant declarata, reijcimus.[a]

Qvibvs sic explicatis, sequitur, argumenta supra allata, quæ culpam non semper grauem esse ostendebant, ad silentium absolute, & secundum naturam suam sumptum, vel ad materiæ exiguitaté, vel considerationis defectum pertinere, ex quibus culpa venialis reddi potest: quæ vero culpam grauem esse arguebant, ea loqui de silentio, quod in Consistorio adhibetur, cuius institutum est, ut res graues in eo tractentur, & Consiliarius, quemadmodum eius officium

B postulat, aperte sententiam proferat. Cum autem ad hoc se iuramento obstrinxerit, certe, si in eo peccat, licet fieri possit, vt aliquando culpa tantum sit uenialis; tamen perspicuum est, ut plurimum, grauem esse existimandam.

a Abb. ca. si cut. de homici. nu. 15 ubi Felin. nu 13. Fels. c. 1. de off. de leg. num. 8. & seq. Sum Angel. uerb. consilium. circa fin.

PARS IIII. QVAEST. XII.

Inter uarios respondendi modos ad id, quod propositum est in Consistorio, quisnam congruentior esse uideatur.

C

POSTQVAM ad res propositas teneri Cardinalé aliquid respódere supra ostendimus, nec eum officio suo satisfacere, si taciturnitate ré pręterire conetur, cũ rogatus aliquid in mediũ afferre debeat, quod

D animi sui interioré sensum ita manifestũ reddat, vt ab alijs palã audiatur. Nunc inter uarios respóndendi modos, quæritur quisnã cógruentior ceteris sit habendus. Quo loco præfari nos primũ oportet, res, quæ ad Consistorium deferri possunt, adeo uarias, ac multiplices, & fere infinitas esse, vt qua ratione sit ad singula respódendum, nulla certa distinctaq. regula, aut vllis uerborum formulis, possit cóprehendi, cum, ut dici solet, longe plura sint negotia, quàm uocabula.[b] Addimus deinde præstantissimorum Cardinaliũm prudentiã eiusmodi esse, quæ minime censeatur indigere, ut adeo subtilibus, distinctisq. adminiculis fulciatur. Quapropter

QVAEST. XXXVI.

b l 4. de prascript. uerb.

propter nos potius ea attingenda duximus, in quibus (cum varie a A
multis obseruari soleant) visum est non inutiliter operam nostram exerceri posse, vt quid præ ceteris eligendum sit, opportune examinemus, cum ad tres potissimum modos, generaliter loquēdo, omnis respondendi ratio redigi posse videatur. Aut enim id, quod a summo Pontifice in Consistorio propositum est, Cardinalis sibi approbandum, tamquam Reipublicæ vtile assumit: aut tamquam inutile improbandum: aut tamquam dubium distinctione aliqua seu alia ratione explicandum. Quoniam autem singuli hi casus varias verborum rationes, seu loquendi modos admittere possunt; propterea nos inter diuersa in singulis his capitibus respōsionum genera, quid B
potius amplecti debeat Cardinalis, vt muneri suo satisfaciat, nunc (quantum rei natura patitur) persequendum duximus.

QVOD igitur ad primam illam generalē respondendi rationem, modo a nobis propositam pertinet, quando res tamquam vtilis est approbanda; certum est multis hoc posse modis significari.

VNVS est, cum Cardinalis summa reuerentia, ac capitis inclinatione, seu solo verbo, PLACET, rebus propositis assentitur: & hic dicimus, quòd quamuis huiusmodi respōsio aliquando admitti possit, vt infra subijciemus, tamen cum prudentia perhibeatur esse recta rerum agendarum ratio, manifestum est, prudentiorem illum in C
dandis consilijs censendū esse, qui congruentius, atque opportunius nouerit tempori, loco, & rebus, de quibus agitur, responsionem accommodare. Quamobrem cum Princeps aliquid deliberandum in medium affert, singulorumq. sententias exquirit, certum est, illud non annuendi, nec rem attingendi tantum, sed apte loquendi tempus esse: nam præter Principis iussionem, locus Consistorij, qui consultationis dicitur, Cardinalium conuocatio, tum negotij examinatio, & ipsa demum Collegij in vnum congregandi ratio, quæ est, vt collatis plurium sententijs, quod satius est, deligatur, non obscure admonet, tunc oportere quid quisque sentiat, patefacere. Proindeq. D
cū *Sapiens dicatur, qui tacet vsque ad tempus, & imprudens, qui nō obseruat loquendi tēpus*, [a] idcirco, si quis ex vocatorū numero tunc innuat tantum quod sentit, non censetur prudentię legem omni ex parte explere. Nam etsi dici solet, inclinationem capitis haberi pro expressione consensus, & voluntatem, factis etiam ac nutu significari; Respondemus tamen, id a nobis non negari; cum tamen prudentia suos gradus habeat, & a nobis quæratur inter varios consilij dandi, seu respondendi modos, quis alijs excellat. Hac in re nemo, opinor, negabit, eum, qui tacet, & si capite annuat, ac etiam solo uerbo,

[a] Eccles. 20.

PLA-

A PLACET, utatur, uix ulla laude dignum eſſe, nedum inter alios palmam poſſit obtinere; Nam cum Conſiliarij in Senatum ſoleant accerſiri, ut eorum conſilio, & prouidentia Princeps adiuuetur, is utique, qui tunc fere obmuteſcit, cum unico ſolo uerbo utatur, parum abeſt, quin perinde habeatur, ac ſi non adfuiſſet. Et ſicut olim Senatores illos ceteris inferiores, & ultimo plane loco habitos ſcimus, qui nulla ratione allata, cur ita ſentirent, pedibus, & quodam modo gregatim in aliorum ſententiam ibant.[a] ſic hi, qui annuunt, tantum, nec claram ſententiam pronunciant, non uidentur inter primarios eſſe numerandi, quamuis aliquando excuſari poſſint, ut in-
B fra ſubijciemus.

ALIVS modus aſſenſum declarandi eſt, cum Cardinalis rem propoſitam uerbis commendat, & probat, ſed nullis rationibus, aut exemplis eandem munit: & hic dicimus, non uidere nos, quomodo ille, qui nude tantum rem probat, nec ullis eam corroborat argumentis, primas in reſpondendo ferre poſſit, cum nihil fere conſilij ſui ope, induſtriave conferat. Nam cum prudentiæ laus inquirendo, ratiocinando, circumſpiciendo, eligendo, & alia huiuſmodi, quæ rationis ſunt, exercendo effloreſcat,[b] iſte, qui tamquam ſterilis nihil
C noui parturit, nihil ex penore ſuo depromit, & nihil alijs proficit, aduerſus prudentiam potius committere uidetur: ſiue exercendi officij ſui negligentia id accidat,[c] ſiue quacumque alia ratione id ſequatur,[d] niſi forte rei ipſius ſtatus, aut aliæ circumſtantiæ aliud requirant, ut inferius explicabitur.

TERTIVS approbandi modus eſt, cum Cardinalis ſe ad beneplacitum Papæ, aut ad maiorem Collegij partem refert; & certe neutra hac reſpondendi ratione, eum muneri ſuo ſatisfacere exiſtimamus, cum nihil de re propoſita iudicet, qui aliorum ſententiæ ſe ſubijcit, & minus apte reſpondeat, qui de ſuo nihil affert: laben-
D temque Rempublicam parum adiuuet, qui non proprio, ſed alieno conſilio eam ſubleuandam relinquit, ut in peculiaribus ea de re quęſtionibus diffuſius oſtendemus.[e]

QVARTVS aſſentiendi modus eſt, cum res propoſita proprijs rationibus adiuuatur, & Principis ſententia exẽplis, alijſve argumẽtis, ſi opus ſit, prudenter fulcitur, & commendatur: quodque dicendum eſt, uerbis congruentibus cum dignitate, & breuitate explicatur.

HANC igitur pronunciandi rationẽ, ſi in uniuerſum loquamur, præ ceteris commendãdam eſſe reſpondemus. Nam cum triplex ſit perſuadendi, ſeu dandi conſilij modus, unus, qui ratione: alter, qui auctoritate, & tertius, qui exemplo nititur,[f] dubium non eſt in hu-

a Cic. in orat. poſt red & Gell li. 3. c 18. Buda. in l. ult. de Senator.

b S. Tho 1 2. q 14. art. 1. & 5. & 2. 2. q 49. art. 2. & ſeq.

c S. Tho. 2. 2. q. 54. art. c. 2. in corp. & in reſp. ad 3.

d S. Tho. 2. 2. q. 53.

e In quæſtio. 41. & 42.

f Ariſtot. 1. Rhetor c. 2. & 2. cap. 1. 20. et ſeq.

manis actionibus tria hæc simul iuncta maximã uim habere. Quòd A si disiuncta sint, uidemus, prout uaria est hominum natura, alios uno magis, quàm altero moueri. Verum est tamen, inter hæc, argumentum, quod a ratione sumitur, ceteris plane præstare. Quoniam tamen scriptum est. *Penes Regem noli uelle uideri sapiens*, [a] ideo qui iustam Principis sententiam sequi, & rationibus comprobare uolunt, magna dicendi circumspectione eos uti æquum est, ne altera ex parte rationes ualidas, ex quibus eam probandam putent, omittant; ex altera in suspicionem aliquam, ostentationis incurrant, quasi indicare uelint, Principem non easdem rationes tam acute penetrasse.

a Eccles. 7.

SVBDIMVS tamen, eum, qui rationes modeste affert, cum rem ful B ciat, & corroboret, magis etiam tum Principis sapientiam patefacere, qui negotium rectis prudentiæ regulis consentaneum proposuerit: tum cæteris Collegis aditum latiorem præbet ad id introspiciendum, atque accurate examinãdum. Multum enim interest quemadmodum aliquid sciamus, an communi quodam modo, an per ipsas causas, quas si quis suo ueluti pondere examinare assueuerit, prudentior utique, ac ad consilia præbenda instructior in dies efficietur.

ATQVE hæc quidem, si absolute loquamur, ita se habere solent. Ceterum nõ negamus, ex uarijs circumstantijs causæ, loci, temporis, personarum, & id genus aliorum, interdum fieri posse, ut qui simpli C citer annuit, sapienter egisse, qui rationes haud necessarias affert, minus iudicio ualuisse sit censendus. Quid enim, si res admodum clara, euidésq. sit? Quid si anterioribus Patrum suffragijs late examinata, atque probata, ut nihil, quod momenti sit, addendum relinquatur? Quid si aliquorum forte prolixitas, negotiorum reliquorum necessitas, mora iam longa peracta, Principis, aut aliorũ ualetudo, celeritatem in re minus necessaria postulent? Hæc, & similia, homines, iudicio præditos satis admonere possunt, quæ moderatio in his sit adhibenda. Nam, ut de primis dicamus, ceteris prætermissis, quæ eandem excusationem habent: pro uario rerum, quæ tractãtur, temporumq. D statu, poterit assensus quamuis non expressus aut solo uerbo, PLACET, præsertim in causis notioribus, & aliàs diffinitis, atque ab illis Consiliarijs, maxime, qui imis sedẽt subsellijs, utiliter aliquãdo probari. Idem & de ijs affirmari potest, qui rem propositam nude tantũ commendant, & probant. Nam quando nihil nouum occurrit, & satis de negotio iam dictum fuit, & instat tempus discedendi, uidetur Consiliarij prudentis esse, non repetere ea, quæ iam in medium adducta fuere, aut noua oratione rem actam probare, siue intempestiuis digressionibus audientium aures plus æquo onerare: [b] sermonis

b Plutarc. de Garrulitate prope fin.

A nis quippe saturitas non minus auribus inimica est, quàm immodicus cibus corpori.[a] sed sufficiet uerbo aliquo, aut capitis inclinatione, si hæc consuetudo seruatur, suam sententiam significare. Verum est tamen illud, quòd quando occurrunt negotia, quæ constant multis capitibus, & indigent uarijs distinctionibus, non uidemus quomodo fieri possit, ut omni ex parte sententia, quæ ab alijs profertur, ita placeat, ut nihil occurrat aut addendum, aut minuendum, siue mutandum, sed omnia capita undique probentur. Quare si tunc Cardinalis utatur verbo, PLACET, aut commendet quæ dicta sunt, cum non placent omnia, aut cum aliquid occurrit, quod ei utilius uide-B tur, sine dubio non leuiter peccat, quia negligit officium suum.

QVOD uero spectat ad generalem illam alteram secundam respondendi rationem, quando scilicet res proposita minime probanda Consiliario uidetur, quin plane reijcienda: & hic, ut omittamus eos, quorum subtilia, & ignea ingenia, ut dicebat ille,[b] in assiduo motu uersantur, & nouandis, quàm gerendis rebus sunt aptiora, habentq. ut dici solet, spiritum cōtradictionis, quo, si quid auctoritatis in ipsis est, plerumque destruunt:[c] hos enim a Senatorio ordine, quo pax Ecclesiæ quæritur, abesse existimandum est, de ijs dumtaxat loquemur, qui pro eo, quem habent rerum, usu, maturaq. præeunte de C rebus propositis cogitatione, non possunt non diuersam interdum ab omnibus, aut a maiori parte sententiam amplecti. Qua in re duo in primis, illis maxime obseruanda esse arbitramur. Primum est, ut quod dicturi sunt, cum ab aliorum opinione discrepant, id sibi ualidis, firmisq. rationibus, ac uerborum compendio probandum esse sciant. Secundum est, ut quoniam aliorum, dicta erunt diluenda, & pauci sunt, qui placide, ac moderate ferre soleant sententiam suam ab alijs improbari; idcirco memoria illud teneant, quod Cardinalis Papiensis in Epistolis suis prudenter scriptum reliquit,[d] nempe his maxime studendum esse, ut omni uerborum, ac vocis honore, cum D alijs agant, & quàm mitissimo orationis genere causas proponant, cur hoc, quod ipsi asserunt, ceteris utilius esse arbitrentur, simulq. fidem aduersantium sic laudare contendant, ut si illi se errasse iudicio cognouerint, probari tamen officium gaudeant. Inter cetera uero fugiant contentiosas omnes uoces, atque eos loquendi modos, quibus se plus ceteris uidisse significare possint, neque tamquam certum, & exploratum idipsum, de quo agitur, uelint affirmare, cum ea, quæ consultantur, sint contingentia, unde nulla est necessitas, ut hoc potius quàm illud adeo constanter, nedum pertinaciter, ab ullo asseueretur, satisq. unicuique esse debeat se muneri & cōscientiæ suę satisfecisse,

a S Greg. Nazian orat. in S. Pascha.

b Quin. Curt. lib. 4 Thucid. lib. 3.

c Tacit. lib. 1. & 4. Annal.

d Card Papiē. in epist. ad Fr. Card. Gonzag Mant.

fecisse, cum Cardinali non ad pompam, sed ad rem dicendum sit; reliqua uero summo Pontifici, qui ea definiat, sint relinquenda. A

Svperest tertia generalis respondendi ratio eorum, qui nihil explicite affirmant, aut negant: quod multipliciter cotingere potest. Nam præter ea, quæ ex diuersis quæstionibus supra tractatis colligi possunt; non desunt, qui propter magnam rei grauitatem, sibi non liquere dicunt: cumq. assensum ob summam iudiciorum diuersitatem sustineant, negotium ampliandum,[a] ac, ut olim dicebant, comperendinandum[b] sentiunt, ut de eo maturis deliberetur.

Sunt alij, qui rem propositam in plura capita distinguunt, ac pro rerum uarietate, quæ considerari possunt, aliter atque aliter respondent, uerenq. more[c] plurium sententias diuidunt, ac diuersis inspectis casibus, eas conciliare nituntur: quod magni sæpe ingenij, ac prudentiæ est argumentum. B

Sunt item alij, qui totam administrandi rationem ab ea prudentiæ specie, quam politicam uocant, pendere putantes, ad eam deliberationes omnes referunt, similes illis, ut ait Aristoteles, qui dicebant, facultatem ciuilẽ dijs debere dominari: quam etiã dijs Ethnici tribuebant,[d] quoniam illa legem imponit omnibus rebus, quæ ad cõstituẽdã regendamq. ciuitatẽ sunt necessariæ: quod ille ualde absurdũ affirmat: inde enim sequeretur, ut diuina subessent humanis. C

Rursus alij sunt, qui nihil explicite pronunciant, sed tectis, compositisq. uerbis ita responsionem concipiunt, ut ad utramque partẽ possit accommodari more carminum Sybillinorum, quæ adeo artificiose contexta fuisse perhibentur, ut quidquid accidisset, ab ipsa Sybilla, ut scribit Cicero, prædictum fuisse uideretur.[e]

Alij de industria adeo obscure loquuntur, ut quod de Rhetore quodam scribit Quintilianus,[f] qui nihil aliud discipulos suos docebat, quàm ut sermonem dicendo obscurarent, utens Græca uoce σκότισον, sic ipsi omnia sermonum tenebris inuoluunt, ut se non uulgaria quædam, sed admirabilia, ac paucis cognita enunciasse demonstrent. Aut affectata quadam prudentiæ specie sic omnia sua abdunt, ut nihil difficilius sit, quàm quid in animo gerant, in quam partem declinent, quid denique cupiant, ex eorum ore uel machinis admotis extorquere. D

Sunt & alij, qui in texendis longis sermonibus, atque in digressionibus suis tuendis libenter spatiantur, qui ad tollendas dubitationes adhibiti, maiores perplexitate, ac prolixitate sua implicãt, & inuoluunt, de quibus Salomon ait: *Comedent fructus uineæ suæ, suisq. cõsilijs saturabuntur:*[g] quod S. Gregorius inde oriri ait, quia plus de seipsis,

a Cic. pro Cecin.
b Cic. de clar. orat. & i Ver. Act. 2. & 6. Aul. Gell lib. 14. c. 2.
c Epist. Fam. lib. 1. epist. 9. Plin lib Epist. 8. Aristoni. Ascon. Ped in orat. pro Milon.
d Arist 6. Ethic. cap. ult.
e Cic. lib 2 de diuinat.
f Quintil. lib. 8. cap. 2.
g Prou. 1.

A sis, quàm sunt, sentiunt: & dum rectis aliorum suasionibus foris superari refugiunt, intus a superbia in captiuitatem rediguntur. [a]

a S.Greg lib. Pastor 3. par. cap. 19.

HAS quidem respondendi varietates, de quibus modo diximus, quamuis constet Collegij nostri Cardinalibus pro summa eorum prudentia non conuenire, quia tamen quędam huiusmodi futuris possent temporibus emergere, duximus eas obiter hic attingendas, vt hinc quàm maiore sint laude digni illi, qui huiusmodi vitijs carent, apertius cunctis patere possit.

RELIQVVM est nunc, vt quod initio propositũ fuit, ex omnibus ijs respondendi generalibus rationibus, quænã potior censenda sit, aperire studeamus. Qua in re occurrit nobis quod Seneca sępius admonuit, dicens quodã in loco: *Quid fieri oporteat in vniuersum, aut quēadmodum ex longinquo, nemo suadebit: cũ rebus ipsis deliberandum est, vigilantis est, captare properantem occasionē.* [b] Alio in loco scribit: *Magna pars consilij est in tẽpore, consilia enim rebus aptantur, res ipsæ feruntur, immo voluuntur, ergo consilium sub die nasci debet, & hoc quoque tardum est nimis, sub manu, quod aiunt, nascatur oportet.* [c] Et rursus: *In arduo est veri exploratio, satis est nos eò ire, quo ducit similitudo: omne hac via procedit officium: sequimur, quo ratio, non quo veritas trahit: fallaces enim sunt rerum species, quibus credimus: His veritas mihi vestigijs sequenda est certiora non habeo.* [d]

B (margin letter)

b Sene ep. 22.

c Sene ep. 71. in princ.

d Senec. lib. 4. de benefi. c. 33. & 34.

C QVAMVIS igitur ad tria respondendi genera initio quæstionis proposita, suffragia omnia in vniuersum redigi posse diximus; attamen inter hæc tria quid præstet, & quid ex his magis deligẽdum, superuacaneum est inquirere. Quis enim affirmare ausit, eum prudentius facturum, qui rem in consilio propositam probet, quàm qui improbet? aut aptius eum responsurum, qui negotium varie partiatur, quàm qui pure id explicet? Certe qui plene statum omnem rei perspectum non habet, non potest ex his difficultatibus emergere. Cum vero sapere, ut dicebat Comicus, sit non modo quod ante pedes est uidere, sed etiam illa, quæ futura sunt prospicere, pendet hoc a rei ipsius natura, proprijs circumstãtijs sociata, quę suum habet, certumque portum, quò dirigi cuperet, dummodo nauigij vector eam illuc producere nosset. Quare cum ad quamlibet rem recte perficiendam, tria requiri soleant, posse, scire, & velle [e], non dubitamus nunc de eo, quod ad potestatem pertinet, quandoquidem Cardinales tenentur summum Pontificem in gubernando, consilio atque opera sua adiuuare, & Reipublicæ Christianæ, quatenus possunt subuenire. De voluntate etiam non ambigimus, cum eosdem Cardinales iuuandæ publicæ rei maxime cupidos, & studiosos esse

D (margin letter)

e Clem. Quia contingit §. vt autem. de relig. Dom.

fateamur. In tertio ergo tota uersatur difficultas, ut norit Senator, A quam potissimum rationem ferendi sapienter suffragij sui inire debeat:quam cognitionem a Deo eum in primis & petere,& expectare pat est:ad quem si ex animo confugiet,spiritu intelligentiæ replebit illum,& tamquam imbres mittet eloquia sapientię suæ,[a] ut aliàs diximus. Quoniam tamen idem, qui rerum omnium Conditor, & Auctor est, inferiorum etiam causarum ministerio utitur, dicimus consiliarium etiam in audiendis, meditandis,inuestigandis,communicandisque rebus necessarijs, diligentiam, ac uigilantiam omnem ponere debere,atque illud tamquam certum,perpetuumque animo suo defixum gerere,ut mature omnibus consideratis,nihil in suffragio suo ferendo amplectatur umquam, quod conscientiæ suæ refragetur, eam ut ducem optimam sibi perpetuo proponens, quàm sequatur. Quando igitur ea monente,& extimulante,ille ex tribus superioribus respondendi modis, unum sibi, tamquam ceteris iustiorem probandum esse delegerit,tunc in singulis illis quoniam uarietates etiam multæ obseruari possunt, ut supra diximus, existimaremus nos, si iudicij nostri tenuitas aliquam hac in re opem ferre potest,quando primi ordinis responsio esset amplectenda,atque res approbanda,tunc,sicuti Iurisconsulti dicere solent,turpe esse sine lege loqui,sic aptiorem fore eam consilij formulam,quæ rem non nude, sed rationibus, seu exemplis cum dignitate corroboraret, ijs tamen obseruatis,quæ supra attigimus.

[a] Eccl.39.

In secundo ordine, quando res esset repudianda, ea censeremus diligenter obseruanda,quæ ex Cardinali Papiensi supra retulimus, ut scilicet rationibus efficaciter, uerbis reuerenter,ac breuiter aduersus alios agatur.

In tertio autem, quoniam distinctiones non quidem nimium subtiles, sed solidæ, & a rei natura ductæ,plurimum causas illustrare, sententias diuersorum conciliare, & negotijs terminandis plurimum prodesse solent, si negotium eiusmodi fuerit, quod distinctionem non incommode patiatur,atque aliorum dubitationibus satisfacere possit, tunc illud præ ceteris amplectendum esse arbitraremur, cum ab eruditis receptum sit, eum,qui nouit apte distinguere, alijs præstare,[b] eo tamen adiecto,ut magna dicendi dexteritate hæc ubique proponantur,ne plus alijs sapere uelle uideamur.

[b] l.nauis.§ fi. ff.ad l.Rod.de iact. Salyce.in l.filia cuius pater.C fam.herciscun. Glo.& idem Salyc in l. apud antiquos.C.de fur. Bal. in Proœ. Digestorũ, in prin. Quintil. lib.11.cap.1.

FINIS QVARTÆ PARTIS.

DE SACRI CONSISTORII CONSVLTATIONIBVS

PARS V. QVAEST. I.

An Cardinali sit necessaria in Consistorio libertas loquendi, an potius, si aliquando ea non utatur, sit excusandus.

A QVONIAM tractatio nostra eo maxime spectat, ut intelligāt Cōsiliarij, hoc proprium eorum munus esse, ut syncere, & libere quod sentiunt, loquantur; ideo paulo diligentius presentis Thematis occasione, de hac libertate loquēdi disserēdum putauimus. Nā cum late hoc nomen pareat, nollemus, quemquam huius uocis acceptione decipi, ignorataq. propria illius ui, in alios, atque alios errores labi. QVAEST. XXXVIII.

LIBERTATEM Iurisconsulti uocare solent, naturalem facultatem eius, quod cuique facere libet, nisi ui, aut iure prohibeatur [a]. Quam libertatem, quamuis ipsi personis attribuerint, eos a seruis distinguentes, cum dicatur liber is, qui seruitutem non seruit: attamen hoc ipsum nomen ad alia etiam multa per translationem referri solet, ita ut dicatur animus liber, qui omni perturbatione uacuus est: & campus liber, a quo nullus prohibetur; & liberæ ædes, quibus quis sine impedimento uti potest; & liberum arbitrium pro facultate bene, aut male operandi: & liberum mandatum, quo plena potestas rei faciendæ datur; & libera ciuitas, quæ nemini subijcitur, & alia huiusmodi. Hincq. & libertas loquendi dicitur, quando quis ueritate, atque utilitate publica, uel priuata suadente, ingenue, & aperte quod sentit loquitur, nullius respectu, gratia, uel potentia commotus, quam Græci uno uocabulo uocant, παῤῥησίαν.

B

[a] l. libertas ff. de stat. hom.

C QVAERITVR ergo, an hæc libertas sit necessaria Cardinali in Consistorio, an potius si aliquādo ea non utatur, sit excusandus: multa enim se offerunt, ex quibus uenia dignus esse censeri potest.

PRIMVM,

PRIMVM, quia huiusmodi libertas uidetur donum Dei esse, quod A non omnibus tribuitur, cum Apostolus dicat: *Diuisiones gratiarum sunt, alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum: hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.*[a] Quare cum unus Deus sit auctor gratiarũ, atque illas distribuat arbitratu suo, neque omnibus æque largiatur, dicente eodem Apostolo: *Numquid omnes linguis loquuntur?* & hæc libertas, & gratia sermonis, seu linguarum, una sit inter gratias gratis datas; si interdum accidat, ut aliqui in Cõsistorio libere non loquantur, non ideo uidentur arguendi esse, cũ sine crimine suo hoc libertatis dono loquendi careant, & possint sua opera, & B diligentia alijs in rebus hunc defectum compensare: quemadmodum legimus, Apostolos antea trepidasse, & uix loqui ausos fuisse, ubi uero Spiritus sancti gratia in eos effusa est, cum fiducia annunciasse uerbum Dei.

a 1.Cor.12.

SECVNDO, quia cum libertas uideatur significare potestatem uiuẽdi ut uelis,[b] ex Christiana libertate hoc amplius tribui existimãt aliqui, ut liceat unicuique & operari, & loqui, prout ei libet, cum nulla sit differentia quo ad Deum, inter liberum, & seruum: nam, *Vbi spiritus Domini, ibi libertas:*[c] Et: *Nõ sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.*[d] Vnde colligunt illi: Si hæc libertas lo- C quendi, de qua agimus, tot regulis, & circumstantijs subiecta esse debet, quas aliqui requirere solent, utique hæc nõ erit libertas, sed magna seruitus, uarijs nodis adstricta. Et ideo unumquemque propriæ facultati, arbitrijq. sui conscientiæ relinquẽdum aiunt, ut loquatur, uel non loquatur: & quemadmodum ei libet, id faciat, siue libere, & audacter, siue tacite, & remisse, prout ei uisum fuerit: sic enim Christiana hac, plenaq. libertate perfruetur.

b Cic. in parad.
c 2 Cor 3.
d Galat.4.

TERTIO, quia cum hæc loquendi libertas uix sine offensione alicuius, & quandoque Principis possit exerceri: *Veritas enim* (ut dici solet) *odium parit*: durum uidetur, Cardinales, qui ob amplissimum D honoris gradum immunes sunt a multis alijs oneribus, subiectos deinde esse huic molesto, & graui iugo damnandi, seu reprehendendi aliorum præstantissimorum uirorum opiniones, & quasi censores morum constitui, nec liceat illis ea facultate uti, quam quiuis e populo habere solet, iuxta illud: *Nonne licet mihi quod volo facere?*[e]

e Mat.20. & Caiet. 2. 2. q. 63. art. 2.

QVARTO, dubium faciunt uaria, quæ interdum exurgunt, impedimenta, aut ratione rei, de qua agitur, aut ratione temporis, aut personarum, aut ex alijs multis causis, propter quas opportunum dicenti non uidebitur, quin potius noxium esse, talem tunc libertatem

A tem exercere, propterea, si ita is uere iudicet eo tempore non expedire, uidetur plane excusandus esse, si hac libertate tunc non utatur: cum opportune omnia sint facienda, & iustum uideatur, ut Cardinalibus pro summa eorum gradus præstantia, summum etiam arbitrium in iudicandis, & discernendis ijs, quæ ad eos pertinent, relinquatur.

VERUM, quia nos contrariam sententiam tamquam omnino ueriorem sequimur, & hanc totius huius structuræ, & tractationis nostræ præcipuam basim esse censemus, quam etiam ab Ethnicis auctoribus summis laudibus celebratam esse nouimus,[a] & a sanctis B Patribus eo amplius exornatam, quo ipsi maiore in dignoscendis uirtutibus lumine fuerunt a Deo illustrati: ideo paulo latius hoc argumentum persequendum esse duximus, quod ceteris quæstionibus magnam possit lucem, & robur afferre.

a Plutarch. in li. de discrim. Adulat. & Amic. & in lib. de Apophteg. Laconic. Vbi de Lysandro. Val. Max. li. 6. c. 2. Plin. lib. 3. epist. 9.

IN primis ergo ad libertatis huius necessitaté ostendendam, illud in memoriam redigimus, quod etiam attigimus alibi, Cardinalium scilicet gradum ad bonum Ecclesiæ tuendum, ac promouendum institutum fuisse: a quo quidem fine adipiscendo, cum metus, amor, æmulatio, spes, atque aliæ priuatæ causæ soleat homines retardare, atque ad loquendum quod oportet, languidiores reddere; ideo ad C uitiosas huiusmodi affectiones ueluti boni publici hostes superandas, certum est libertatem hanc loquendi, de qua agimus, tamquam necessarium Cardinalitij muneris exercendi instrumentum omnino requiri. Hincq. meminimus nos olim a Tridentinis Patribus frequenter eam uocem in Synodo, ac publicis, priuatisq. Congregationibus inculcari solitam fuisse, LIBERE LOQVENDVM, LIBERE LOQVENDVM, quod dicerent libertatem dicendi esse propriam & naturalem formam Synodorum; qua dempta, imago potius, quàm ueritas Senatuum, & Collegiorum superesset. Quod & a sapientibus probatum fuisse uidemus, qui tradiderunt, quod sicuti miles in D prælio, licet corporis robore, uiribusq. præcellat, licetq. firmissimis armis tectus sit, nihilominus sine manibus tamquam præcipuis ad pugnandum instrumentis, militis officio fungi non potest; eodem modo Consiliarius, quamuis mentis acumine plurimum ualeat, si tamen hac dicẽdi libertate destituatur, inermis plane erit, neque ex ceteris naturæ, & prudentiæ præsidijs utilitatem ullã reportabit, nec poterit muneris sibi commissi nauigium tamquam remis, & uento spoliatum in portum perducere, siue id metu, siue pudore, siue affectata nimis reuerentia, siue proprij amoris inuolucris, seu quacumque alia specie id accidat, cum libertas dicendi sit ueluti nerui, spiritus,

ritus, & uita consilij. Quid enim prodest acute, & prudenter prospicere, quid consulendum sit, si id eloqui libere non audeas? inutile, languidum, emortuum sit necesse est, quidquid libere non enunciatur. Neque hæc libertas ad audaciam, ad immodestiam, aut contentionis studium pertinet, sed potius ad charitatem, ad ingenuitatem, ad bene de alijs merendi propensam uoluntatem: nam qui libere dicit, nihil ad suum commodum refert, sed publicæ utilitati seruit. Quare & liberum, & modestum esse licet, immo modestia cum libertate coniuncta proprium est, & magnum Consiliarij ornamentum. A

NEQVE uero existimet quisquam, arduam nimis hanc esse uirtutem, quæ non facile a singulis Consiliarijs in amplo Senatu possit obtineri. Nam cum de Cardinalibus loquamur, qui Spiritu sancto duce ad gubernationem Ecclesiæ adiuuandam adhibentur, nouimus eos, qui legitime ad aliquod munus in Ecclesia uocati fuerunt, facultatem etiam a Deo suscipere solere illius exercendi, modo uelint, & laborem non recusent. Nam si omnibus animantibus diuina prouidentia eas dotes largita fuit, quæ singulorum conditioni sunt necessariæ, dubitandum nihil est homini ad Dei imaginem, & similitudinem facto, dum ad dignitatem aliquam, uel officium in Ecclesia Christi specialiter adsciscitur, ea omnia suppeditari, quæ ad legitimam illius functionem requiruntur. Vnde quo grauiore, & excelsiore loco Cardinales sunt positi, maioribusq. ad eum tuendum indigent præsidijs, eò copiosiorem in eos gratiam ad officium suum præstandum a Deo effundi existimandum est, quod etiam Hieremiæ Prophetæ ostendit exemplum, cui cum Dominus dixisset: *Prophetā in gentibus dedi te:* Et ille respondisset: *A, a, a, Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum:* Dixit Dominus: *Noli dicere: Puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, & ad uniuersa, quæ mandauero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum.* Et deinde: *Ecce dedi uerba mea in ore tuo: Ecce constitui te hodie,*[a] & cet. B C

QVIBVS rationibus, & praxim ipsam quodam modo adiungimus, cum multorum exempla non desint, qui quamuis Senatorio munere non essent adstricti, hanc tamen libertatem, cum oporteret, strenue exercuerunt. Nam & Dauidem cum Saule,[b] Natham cum Dauide,[c] Eliam cum Achab, & Ochozia,[d] Danielem cum Nabuchodonosor,[e] Moysem cum Pharaone,[f] Isaiam,[g] & Zachariam cū Principibus Israel,[h] & deniq. Paulum coram Felice, Festo, & Agrippa,[i] eam adhibuisse nouimus, de qua etiam legitur in Psalmo: *Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.*[k] D

a *Hiere.* 1.
b *Reg.* 24.
c 2. *Reg.* 12.
d 3. *Reg.* 21. & 4. *Reg.* 1.
e *Dan.* 4.
f *Exo.* 10.
g *Isa.* 1.
h *Zach.* 1.
i *Act.* 24. 25. & 26.
k *Psal.* 118.

His

A His adiungere possumus inuictissimos martyres, Stephanum, Laurentium, Sebastianum, Vincentium, Cyprianum, & huiusmodi alios innumeros, qui ueritatis unius zelo accensi, hanc ipsam loquendi libertatem profusi sanguinis, gloriosæq. mortis sigillo consecrarunt.

Præ ceteris uero non licet nobis cælestem illum præconem, ac præcursorem Domini sanctum Ioannem Baptistam præterire, cuius magnanimitas, atque dicendi libertas, tanta fuit, ut Christi Domini testimonium prouocauerit, cum ad populum dixit: *Quid existis in desertum uidere? arundinem uento agitatam?* [a] non enim ille per parabolas ambulans, ut olim Nathan Propheta, sed apertis uerbis regē Herodem arguebat, nec ad fulgorem purpuræ obstupescebat, neque sceptrum, Regiamve dignitatē uerebatur, quominus ueritatis eum admoneret, aliaq. Israelitico Populo, cum summa constantia denunciaret, quæ in Euangelio, atque a sacris Theologis commemorata sunt.[b]

a Matt. 11.

B

b Gran. in cōcio. 3. in Natiuit. S. Ioann. Bapt.

Et ne quis forte suspicetur hac laude prophetas tantum, aut Apostolos, siue Sanctos olim insignitos fuisse, possemus alios multos etiam Ethnicos uarijs ætatibus insignes uiros memorare, quorum exempla litterarum monumentis consignata leguntur. Sed ad C longiorem sermonē uitandum unum Catonē commemorabimus, de quo relatum legimus, [c] cum eius sententia a Cæsare Consule rogata fuisset, & Cato quod consulebatur, quoniam non è Republica uidebatur, perfici nollet, longaq. oratione utens, eximeret, dicendo, diem, Cæsar consul prehendi loquentem, & in carcerem duci iussit. Senatus cōsurrexit, & prosequebatur Catonē in carcerē: hac inuidia facta, Cæsar destitit, & mitti Catonē iussit. Nolumus itē aliquot ordinis nostri Cardinales præstantissimos silere, non longe etiam a memoria nostra repertos, ut quod ab ipsis factū fuisse nouimus, id ceteri quoque hodie sibi facile licere intelligāt. Nam CALIXTUM III. D qui Pattrum nostrorum, aut superiori ætate uixit, legimus, cum Cardinalis esset, eam in dicendis sententijs libertatē cum grauitate coniunctam semper retinuisse, ut sine ulla assentatione, seu timiditate, sed magna modestia, & libertate, quod conducere putabat, loqueretur. Marcellū item Ceruinum, quem plerique nostrū agnouimus, & ad summum Pontificatum euectum, MARCELLUM II. appellatum scimus, certum est, tum alijs in rebus, tum præcipue quo tempore de alienandis Ecclesiæ Romanæ bonis, aliquando ageretur, non solum uehementer illi consilio obstitisse, uerumetiam alijs Cardinalibus ne assentirent, nulla prorsus maximorum Principum, siue aliorum,

c Plutarch. in Catone Vticensi Aul. Gell. li. 4. cap. 10.

aliorum, qui repugnabant, ratione habita, persuasisse. PAVLVM A
uero III I. qui paucis abhinc annis e uita decessit, notum est, tum cum Cardinalis esset, ad eam, qua pollebat, facundiam, insignem etiam in dicenda publice sententia, & omni sermone libertatem addidisse. Possemus & alios multos æterna dignos memoria Cardinales recensere, qui hac dicendi libertate cum summa grauitate, prudentiaq. coniuncta mirifice floruerunt: sed ad prolixitatem uitandam, ex quàmplurimis paucos hos modo memoratos sufficere posse censuimus: etenim, cum hi S. R. E. gubernacula tenuerint, facile inde unusquisque poterit perspicere, tantum abesse, ut hæc loquẽdi B
fiducia cuiquam ex ijs obfuerit, ut immo hac potissimum syncerae uirtutis significatione Deo illis aspirante, ad summum Põtificatus gradum fuerint euecti, mortuiq. adhuc apud homines hoc nomine celebrentur, & in cælo, hac inter alias causa, æterna perfrui gloria censeantur.

QVONIAM uero libertas hæc inter uirtutem, uitiumq. posita, si salubri modo temperetur, laudem: si quo non debuit, se profuderit, reprehensionem meretur, ut ille scripsit, [a] ad hanc moderationem tenendam, magna opus est cautione, uigiliq. circumspectione. Nam quemadmodum sæpe in alijs rebus contingit, ut quædam sint ueræ, C
aliæ non ueræ, sed quæ uerarum imaginem referentes, nos specie ipsa decipiant: sicuti sunt ueræ gemmæ, & gemmæ adulterinæ: uerũ aurum, & aurum fictum; vera, & falsa iustitia: uera, & falsa pœnitentia; sic in hac, de qua loquimur, libertate, euenit, ut alia uera, alia falsa existat. Idcirco ne in utraque dignoscenda, atque exercenda, Cõsiliarius aberret, proprias quasdam notas in præsentia subijciendas censuimus, non omnino plene exacteq., sed quæ satis argumẽto nostro sufficere possint, ne pro uera, ac solida dicẽdi fiducia, alteram illam, quæ potius audacia est, eius uultu deceptus, quis amplectatur.

PRIMVM igitur ponimus ad ueræ libertatis rationem, tria requi D
ri solere: Primum, ut qui locuturus est, ueritatem sibi ante oculos proponat, ita ut uerum id esse sibi persuadeat, de quo ei dicendum est. Secundum, ut illud bono publico profuturum esse iudicet. Tertium, ut hæc ipsa actio cum difficultate, seu periculo aliquo sit coniuncta, ubi enim nulla est suspicio alicuius offensæ, non est cur magis dicatur libertas loquendi, quàm simplex quædam, atque consueta omnibus in Senatu dicendi, siue respondendi ratio. Vnde libertas hæc a sancto Chrysostomo bonum opus appellatur, & diuersis rationibus ad diuersas uirtutes refertur: [b] nam prout numquam a uero dicendo aberrat, actus est uirtutis, quæ fidelitas, seu ueracitas uocari

[a] Val. Max. lib. 6. c. 2.

[b] In c. 7. Act. Apost. ho. 17.

A vocari solet:[a] quatenus autem nullo humanarum rerum timore, aut periculo commouetur, ad fortitudinem pertinet;[b] scribēte sancto Cypriano quadam in Epistola: *Vidit admirans præsentiū multitudo cæleste certamen, certamen Dei, certamen spirituale, prælium Christi, stetisse seruos eius, uoce libera, mente incorrupta, virtute diuina.* [c] Hæc autē fortitudo quia moderatur audacias, & timores, ideo proficit ad ea remouenda, quę prohibere solent, ne quis libere loquatur.[d] Hincq. petebat Apostolus, [e] dari sibi cum fiducia notum facere ministerium Euangelij, quo loco Græce dicitur παῤῥησίᾳ, & sic S. Chrysostomus, Theodoretus, Primasius, Oecumenius, & Theophilactus, ibi interB pretantur,[f] & in Actibus Apostolorum legitur, quòd Iudęi videntes Petri constantiam, & Ioannis, quæ etiam Græce dicitur παῤῥησία, denunciauerunt eis ne loquerentur: at illi responderunt: *Non possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.* [g] Et sanctus Gregorius ait: *Vile est consilium, cui robur fortitudinis deest: quia quod tractando inuenit, carens viribus vsque ad perfectionem operis non perducit.* [h]

a S.Tho. 2.2. q.109. arti. 1. & seq.
b S.Tho. 2.2. q.124. arti.2.
c Cypr. lib. 2. epist 6. S. Basil. in Moral. reg.70.c. 13.
d S.Tho. 2.2. q.123. art.3.
e Ephes. vlt.
f S. Chrysost. hom.24 in epistol. ad Ephes.
g Act. 4.
h S.Greg.li.1. Moral.c. 16.

Ad hanc vero libertatem exercendam, exigi multa solent, quorum nonnulla & in aliarum virtutum vsu requiruntur. Primum est, ut rei, loci, temporis, ac personarum, quibus cum agitur, ratio habeatur. Nam cum opportunitas omnibus in rebus potissimum C prodesse soleat, tum vero ad libertatis huius fructum consequendū occasio in primis animaduertenda est, quæ nisi suo loco accesserit, huius libertatis vtilitas facile perire solet. Modus præterea, si qua in re adhibendus est, in hac præcipue, de qua loquimur, libertate retinendus erit, ut pro rerum uarietate, quæ tractantur, libertatis etiā ueluti gradus quidam obseruētur, cum modo uehementiorem, modo placidiorem, siue remissiorem eam adhiberi oporteat. Quod discrimen etiam in personis Consiliariorum ipsorum, qui hac libertate usuri sunt, seruandum esse censemus, cum non eadem libertatis alacritas, iuuenem, ac senem, nec diu in Senatu uersatum, ac recens D in eum admissum, & uix dum Reipublicæ gubernacula attingentem, decere uideatur.

Porro id cunctis commune esse debebit, ut quacumque de re coram Principe agatur, omnis a uerbis asperitas, a uoce contentio, & clamor a uultu, atque a cetero corporis habitu, iræ, uel alterius perturbationis suspicio prorsus amoueatur, & nihil arroganter, nihil proterue, nihilq. ad ostentationem proferatur.[i] Et quoniam loquendi fiduciam conscientia ipsa, atque innocentia maxime excitare solet, proderit multum, ut illa eo magis apud alios ualeat, si is, qui dicturus est, ueterem uirtutis existimationem sibi antea comparauerit,

i Quintil. lib. 11. cap. 1.

rauerit, nec eo tantum tempore, aut loco, qui se tunc offert, sed A quandocumque res postulat, libere loqui assueuerit, ita vt eam sibi apud alios opinionem vitæ suæ probitate conquisiuerit, se ad publicæ rei commodum, & dignitatem actiones suas præcipue referre. Quod & Quintilianus, quamuis Ethnicus, sensit, cum scripsit,[a] libertatem: loquendi ab eo aptius exercendam, cuius mens vitijs omnibus erit libera, eundemq. facilius persuasurum, quia dicet sæpius vera, & honesta. Sed & illud obseruandum, vt si suspicio sit, eam dicendi libertatem Principi molestam esse posse, curet Consiliarius sic dicendo illam temperare, non quidem vt obscuriore, aut submissiore voce vtatur; (nam, vt inquit Seneca, qui dicere nisi clam nō vult, B pene non dicit:[b]) sed vt sicut medici amara pharmaca melle solent oblinire, sic orationis acrimonia, quam dicendi libertas parit, verborum dexteritate, ac suauitate erga Principem leniatur, exemploq. Euāgelico, oleum vino misceatur, ac virgæ emendationis dulcedo mannæ adiungatur.[c]

DENIQVE quod summum est, sic orationis cursum prudenter dirigere perpetuo oportebit, ne lingua tamquam in lubrico solo periclitari interdum facilis, a veritatis, modestiæ, & charitatis semita vel minimum aberret. Vnde Periclem, traditum est, optare solitum, ne quod sibi verbum in mentem veniret, quo populus offenderetur. C Nam quæ fortia dum dicuntur, videbantur, stulta cum læserunt, vocantur:[d] & hæc quod ad veram libertatem spectat.

ALTERA est autem quædam falsa libertas, quæ facile posset imagine sua nobis imponere, nisi diligens cautio adhibeatur: estq. hæc multiplex, ac multiformis. Primum enim cū virtutes in medio positæ, sua habeant extrema fugienda, huiusq. libertatis alterū extremū sit, vitiosa taciturnitas, quæ ex ignauia, aut timiditate oritur, nūc nō veremur, ne hæc nos libertatis specie decipiat, nam tota in silentio posita est, & de ea alibi latius egimus. Verum alterum extremū est, quod a vera, & sancta libertate transit in temeritatem, & audaciam, D specie veritatis, & vtilitatis, quando scilicet is, qui loquitur, plus æquo sibi tribuit, ac maiorem quàm conuenit arrogans auctoritatem, loco abutitur, atque in suo obstinatus proposito, alios paruifaciens non veretur verborum etiam aculeis eos mordere, crimina detegere, maledictisq. illorum famam proscindere, quæ effrænis potius est linguæ licentia, atque impudens petulantia, seu scurrilitas aduersus grauitatem, modestiam, & prudentiam: & ideo Consiliario viro valde est indigna, ac ciuilibus etiam legibus condemnata, de qua hic longius non agimus, quòd eam a sacri Consistorij moribus,

a Quintil. lib. 12. cap. 1.

b Senec. lib. 2. de ira. c. 29.

c S. Greg. 20. moral. ca. 8. & in ca. disciplina. 45. distin.

d Quintil. lib. 12. cap. 9.

A ribus, alienam esse nouimus, eamq. obiter hic tantum, id ita materia postulante, attingendam esse putauimus.

Est & alia falsa libertatis imago, quæ cum assentatione coniuncta est: cuius insigne exemplum Plutarchus memorat Tyberij tempore in Senatu accidisse, ubi cum quidam exclamasset, esse libere loquendum, nec reticenda, quæ ad Rempublicam pertinerent, erectis ad hāc uocē omnibus, ipso autē Tyberio attento: *Audi, inqnit, Cæsar, in quo te reprehendimus omnes, licet nullus audeat palā facere, impendis te ipsū nobis, corpus tuū diurnis, nocturnisq. laboribus, et curis, pro Republica cōficis:*[a] Alia multa addens sub libertatis prætextu turpiter adulans. *a Plutarc. de discrim. adulat & amici.*

B De hoc callidæ assentationis genere, licet admodum cauendum sit, quippe quod non facile agnoscitur, cū, ut inquit ille, *Aduersando quis sæpe assentiatur, & litigare se simulās, blandiatur, atq; ad extremū det manus, uinciq. se patiatur, ut is, qui illusus sit, plus uicisse uideatur:*[b] tamen plura hoc loco addenda non uidentur, quandoquidē falsæ huius libertatis suspicio in primarios Ecclesiastici ordinis Præsules uix cadere posse uideatur. Quid enim commune esse potest præclaræ, generosæq. Cardinalium menti, cum seruili, atque abiecto gratiā cauponādi genere? Quoniam tamen procliuis est satis hominum natura ut his blanditijs deliniatur, immo eam uim adulatio habere perhibea- *b Cic. de amic. sub fine.*

C tur, ut quo audacior fuerit, quo impudentior, quo magis perfrictæ frontis, ut inquit Seneca,[c] eo vehementius expugnet; propterea pauca hæc non ab re attingenda uisa fuerunt, ut meminerint qui locuturi sunt, non facile dignitatis decorum ab ijs retineri posse, qui uirtutes licet veras, & merita eorum, qui præsentes sunt, nisi maxima necessitas poscat, coram alijs sibi commemoranda putent. *c In præfatio. lib 4. quæst. natural.*

His sic positis, & declaratis, non obstant quæ in contrarium proposita fuerunt. Nam ad primum de gratia gratis datā; Respondetur, non quæri a nobis, an Consiliarius teneatur perpetuo quod optimum est, & perfectissimum cum omni libertate respondere, quod

D paucis datur, sed id tantum ab eo exigi, ne dicendo simulet, ne mentiatur, ne fucum faciat, sed quod sibi conscientia dictat, aperte, candideq. profiteatur. Ad quod præstandum non est necessarium donum illud peculiare gratiæ gratis datæ, quæ paucis tantum ad certas functiones in Ecclesia Dei solet communicari[d], sed sufficit auxilium illud generale, quod unicuique Deus in sua uocatione subministrat. *d S. Tho. 1. 2. q. 111. artic 1. & art. 4. ad 1.*

Addimus amplius, hunc ipsum licet sedulo conantem, qui adhuc non posset tantā dicendi libertatem assequi, quāta fortasse alijs concederetur, non tamen in alteram uitiosæ taciturnitatis, & repre-

hensibilis silentij partem declinare debere, sed ea facultate contentum esse, quam uires suæ patiuntur, sicuti illis, qui non plene præcepta quædam Ecclesiæ seruare possunt, canones multum indulgere solent,[a] non tamen illos ab integra præcepti obseruatione liberât; & sicuti ille, qui ieiunare non potest, si cum illo dispensetur, ut cœnet, non ideo solutus esse intelligitur, ut carnes comedat;[b] & qui aliena integre nequit restituere, non idcirco partem, quam potest, reddere non compellitur;[c] Sic Consiliarius non excusatur a uera, fideliq. sententia aperte proferenda, quamuis illi dicendi ubertas, & facundia desit; Vicissim autem cum in libere loquendo præstat id, quod potest, excusandus uidetur, nemo enim etiam in reddendo debito quod iustitiæ est, supra id tenetur, quod uires suæ non patiuntur,[d] cum affectus magis, & uoluntas apud Deum, quàm effectus sit considerandus.[e] Vnde tritum illud, uoluntatem pro facto reputari, & qui non potest facere quod cupit, faciat quod potest.[f] A B

NON obstat secundum, quod de Christiana libertate objiciebatur, quæ sub nullius alterius legis iugo esse debet; Nam respondetur, catholicam Ecclesiam docere, eam esse ueram loquendi libertatem, quæ procul a nimio affectu, aut immoderato timere abest: nam qui cupit bona huius seculi præter ordinem a legibus præscriptum acquirere, uel timet amittere, quæ acquisiuit, non potest esse liber in ijs loquendis, quæ aut iustitia imperat, aut charitas suadet. C
Vnde beatus Paulus uinculis licet constrictus, multisq. ærumnis uexatus propter Euangelium, non tamen cessabat in ipso carcere prædicare dicens: *Laboro usque ad uincula, quasi male operans, sed uerbū Dei non est alligatū.*[g] Et de eadē libertate ad Philippenses dicebat per sua uincula factum esse, ut multi e fratribus auderent sine timore loqui uerbū Dei:[h] Et in Act. Apost. legitur, Apostolos in magnis persecutionibus numquam uerbū Dei dereliquisse.[i] Itaque non est libertas latissimo eo sensu, quē aiunt hæretici pro effrænata uiuendi, & operandi licentia accipienda: si enim eo modo sumeretur, actum esset de omni iustitia, ac de omnibus uirtutibus, siquidem, si unicuique arbitratu suo uiuendi, ac loquendi facultas sit permittenda, quid opus est legibus? quid magistratibus? quid uindice gladio, quē Apostolus necessarium esse ait?[k] *Quando*, ut idem inquit, *uos in libertatem uocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.*[l] De hac sane libertate loquens sanctus Chhrysostomus scripsit: *Beata libertas, quæ seruit legi obtemperat iudici, paret auctori: quæ humilis Deo est, subiecta Christo: quæ imperata tenet, iussa cōplet, præcepta conseruat, contendit ut placeat, ut promereatur, instat: timet offendere, ueretur delinquere: ama diuina* D

a c. cum dilecti. de dolo, & contum.
b Silu in verbo ieiuniū. q. 5. vers. quartū, & Nauarr. in Manual praecepto de ieiunio nu. 22.
c Silu. in verbo restitutio. 6. q. 5. Caiet. in verb restitutio cap. 8.
d S. Tho. 2. 2. q. 106. arti 3. ad 5.
e S. Tho. 2. 2. q. 106. artic. 6. ad 1.
f c. 1. de cōcess. preb in 6.
g 2. Tim. 2.
h Philip. 1.
i Act. 20.
k Rom. 13.
l Gal. 5.

monita

A *monita frequentare, ut enim obsequia legis obtinent libertatem, sit contemptus generas seruitutem.*[a]

Quod & Ethnici etiam, quibus vera lux nondum patebat, scriptum reliquerunt, dicente Aristotele: *In populari statu uiuit unusquisque ut vult, sed hoc parum est, non enim putandum est esse seruitutem, uiuere ad formam Reipublicæ, sed salutem.*[b] Et Tacitus: *Falluntur, quibus luxuria specie libertatis imponit.*[c] Et Quintilianus loquens de moribus, & virtutum ornamentis, quibus oratoré instructũ esse oportet, inquit: *Hinc mihi ille iustitia haustus bibat, hinc sumptã libertatẽ in causis, atq; cõsilijs præstet: neque erit perfectus orator, nisi qui honeste dicere & sciet, &* B *audebit*[d]. Nam sæpe species libertatis deducere ad temeritaté solet, non causis modo, sed ipsis quoque, qui dixerunt, periculosam.[e]

Et quoniam hanc libertatem catholica Ecclesia semper hoc sensu approbauit, & aliam, quam hæretici intrudere conãtur, tum summi Pontifices,[f] tum etiam ueteres Imperatores improbarunt,[g] multaq. hodie copiose, & erudite in hanc sententiam conscripta leguntur,[h] ideo ab alijs rationibus, & argumentis ad illam confutandam supersedendum esse duximus.

NON obstat tertium: nam libertatem cum modestia coniunctam ponimus, quæ publicam utilitatem tamquam finem habet C præstitutum, ut eam tueatur, non ut in aliorum mores inuehatur: immo, si quandoque aliquorum opiniones contingat redarguere, eorum tamen affectus, & studia potius laudet, & protegat: hoc autem graue onus Senatori uideri non debet, quia sicut in uno corpore, ut ait Apostolus, *Diuersa sunt membra, nec omnia eundem actum habent*[i]: aliud enim est oculus, aliud pes, aliud manus, aliud auris, diuersæq. sunt singulorum operationes:[k] sic in uitæ humanæ societate, alia, atque alia sunt hominum munia a Deo iniuncta, ut unusquisque digne ambulet uocatione, qua uocatus fuit.[l] Cum ergo Cardinalis officium libertatem dicendi in consilio omnino requirat, non D potest ille se aliorum priuatorum hominum exemplo tueri, qui id non faciunt, cum ad hoc illi non fuerint uocati. Præterea congruit ualde quod scripsit Seneca ad Polybium, conquerentem multa sibi non licere, quæ humilibus, & in angulo iacentibus licent: *Magna* (inquit ille) *seruitus est, magna fortuna: non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere: audienda sunt tot hominum millia: magnam tibi personam, hominũ consensus imposuit, hæc tibi tuẽdá est, huc te studia tua deduxerunt, nihil te plebeiũ decet, nihil humile:*[m] sic Cardinales cũ ob gradus amplitudiné Regibus æquiparẽtur, decet eos etiá Regiá quandam auctoritatem in loquendi libertate retinere. Hincq. sicuti Senatoribus olim apud

a S. Chrysost. homil. in illud Isaia, si volueritis.
b Arist. lib. 5. polit. c. 9.
c Corn. Tacit. lib. 17 Annal.
d Quintil lib. 12. cap 2.
e Quintil. lib. 12. cap. 9.
f S Leo ep. 7. S. Greg. lib. 9. epist 60.
g l. cunctos populos. l. nemo, C. de sum. Trin. & fid. cath.
h Bellarm. li. controuers. tit. Rom. Pont. lib. 4. ca. 17. ad 5. arg. & titu. de Laicis lib. 3. c. 18 & 9.
i Rom. 12.
k 1. Cor. 12.
l Ephes. 4.
m Sene. de cõsol. ad Polyb. c. 25 & seq.

Romanos potestas erat tributa, ut cum ius dicendæ sententiæ acce A
pissent, quæcumque vellent expromerent, ac de bello, & pace, de ue
ctigalibus, & legibus, ceterisq. omnibus, quibus res Romana conti-
nebatur, suadere, & dissuadere eis liceret:[a] sic summi Pontifices ani-
maduertentes ex hac dicendi libertate, publicæ rei utilitatem potis-
simum pendere, curarunt eorum constitutionibus, decretis, & refor-
mationibus posteritati traditis, ut omnia a Cardinalibus impedimé
ta auferrentur, quibus libera eorum suffragia possent retardari.[b] Et
in libro Ceremoniali cōtinetur, quòd ubi Papa os aperit nouo Car-
dinali, id expressim ei mandat, ut in consilijs, seu uotis explicandis, B
solum Deum præ oculis habeat.[c]

a Tacit. lib. 3. & lib 13.

b In decret & reform. Martini V & Sixti IIII. Alexand. VI Iul. III & aliorū.

c In lib. 1. cerem. cap 10.

NON obstat quartum, nam dupliciter ea impedimenta conside-
rari possunt, aut in Consistorio, aut extra Consistorium. Nos de
Consistorio loquimur, quod cum sit proprius locus consultationis,
ad eumque statis temporibus conuocentur Cardinales ad senten-
tiam dicendam, tenentur peculiari iustitiæ uinculo, propriaq. susce
pti muneris obligatione, quando sententiam rogantur, clara, libe-
raq. uoce respondere quod sentiunt, ideoq. cessant tunc externa hęc
omnia impedimenta, quæ a nobis in alijs quæstionibus sigillatim
examinata, & confutata fuerunt. At extra Consistorium, si quando C
Cardinales sponte ad dandum Papæ consilium se accingant, non
negamus quando id non iustitiæ, sed charitatis potius uinculo fece-
rint, multa ab ijs circumspici debere, & impedimenta, quæ supra
obiecta fuerunt, diligenter ab ijs expendi posse, vt quamuis quod
dicturi sunt, numquam a fide, & veritate seiunctum esse debeat,
quod tamen ad rationem, seu modum explicandæ sententiæ spe-
pertinet, non credimus eos ad summam illam libertatem re-
tinendam cogendos esse, sed prout eis opportunum ui-
sum fuerit, bono eos spiritu ducente, sermonis sui
vim, ac cursum prudenter moderari posse, D
& debere, ita tamen, vt cum Reipu-
blicæ necessitas urget, nec pu-
blice, nec priuatim of-
ficio suo de-
sint.

An aliquo uerborum ornatu, aut quo potius dicendi genere Cardinalem uti conueniat in Consistorio.

A DVo sunt, quæ in Consiliarijs præcipue requiri solent. Primum, ut de re proposita recte, prudenterque sentiant. Secundum, ut aperte, atque accommodate quæ sentiunt, explicent. Pertinet igitur in primis ad Cardinales, qui a consilijs sunt summi Pontificis, in utroque præcellere: nam cum in sublimi, & excelso dignitatis gradu sint collocati, decet nihil ab eis nisi perquàm insigne, atque perfectum proficisci. QVAEST. XXXIX.

Postquam igitur de rebus, & de his, quæ ad primum caput pertinent, alibi sæpius egimus, nunc de pronunciandæ sententię ratione,
B & quibus hoc uerbis fieri debeat, tractandum duximus, præsertim cum uarie hac de re multos sentire audiamus.

IN primis enim non defuerunt quandoque nonnulli, male contra disciplinas, & dicendi studia animati, qui comminiscerentur, cum olim dictum fuerit: *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini;* [a] propterea Christianis nihil laborandum, quibus uerbis, aut quo dicendi genere utantur, sed potius nullo humano apparatu præcedente, totos se Spiritus sancti afflatui, gubernationique committere debere. *a Matt. 10.*

ALII sunt, qui dicant, sicuti aliud est res ipsa, quæ dicitur, & aliud
C modus, quo ea dicitur; sic ueritatem quidem, & fidem in re ipsa explicanda ad Cardinalem pertinere, eo quòd istæ sint conditiones sua ui, & natura illius officio annexæ: qualiter autem id dicatur, quibus uerbis, quoue ordine (quæ ad modum rei spectant) tamquam accidentia quædam, eiusdem Cardinalis muneri adiungi: & ideo censent hi, quando ea, quæ uocant substantialia, non prætermittuntur, parum deinde referre, quis modus in accidentalibus obseruetur.

RVRSVS sunt alij, qui cum legerint, sacram Scripturam, ideo difficiliore & obscuriore sermone traditā fuisse, ne auctoritas illius uilesceret,[b] & nō defuisse olim ueteres dicendi magistros, qui discipulos *b S. Aug. de doctr. Christ. lib. 2 cap. 6. & lib. 4. cap 6.*

a Quintil. lib. 8. cap. 3. iuberent obscurare ea, quæ dicerent.[a] Sic Cardinales putant pro A summa eorum grauitate non adeo communibus uerbis, sed tantum abditis, atque intellectu difficilibus, tum submissiore etiam uoce uti debere, ut sicuti gradus sublimitate ab alijs differunt, sic exquisita dicendi forma, diuersos ab alijs se præbeant.

DENIQVE sunt alij, qui simplicem potius quendam sermonem ab omni prorsus ornatu, atque artificio remotum, a Cardinalibus requiri dicunt, ne dicendi illud officium, quod publicæ utilitati seruire debet, in uerborum flores & sermonis nitorem euanescat, sicuti olim in Areopago, nec præfationes, nec perorationes permittebantur, ut tota dicentis industria in rei ipsius substantia defigeretur.[b] Et Apostolus, se non in sublimitate sermonis, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis ad gentes accessisse, profitebatur,[c] cum regnum Dei non sit in sermone, sed in uirtute.[d] Ad quod & Græcum illud pertinet: *Loquere apertius, licet indoctius.* Hæc illi. B

b Arist. 3. Rhetor c. 1. & 16. Quintil. lib. 4. cap. 1.
c 1. Cor. 2.
d 1. Cor. 4.

NOS autem quoniam á singulis his opinionibus longe absumus, ideo ut clarius mentis nostræ sensum patefaciamus, illud primum animaduertendum censemus, ueterem esse sapientum regulam, non semper eandem omnibus in rebus loquendi rationem tenendam, sed pro uario rerum genere, de quibus agendum est, uarietatem quoque orationis adhibendam esse, cum sicut umbra corpus sequitur, sic & oratio ad rerum conditionem debeat se flectere, & accommodare. C

NOTANDVM præterea est, diuersas esse causas illas, quæ materiã multiplicem Cardinalibus offerunt loquendi in Consistorio. Nam exempli causa, Cardinalis, qui perfunctus est legatione sibi a summo Pontifice commissa, cum in Vrbem reuersus est, solet ea, quæ sibi in Legatione mandata fuerunt, quæ impleta, quæ necessitate suadente omissa, tum uarietates, accidentia, pericula, difficultates, & D huiusmodi alia multa, quæ se frequenter interiecerunt, ordine recensere. Quod quidem proprium quoddam orationis genus cum dignitate coniunctum, requirere solet.

FIT etiam sæpe, ut certo Cardinalium cœtui, ac Congregationi grauiora quædam negotia cognoscenda, atque examinanda Summus Pontifex committat, quæ deinde in sacro Consistorio referantur: quod munus solet ad eum, qui senior est, & caput illius Congregationis habetur, pertinere. Vnde id quoque non nisi longa, & continuata oratione absolui potest, ueluti si de Canonizatione alicuius Sancti: de expeditione aduersus infideles suscipienda: de uetere

Ciuita-

A Ciuitatum, aut Castrorum infeudatione, de generali Ecclesiæ reformatione instituenda, aut de alijs huiusmodi maximis negotijs, sit referendum.

SVNT & alia, quæ frequenter tractanda se offerunt, magni & ipsa ponderis, de quibus in Senatu statuendum est; & hæc cum uarijs capitibus sint distinguenda, longiorem etiam orationem desiderant, ab ijs præsertim, qui priore loco sedent, atque alios ordine antecedunt; sicuti & alia multa emergunt sæpe in genere deliberatiuo, siue præmeditate, siue ex tempore examinanda, quæ, pro rerum, & temporis conditione, dicendi campum nunc latiorem exposcunt, B nunc breuiore spatio contenta sunt.

SVNT alia denique quotidiana magis atque usu frequentia, in quibus nihil immorari oportet, & paucis comprehendi possunt: & inter hæc omnia, quædam etiam sunt, quæ ex scripto potius recitare, quàm ore memoriter referre Cardinalis eligit: quod quidem unicuique arbitratu suo licet, ut alias dictum fuit.

ET quamuis aliquibus uideri possit, breuitatem, aut prolixitatem non multum pertinere ad modum, aut ornatum dicendi, cum dilucide semper omnia sint explicanda; attamen certum est, ubi latius diffunditur oratio, ibi magis illius tum ordinem, tum per C spicuitatem apparere, cum alioquin in breui responsione concinnus, & aptus sermo uix ab impolito, & rudi dignoscatur. Vt enim in prægrandibus uel exculptis, uel depictis imaginibus, & simulacris, errata artificis facilius deprehenduntur, quàm in paruis: illa siquidem se tota membrorum distinctione intuentium oculis magis produnt; sic procliuius est in longa, quàm in breui oratione dicentis notare imperitiam.

TRIA igitur sunt illa, quæ hoc argumento quæri posse uidentur. Primum ad res ipsas pertinet, quæ dicendæ sunt. Secundum ad modum, quo hæc sunt explicanda. Tertium ad uerba, quibus Consi- D liarium uti decet, quamuis hæc ipsa distinctio non ita accurate, aut ad uiuum sit resecanda. Quod ad primum attinet, nos hic ea omittimus, quæ ad res inueniendas, probandas, & amplificandas, siue ad totam dicendi artem pertinent; non quòd dubitemus, quin hæc regendis consilijs maxime utilis, ac bono uiro digna sit censenda,[a] cum ex intimis sapientiæ fontibus eam fluere, atque optimos in dicente mores exigere auctores testentur;[b] non etiam quia illam Ecclesiasticis uiris indignam esse arbitremur, scientes S. Augustinum scripsisse, facultatem eloquendi in medio positam esse ad persuadenda uera, uel falsa; qua cum improbi ad praua docenda utantur,

[a] Quintil lib. 2.c.16. Arist. 1.Rhet.c.2.
[b] Cic lib.2.de orat. & de cla. orat. Quintil. lib. 12.cap.1. & 2.

 multo

multo magis decere bonos eandem ad ueritatis, & iustitiæ usum A adhibere;[a] & præterea uideamus magna eruditorum omnium commendatione, eorum scripta hodie celebrari, qui cum Christianis uirtutibus ualde essent insignes, atque de sancta Ecclesia optime meriti, præclaros etiam de Ecclesiastica Rhetorica commentarios posteris reliquerunt;[b] Verum cum de Cardinali, qui in sacro Consistorio dicturus est, agamus, non uidemus eum huic necessitati diserte, atque ornate loquendi subijciendum esse, sed potius, quod olim de Philosophis dictum fuit, non esse scilicet cultum dicendi ab eis anxie requirendum, sed, si adsit, non repudiandum, idem ad Consiliarios quoque, de quibus agimus, traducendum putamus, non ut or- B natum hunc oratorum, aut concionatorum more exerceant, sed tantum ut illius uenustatem ad usum suum, quantum eis licebit, accommodent.

a S. Aug. de doctr. Christ. lib. 4. c. 2.

b Lib. de Rhetor. Eccles. Illustr. CARD. VERON. & Lud. Granat. Dominic.

His igitur prætermissis, ad quæ Consiliarium nullatenus adigimus; uenimus nunc ad illud, quod in rebus, de quibus agimus, tractandis necessarium esse omnino ducimus. Id vero in primis est, ut quod sibi dicendum proponet, cum dignitate explicare contendat, quod decorū appellari solet, de quo scripsit Cicero: *Vt in uita, sic in oratione nihil difficilius, quàm quid deceat uidere: πρέπον appellant hoc Græci, nos dicamus sane decorum: huius ignoratione, non modo in uita, sed sæpissime in poematis, & in oratione peccatur.*[c] Et rursus alibi ait: *Qui quod* C *aut postulet tempus non uidet, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorū, cum quibus est, dignitatis, uel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur.*[d] Ideoq. nec studium illud in motu corporis, ac pronūciatione sibi impendendū putet, quod Rhetorum potius ex superiore loco pro concione loquētium esse solet,[e] sed eam tum moderationem, tum grauitatem semper tueatur, quæ Principis maiestati, lociq. auctoritati debetur. Deinde quod mente concepit, sic sibi proferendum esse sciat, ut illud in animum auditoris transmittat, atque intellectum Principis, ad D quem præcipue oratio dirigenda est, plane instruat. Vnde ueteres dixerunt, docere esse necessitatis: nam quamdiu non intelligit is, qui audit, potest existimare qui dicit, se adhuc non dixisse, ut ait S. Augustinus.[f] Ex quo sequitur (quamuis hoc ipsum etiam ad modum pertinere possit) Consiliarium quemcumque in primis eniti debere, ut quod ipse sentit, & animo comprehendit, audientibus quoque planum & apertum faciat.[g]

c Cic. in Brut.

d Cicer. de orat. 2.

e Val. Max. lib. 10. ca. 10. Quintil. lib. 11. cap. 3.

f S. Aug. li. 4. de doc. Christ. Cicer. lib. 2. de orat. & Quintil. lib. 3. ca. 5.

g Arist. 3. Rhetor. c. 2.

NEQVE uero satis esse putet sententiam suam de re proposita utcūque explicare, si enim cumulate officio suo satisfacere uult, illud

curare

A curare debet vt rationibus firmis, si occurrunt, illam confirmet, & argumenta etiam contraria cum res id postulat, diluere conetur. In primis autem, vt eo ordine cuncta dispenset, quo facile tum Princeps, tum alij Consiliarij ea, quæ dicit, percipere possint. quod quidem facile consequetur, si non temere, neque casu, ea, quę in mentem veniunt, proferat, sed quid primo, quid secundo, quid vltimo loco dici oporteat, attente, & diligenter consideret. Mirum enim est, quantum lumen rebus affetat ordo, quantumq. valeat non solum ad res memoria retinendas, verum etiam ad easdem plane, & dilucide apud ipsos Consiliarios explicandas.[a] Quemadmodum B enim palatium magnifice extructum, non tam exornat supellex elegans, & pretiosa, quàm illius distributio non confuse, & perturbate, sed congruis locis collocata;[b] eodem modo in explicanda sententia, non solum ea, quæ occurrunt, commemoranda sunt, verum in primis danda est opera, vt oratio neque confusa sit, neque perturbata, sed quidquid profertur, suum locum, & suum gradum tenere videatur. Vnde veteres dixere, sapientis esse bene ordinare, quę tractanda sunt.[c]

SEQVITVR nunc modus, quo res ipsa dicenda est, qui eò non pertinet, quo linguæ genere vtendum censeamus, non enim de hoc C dubitamus; cum Latini sermonis dignitatem in sacro Consistorio perpetuo obseruatam fuisse, ac tam in consultationibus, quàm responsis dandis, decretis sanciendis, Oratoribus Imperatorum, Regum, ac Principum quorumcumque excipiendis, alijsq. fere omnibus rebus gerendis inuiolabilem semper extitisse sciamus:[d] quod & antiquitus Romano populo maxime cordi fuisse, auctorum monumenta testantur, affirmantium, magna cum perseuerantia custoditum ab eis fuisse, ne Græcis vmquam nisi Latine responsa darent, nec in Vrbe tantum, sed etiam in Græcia, & Asia per interpretem eos loqui cogerent, vt Latinæ vocis honor per omnes Gentes vene- D rabilior diffunderetur.[e] Non etiam hic quærimus de modo pronunciandi, an voce tantum, an etiam per codicillum, aut calculos liceat suffragium ferre, de quo alibi egimus,[f] sed hic tantum de ratione ipsa dicendi disserimus, qua Consiliarij sententia erit explicanda, quæ quidem duo præcipue respicere videtur, nempe vt dicens, auditores delectet, tum etiam vt eos moueat, & flectat.[g] Hæc autem non quidem sic necessaria esse affirmamus, quemadmodum illud, quod de docendo diximus, ita vt si Consiliarius loquendo non delectet, aut non flectat, munus suum non bene præstitisse iudicetur, Verum id tantum significamus, quod cum consilia, & Senatus fuerint

a *Clem. Rom. li. 1 Recognit. Quintil li. 11. cap. 2.*

b *S. Greg. Nazianz. in orat. de moderat. in disput. adhibenda.*

c *Arist. lib. 1. & 3. Rhetor.*

d *Nicolaus I. ad Michaelem Imper. epist. 8.*

e *Val. Max. lib. 2. c. 2.*

f *In quæst. 40.*

g *S. Aug. li. 4. de doct. Christ. cap. 12.*

rint instituta non solum ut Princeps ipse ex singulorum sententijs, A quid magis Reipublicæ conducat, sapientius decernere possit, sed etiam ut omnes simul in Senatu collecti tamquam plurima lumina sibi cohærentia se mutuo illustrent, atque inflamment, auditisq. alterutrum rationibus, rectius, atque utilius consilium ex omnibus cõfletur. Idcirco hinc sequi illud dicimus, quo commodius, atque efficacius quisque hoc præstare poterit, [a] ita ut consilio suo alios doceat, & delectet, & flectat, illius iudicium præ ceteris commendandum esse cum tria hæc in sermone Ecclesiasticorum etiam uirorum si ex dignitate concurrant, magnos fructus populo Dei afferre soleant.[b] Quod & sacri Theologi peculiari Spiritus sancti munere diuersis fidelibus ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ interdum communicari tradiderunt.[c] B

ET si quis diceret, Consiliarij munus esse, explicare tantũ Papæ sententiam suam, non autem delectare, aut persuadere, quod alterius operæ est; Respondemus Consiliarium dupliciter considerari posse, siue tamquam priuatim consilium præbentem, aut tamquam in publico loco. Nam cum priuatim agit, potest utcumque sententiam suam proferre; at cum publice, tenetur in primis id agere, ut ab omnibus audiatur. Quemadmodum enim sacerdos, qui ad horas canonicas recitandas adstringitur; si eas solus, & in cubiculo suo persoluat, non peccat dum submisse, & quodam modo sibi ipsi tantum eas recitat: at, si in choro, hoc eodem officio fungitur, eas more chori, & clara voce ita proferre debet, ut ab alijs intelligatur: quæ Theologorum sententia est;[d] Sic & Cardinalis quando in Consistorio, de quo nos loquimur, tamquam in choro sententiam dicere debet, certum est, eam in primis sic ab ipso pronunciandam esse, vt alij omnes intelligant, eiusq. rationibus instruantur. Quod si ille tunc suffragij sui proferendi rationem sic accommodare nouerit, vt eosdem etiam, qui audiunt, delectet, & flectat; dubium non est, quãuis hæc ei necessitas non incumbat, longe tamen præstantius partes suas præstiturum esse, dum tamen id ab eo minime affectatum appareat, [e] nec modum vmquam in dicendo excedat: nam breuitas, vt ait Cicero, non modo Senatoris, sed etiam Oratoris magna laus est in sententia.[f] C D

TERTIVM nunc caput superest, quod ad verba pertinet, quibus Cardinalem in Consistorio vti deceat, cuius rei, cum campus admodum patens, amplusq. se aperiat, nos breuitatis causa, duo tantum attingemus, quæ tamquam extrema fugienda esse censemus. Alterum, vt omnis ostentationis suspicio vitetur, ideoq. non solum a flosculis

a S. Aug. de catbech. rud. ca. 10. & seq. tom. 4.

b S. Aug. li. 4. ca. 12. de doct. Christia. Aug. de Ancon. q. 107. art. 2.

c S. Tho. 2. 2. q. 177. art. 1.

d S. Tho. 2. 2. q. 83. artic. 12. Caiet. in sum. verb. hora canonica. in fin. Nauar. tit. de orat. & hor. canonic. cap. 17. num. 38.

e Quintil. lib. 12. cap. 9.

f Cicer. lib. 3. de leg.

sculis

A sculis uerborum, atque ab affectato omni sermonis nitore abstineat,
sed etiam caueat ne adeo exacte, ac exquisite, quæ dicenda sunt, con
texere studeat, ut quod ille dixit [a] ad perpendiculum oratio compo-
sita, nimiumq. lucernam olere uideatur. Alterũ ne vulgaria nimis,
rudiaq. uerba, quæ potius ex imperitorum hominum ore prodire
solent, in sacro illo, dignitatisque pleno loco proferantur; sed pu-
rus quidam, ac simplex, Ecclesiasticusq. sermo adhibeatur, [b] quòd
is Ecclesiastico homini, coram Ecclesiæ Senatoribus, de rei Ecclesia
sticæ tractatione mire aptus esse uideatur; & quod potissimum est,
ex eo tamquam sancti Spiritus instrumento, facilius rapi debeat au-
B dientium affectus, quàm ex alia quauis bene culta, atque artificiosa
oratione.

ILLVD quoque non prætermittimus, quòd sicuti quædã est elo-
quentia, quæ ætatem iuuenilẽ decet; quædam, quæ senilẽ (nec enim
dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis, ut præ-
clare S. Augustinus scripsit) sic certum est, non omnia uerborum or-
namenta, quæ alios decere possunt, Cardinalium dignitati congrue-
re: [c] Sicut enim monilibus, & margaritis, ac ueste longa, quę sunt or
namenta feminarum, deformãtur uiri, & uestes purpura, coccoq. ful
C gentes, non sunt senibus aptæ; sic non omni causæ, nec auditori, nec
personæ, nec tempori congruit, ut ait Cicero, [d] orationis unum ge-
nus, & ornatus ille, qui orationem aliquam illustrabit, alteram de-
struet, & uim rerum in contrarium uertet, nisi fuerit loco, & perso-
nis accommodatus. [e] Immo nec inter eosdem Cardinales, ætate gra
uioribus, seu auctoritate eminentioribus in dicendo ea conuenient,
quæ in ceteris ætate recentioribus, utcumque ferri possent, cum nec
idem calceus utcumque elegans, & pulcher, omnium pedibus, ut
Græcus ille dixit, conueniat.

NON obstant igitur quæ antea ex uarijs multorum sententijs
D tamquam contraria afferebantur; non primum, quòd a Christiano
homine nulla sit præparatio in dicendo adhibenda: nam notum est
prudentiæ esse prospicere finem, & comparare se ad ea, quæ fini illi
assequendo possint prodesse, [f] & ideo Saluator noster eo in loco
non prohibet, ne considerentur ea, quæ agenda, uel dicenda sunt.
non enim diuina inspiratio humanam excludit industriam, alio-
quin Apostolus se ipsum redargueret, qui, cũ Doctores operatione
Spiritus sancti fieri affirmet, Timotheo tamen, ac Tito, quæ eos do-
cere oporteat, accurate demonstrat, ut ait sanctus Augustinus: [g]
immo si prætermittat homo facere quod potest, solum diuinum
auxilium expectans, uideretur tentare Deum. [h] Quod igitur apud
sanctum

a Plutarch. in Politic.

b Clem Rom. lib. 1. recognit. Clem. Alexã. lib. 1. stromat. S. Cypr. libr. 2. epist. 2. S. Hieron. in ep. 125. ad Damas. q. 2. in fi S. Greg. Nissen. in vita S. Greg. Thaumaturgi post princip.

c S Aug li 4. de doct. Christ. c. 6. Plutarch. in lib. Polit.

d Cic. lib. 3. de orat.

e Quintil. lib. 11 cap. 1.

f S. Tho. 2. 2. q. 47. artic. 1. & 7.

g S. Aug. de doctr. Christ. lib. 4. c. 15.

h S. Tho. 2. 2. q. 53. artic. 4. ad 1.

sanctum Matthęum legitur: *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini* [a] non ad statum tranquillitatis pertinet, quo nos comparare ad dicendum possumus, & debemus, sed in ipso persecutionis æstu, in ipsisq. extremorum periculorum fluctibus accipiendum est, ne scilicet tunc animo deijciamur, sed in Domino confidamus: quod sanctus Gregorius tradidit.[b] Idemq. & Theophilactus pariter declarauit dicens: Si res agitur sedato animo inter fideles, dignum est, vt dicenda præmeditemur, paratique simus ad defensionem iuxta monitum sancti Petri: at si inter imminentia tyrannorum tormenta versemur, nostrum est confiteri; sapienter autem respondere, Dei.[c] Quod, præter alia a nobis supra hoc argumento tradita,[d] in præsentia dictum esse uoluimus. A B

a Matt. 10.
b S. Gregor. in registr. lib. 2. cap. 37.
c Theophil. in Matt. c. 10.
d In quæst. 30. in fin.

NON obstat secundum, quòd in Consiliario fides, & veritas potissimum inspiciatur. Nam cum consilium petatur in Senatu, non solum vt Principi, sed & alijs quoque Cōsiliarijs suffragetur, qui auditis rationibus instruantur, & moueantur: propterea plurimum refert, quo modo, quibus verbis, quo gestu, & motu corporis, id, quod mente conceptum est, in animos audientium transmittatur. Vnde Consiliarius si hæc prætermittat, quamuis mala fide id non agat, non tamen implet omnem officij sui partem, quia non subuenit ijs, quibus subueniendum esset ea ratione, & modo, quo oporteret. C

NON obstat tertium: nam qui consilia sua ex industria obscurare nituntur, aut verborum inuolucro, seu submissa nimis voce dant operam, ne ab alijs intelligantur, perspicuum est, eos muneri suo minime satisfacere, siquidē, vt ait sanctus Augustinus,[e] loquendi omnino nulla est causa, si, quod loquimur, homines non intelligunt. Et sanctus Hieronymus Iouiniani inuolucra damnans, dicebat: *At te non pertinet, si alius non intelligat quid velis, dicere, quia nō ad omnes, sed ad tuos loqueris;*[f] præsertim, quia qui sic perplexe, & inuolute loquuntur, plerumque id faciūt, ne videantur dissentire a Principe, cum tamen eos conscientia in contrarium extimulet, & ideo nullo pacto euadunt culpam hoc artificioso dicendi genere, immo maiorem illam sibi eo ipso adiungunt: nam cum a voluntate culpa gignatur, quo magis illa mente præparata fuerit, atque auctori ipsi placuerit, eo grauior haberi solet: & propterea qui arte, & industria huiusmodi sermones nectunt, aut ea vocis tenuitate vtuntur, vt consilium a se datum nec a Principe, nec ab alijs percipi facile possit, dubium non est maiori se crimine inuoluere. D

e Aug. lib. 4. de doct. Christ. cap. 10.
f Hiero lib 1. contra Iouin. & epistol. 51. ad Domnionē.

NON obstat quartum: nam immo inter eximias virtutum laudes,

A des,quas sacræ Litteræ de Domino Saluatore prædicant, eloquentia quoque eius enumeratur, non illa quidem fucata & varijs pigmentis expolita, sed diuina quadam vi ad animos permouendos, & illuminandos accommodata, vt verbis Ludouici Granatæ Dominicani vtamur, qui varijs auctoritatibus, atque argumentis hoc comprobauit.[a] Vnde & ornatus verborum congruus,& lingua eucharis a Salomone commendatur;[b] ad quam tamen adhibendam nos Consiliarium non necessario adigendum esse dicimus;sed sicuti etiam vasis fictilibus gratum conuiuium apparatur, & clauis ferrea ad claudendum vsui esse potest;[c] licet argentea, aut aurea instru-
B menta longe magis exornent, atque homines detineant; sic de prudentia dicimus, quæ sola potest etiam ad res grauissimas deliberandas valere, sed tamen cum ornatu coniuncta multo plenius, ac validius id efficiet. Vnde quando Apostolus se imperitum sermone professus est, & Regnum Dei dixit non esse in sermone, sed in virtute: non sentit ideo humanam eloquentiam prorsus ablegandam esse,[d] verum in ea non esse homini innitendum, sed virtuti Spiritus sancti.[e] Siue etiam illud accipiendum est, Regnum Dei non nudis verbis, sed virtute operum spiritualium commen-
C dari[f]. Siue quod ad Regnum Dei comparandum, non sufficit verbis illud prædicare, nisi virtutes dignæ Regno Dei adiungantur.[g] Æque etiam nec præfationes quascumque Consiliario semper interdicendas esse dicimus,sed tantum inutiles, atque ad inanem apparatum elaboratas. Nam alioquin tempus,locus, & eorum, ad quos loquendum est, dignitas, vix quandoque patitur, vt subito, atque illotis, quod aiunt, manibus loqui incipiamus. Quare breui aditu, & omni artificio semoto, Sanctorum Patrum exemplo sibi ad cetera di-
D cenda viam præparare non solum modestiæ, sed etiam prudentiæ documentum poterit prębere.

a Granat. to. 4. conc. 2. i Dominica 3. post Pentecost.
b Ecclef. 6. & Prou. 15.
c S. Aug. li. 4. de doct. Christ. cap. 11.
d Aug. de An con. q. 107 artic. 3.
e S Tho. 2. 2. q 177. artic. 1. ad 2.
f S. Ambros. in 1. Corint. 4.
g S. Chrysost. ibidem.

PARS

Ad dicendum in Consistorio sententiam, quis modus aptior sit iudicandus: an clara uoce, an secretis suffragijs, an ex scripto, siue qualibet alia commodiore ratione.

QVAEST. XL.

AD EVADENDAS difficultates illas, quæ Consilia A
rios a proferenda libere sententia retardare solét, de quibus in superioribus quæstionibus a nobis fuit disputatũ, sunt qui existimét nullum aptius, aut facilius remedium adhiberi posse, quàm si dicendæ sententiæ ratio immutetur. Nam si non compellantur Senatores uoce, apertisq. verbis consilia sua proferre, dubium nihil relinqui aiunt, quin statim impedimenta illa omnia concidant, quibus in consilio pronunciando plerique detineri solét. Quapropter, cum olim in rerum publicarum administratione, tum apud Romanos, tum apud Græcos, aliasq. Nationes, varia suffragio B
rum genera in vsu fuerint, iudicarent ipsi ex illis aliqua secernenda esse, quæ Cardinales ipsos ab omni culpæ periculo, atque inuidia liberarent. Ea autem multiplicia admodum fuisse, ex his cognoscimus, quæ varijs in locis ab auctoribus memorata reperiuntur, quãuis ex his quædam inter se non absimilia: alia etiam popularia magis, aut militaria quàm Senatoria videantur. Primum enim illud legimus, quod vsu frequens erat, videlicet clara voce sententiam dicere.[a] Secundum, ex scripto eam recitare.[b] Tertium, pedibus, seu per discessionem assentiri.[c] Quartum, sublatis manibus, quę χειροτονία C
vocabatur, rem probare.[d] Quintum, calculis albis, aut nigris, assensum, aut dissensum indicare.[e] Sextum, per fabas (quod tantundem fere est) mentem monstrare.[f] Septimum, folijs, & frondibus nominibus Senatorum inscriptis, quod Græce ἐκφυλλοφορία dicitur, rem declarare.[g] Octauum, per tabellam, aut schedulam, siue puncta annuere, aut renuere.[h] Nonum, rem sorte dirimere.[i] Decimum, signo externo veluti surgendo, aut caput aperiendo propositũ suum declarare.[k] Vndecimum, frameas, & tela concutere.[l] Duodecimum, clamoribus obstrepere.[m] Decimumtertium, sententiam diuidere.

a Gell. li. 4. c. 10. Bud. in l. fi. ff. de Senat & apud Historicos sæpe.

b Cicer. libr. 10. Famil. ad Planc. epi. 13. & l. 2. de clar. orat. Sueton. in Aug. cap. 84.

c Aul. Gell. li. 3. c. 18. Sue. in Tyberio c. 31.

d Xenoph. lib. 3. expedit. Cyri mino. Flau. Vopis. in vita Aurel. Imper.

e Elias Creten. in orat. S. Greg. Nazia. in laud. Herois Paul. Manut. ex Halicarnassao i l. de Comit. Romanorum.

f Plutar. in li. de liber. educ.

g Bud. in commen lin. Græc. Sigon. de Republ. Athen. lib. 2.

h Cicer. in Verr. 1. & 3. & lib. 3. de leg. i Hest. 3. & Act. 1. K Dictum fuit in quæst. 35. & 36.

l Tacit. de moribus German. m Q. Cur. lib. 10. & Thucid. lib. 1. belli Pelopon.

A uidere.[a] Et denique alijs multis modis, qui ab auctoribus enarran-
tur. Ex quibus omnibus putant hi, certum aliquod suffragij genus
excerpi posse, quod rei nostræ plurimum conduceret, & difficultates
fere omnes eximeret.

Nos autem quoniam hoc vnum, quo hodie vtimur, dum con-
silia clara voce pronunciantur, ceteris omnibus longe præstare ar-
bitramur; ideo, ut hoc certius demonstretur, aliquot ex superiori-
bus illis suffragiorum generibus, quæ aptiora videntur, atque ad rem
nostram magis accommodata, paulo diligentius examinanda esse
duximus, vt hinc quid magis probandum, ac consectandum sit cla-
B rius constare possit.

Verum si quis attente consideret; ad duo fere capita, ea omnia,
quæ superius relata sunt, rediguntur: aut enim aperta sunt, aut se-
creta suffragia. Aperta vocamus, quæ clara voce, aut externis alijs
signis, omnibus audientibus, seu uidentibus, & intelligentibus pro-
feruntur. Sectera, seu tacita, quæ in vrnam, aut pyxidem nemine
ea discernente clam conijciuntur. Atque hæc quidem tacita a no-
bis hac ratione appellantur, quod sunt alijs abscondita. Ex quo se-
quitur, hæc ab illis diuersa esse, de quibus supra egimus, cum de si-
lentio dissereremus.[b] Nam illa quamuis verbis tacita sint, externis
C tamen signis explicantur, vnde proprie non sunt illa secreta suffra-
gia, sed potius aperta, licet signis tantum expressa. At vero hæc, de
quibus nunc loquimur, ita sunt occulta, ut nulli alteri præterquàm
ipsimet, qui ea fert, sint perspecta. Sunt item diuersa hæc tacita ab
illis, quæ olim tacita S. C. vocabantur, ea enim ob id tacita diceban
tur, non quia clam prolata essent, sed quoniam ijs decernendis, ne-
que scribæ, nec serui publici intererant, & in sanctiore Senatu ha-
bita, alto silentio obtegebantur, nec extra Senatum vllis alijs enun-
ciare licebat, sed inter eos quasi in recessu seruabantur.[c] Quod e-
tiam apud Carthaginenses, Athenienses, atque alios quandoque
D obseruatum fuisse legimus.

Qvapropter nunc de duobus illis suffragiorum modis supra
relatis, videlicet secretis, & apertis agendum decreuimus, vt eisdem
vtrinque simul collatis, videamus, an expediret in sacro Consistorio
vrna potius, quàm voce Cardinalium placita discerni: quandoqui-
dem non desunt rationes, quibus occulta suffragia apertis videntur
anteponenda.

Idq. primum ex eo, quod per secreta certius multo, ac tutius ne-
gotijs ipsis consuli videtur, siquidem Senatores, cum sciant sua suf-
fragia non manifestanda, liberius agunt, nec precibus mouentur,

nec

a Cicer lib. 2. epist. 2. ad Lẽtul. in princip. Plin. lib. 8. epist. ad Aristonem.

b In quæst. 35. & 36.

c Capitol. in vit. Gordianorũ. Alex. ab Alex. genial. lib. 4. cap. 11.

nec minis terrentur: non odium, nō simultatem cuiusquam expauescunt: sic inimicitijs, ne oriantur, occurritur: non enim uindicta aduersus illum excogitatur, quem non constat aduersatum fuisse. Sic aditus ad ambitus, & largitiones occluditur, atque in summa cum ueluti remotis arbitris ista agantur, altercationes quoque multas, quæ ex suffragijs uoce prolatis subsequi solent, omnino præciduntur. Quam ob causam licet olim Romana Respublica per multos annos suffragijs apertis in Comitijs fuerit usa, tamen postea leges tabellariæ fuerunt latæ, quibus suffragia occultabantur, ut liberius quisque animi sui sensum depromeret, unde tabellæ hæ indices taciti libertatis,[a] seu uindices libertatis appellatæ sunt.[b] Et Cicero ait: *Si populo grata est tabella, quæ frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, ut, quod uelint, faciant, promittant autem quod rogentur, cur tu,* &cet.[c]

SECVNDO hunc ipsum morem suffragia ferendi non uoce populi, sed tacita alia ratione, ueluti sorte, etiam antiquissimis temporibus obseruatum fuisse ex sacris Litteris deprehendimus, cū Samuel diuina admonitione applicuit omnes tribus Israel, & cecidit sors super tribū Beniamin, & ita primus Rex Saul Israelitico populo constitutus fuit.[d] & Matthias in Apostolorū Chorū sorte pariter cooptatus.[e] Quod & apud uarias Nationes obseruatum scimus, qui suffragia occulta e Republica magis esse censuerunt: sed in primis apud Romanos Vespasiani Imperatoris tempore hoc idem declaratum legimus. Nam cum hæc altercatio de ratione ferendi suffragij occasione cuiusdam Legationis in Senatu accidisset, obtinuit Marcelli sententia, ut secundum uetera exempla, quæ sortem Legationibus posuerant, eo quoque tempore idem retineretur, & res non nominatim, sed urna discerneretur, ne ambitioni, aut inimicitijs locus relinqueretur.[f]

TERTIO hoc hodie scimus sacrosancto Tridentino Concilio diffinitum, ut in electione Abbatum, Generalium, Præpositorum, aliorum quorumcumque utriusque sexus, per uota secreta fiat electio,[g] ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Immo generalis hodie uidetur esse totius Ecclesiæ consuetudo, ut non solum apud Regulares, & Capitula Ecclesiarum, sed etiam apud alios Senatus, siue Collegia, non nisi secretis suffragijs id, quod proponitur, diffiniatur: quod quidem sapienter admodum receptum fuisse nobis persuadere debemus. Vnde multo magis in sacro Cardinalium Consistorio, quod uniuersorum Senatuum exemplar habendum est, omnia secretis suffragijs tractari deberent.

VERVM

a Cic. in orat. 2. de lege agr.
b Cic. lib. 3. de leg.
c Cic. in orat. pro Gneo Planc.
d 1. Reg. 10.
e Act. 1.
f Corn. Tacit. lib. 20. Annal.
g Concil. Trid. sess. 25. cap. 6.

A VERVM nos, quoniam hunc ipsum, quo hodie in sacro Consistorio utimur, dicendæ palam sententiæ morem, non solum perpetuo usu inuiolabiliter obseruatum, sed magna etiam, atque euidenti ratione subnixum esse nouimus; ideo nihil ab eo discedendum esse, omnino censemus; in quam sententiam magni & prudentes uiri, quorum iudicium exquisiuimus, nobiscum conueniunt.

NOTVM siquidem est, Cardinalium Collegium usque initio institutum fuisse, ut essent Summi Pontificis adiutores, & administri, eumq. consilio suo in primis adiuuarent, Constat item, sacrum Consistorium ob id etiam inuentum fuisse, ut eò Summus Pontifex una B cum Cardinalibus conueniret, ad eorumq. consultationem res difficiles, ambiguasq. deferens, auditis eorum rationibus, atque argumẽtis, certius de rebus posset deliberare. Ex quo sequitur, eorum munus in Consistorio id præcipuum esse, ut rogati non solum pronuncient quid sibi uideatur, sed rationes etiam addant, cur ita expedire iudicent, quibus tum Papæ idem suadere, tum etiam alios collegas in sententiam suam trahere queant, [a] hincq. simul iuncti, eò efficacius causæ publicæ ualeant suffragari: quæ quidem ab his minime præstari possunt, qui suffragijs secretis res decernunt.

[a] *Arg. l. si tres. § fi. de arbit c prudentiam. de offic. deleg.*

ACCEDIT, quòd magna rerum pars, quæ ad Consistorium defe- C runtur, eiusmodi est, ut non satis sit, affirmare, aut negare, sed multiplici indigeat inuestigatione antequam quid agendum sit, determinetur, veluti si de Ecclesiæ reformatione: de Regularium disciplina: de fœdere cum aliquibus Nationibus ineundo: de expeditione aduersus infideles parãda: de gymnasijs studiorum instaurandis: & de alijs huiusmodi, quibus occulta uota nequaquam sufficiunt: sicut nec rerum illarum tractationibus, quæ uarijs constant capitibus, magnaq. egent distinctione, in quibus diuidi rationes oportet, quod frequenter accidere solet, in rebus præsertim grauioribus. Qua de causa, cum & aliàs disputaremus, an silere in Consistorio D culpa regulariter haberetur; Respondimus, culpam in eo non solum uersari, quia, rogante Principe clara uoce sententiam alterius, debet is quoque palam quod sentit, & quare ita sentiat, profiteri; uerumetiam quia pleraque sunt, & præsertim grauiora, quibus tantũ abest, ut nudo silentio possit satisfieri, ut potius pluribus uerbis ac distinctionibus necessario sint explicanda.

CONFIRMATVR idem sententia, & auctoritate Ciceronis, qui de hac quæstione pluribus in locis agens, utrum publicæ rei magis cõducat, suffragia clam, aut palam ferri, sic in libro de legib. ait: *Ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut sit in suffragijs uoce*

Q *melius*

melius. Et paulo post: *Sic a me lex est recitata de suffragijs* OPTIMATIBUS NOTA, PLEBI LIBERA SVNTO, *quæ lex hanc sententiam continet, ut leges omnes tollat, quæ tegunt omni ratione suffragium.*[a] Huius autem rei ea uidetur fuisse ratio, quam idem Cicero sæpe attingit, quòd scilicet facile erat, corrumpi uiros improbos in secretis suffragijs, ut illis, quamuis nequissimis, adhærerent, pro quibus rogati fuerant: propterea quòd scirent suffragia eorum esse occultãda: at uero cum uerbis ea palam erant pronuncianda, tum uerecundia, & pudore deterriti non audebant publice facere quod secreto ausi fuissent: immo, quando bonorum sententiæ palam manifestabantur, isti exemplo eorum prouocati id sæpe prætermittebant, quod perperam facere decreuerãt. Itaque idem Cicero in eodẽ libro de legibus subdit: *Vt omittam largitione corrupta suffragia, non uides si quando ambitus sileat, quæri in suffragijs quid optimi uiri sentiant?*[b] Et rursus: *Suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potẽtibus, non latebra dãda populo: in qua bonis ignorãtibus quid quisq; sentiret, tabella uitiosũ occultaret suffragiũ.*[c] Et alibi: *Videtis in tabella iã ante quanta sit facta labes. Primo Gabinia lege, biennio autẽ post Cassia, uidere iam uideor Populũ Rom. a Senatu disiunctũ, multitudinisq. arbitrio res maximas agi.*[d] Et rursus: *Tabella est, quæ dat facultatẽ, occultat ea libidinẽ.*[e] Et idẽ ad Atticum scribens, ait: *Operæ Clodianæ pontes occuparant, tabellæ ministrabantur, ita ut nulli daretur, Vti rogas;*[f] quæ uerba sic eruditi uiri interpretãtur, Clodianos uidelicet maxime contendisse, ut Iudices suffragium tabella ferrent, nec ullis concederetur uoce illud proferre: nam cum multi essent corrupti, cupiebãt occulte ab illis suffragia ferri, ne possent notari: ex quibus apparet, ista occulta suffragia non caruisse magna suspicione, ut inde noceretur Reipublicæ, ac bonis, cum ita quisque posset occulte, & impune improbis suffragari. Vnde & Plato in suis legibus statuit, ut suffragia manifeste ferrentur.[g] Quinimmo & Hebræi adeo studiosi huius libertatis, ac perspicuitatis suffragiorum fuisse dicuntur, ut in ijs ferendis iuberent iuniores præire, inde seniores subsequi, quo adolescentes nullius, qui ante eos dixisset, auctoritate deterriti, aut sententia permoti, maiori cum fiducia sensum depromerent, quod & in Parisiensi Senatu obseruari solitum esse accepimus,[h] & hodie etiam in Camera Apostolica retinere uidemus. Quæ quidem ita a nobis paulo longius relata fuerunt, ut hinc perspiciatur, uerũ non esse absolute tacita suffragia utiliora, ac tutiora apertis esse.

SED demus etiam ex ijs, quæ uoce proferuntur, aliquid damni, aut periculi, siue offensionis ab aliquibus contrahi posse, certe, sicut miles cum classicum sonat, atque in certamen descenditur, si ad ca-

uenda

a Cic. lib. 3 de legib. Vers. proximum est de suffragijs.

b Cic. eod. lib. 3. de legib.

c Cic. ibidem.

d Cic. de amicit.

e Cic. pro Rabir.

f Cic. ad Att. lib. 1. epist. 12.

g Plato de legib. Dial. 9.

h Lyran. in Exod. cap. 23. Verb. nec in iudicio Hadria. Quodlib. 2. uersic. ideo pro responsione.

A uenda pericula abditum angulum quæreret, quo tela non peruenirent, esset irridendus; sic Consiliarius, qui publicæ utilitati, proprioque muneri suum quærit commodum præferre, indignus loco prorsus, quem tenet, uideri potest. Vnde supra sæpius a nobis dictum fuit, timorem, qui hac de causa suscipitur, ne alijs displiceat, quando publica res in periculo est, ualde iniustum esse, ac Senatorio uiro indignum: hincque beatus Petrus Apostolus dicebat: *Quis est, qui uobis noceat, si boni æmulatores fueritis? sed & si quid patimini propter iustitiā beati; timorem autem eorum ne timueritis, ut non conturbemini.*[a] Et S. Hieronymus: *Si uerum gratia dicere impedimur, & magis offendere animos* B *hominum timemus, quàm non ex animo loqui, de multorum uia sumus.*[b]

N o n obstat ergo, quod primo obijciebatur, occultis suffragijs libertatem, ac fidem consiliorum magis retineri; Nam respondemus, id uniuerse uerum non esse, immo consultationi, quæ plurium ratiocinationem exigit, repugnare suffragij latebrā: quomodo enim ex consilijs datis materiam sumet Princeps recte deliberādi, si rationes, & argumenta ad rem statuendam, ac diffiniendam illi sint ignota? aut quomodo Consiliarius persuadebit Principi id, quod sibi honestum, atque utile uidetur, si æquitatis, & iustitiæ causas silentio inuoluet? aut quomodo alios Consiliarios in suam pertrahet senten- C tiam, quam illis non aperit? aut quomodo ipsi id bene, ac satis ad rē fuisse dictum probabunt, quod prorsus ignorant? Quare ipsa consulendi ratio præsertim in publico Senatu intima ui postulat, ut clara uoce consilium Principi, & Senatoribus explicetur.

N o n obstat secundum: nam duo sunt eorum genera, quatenus ad rem nostram spectat, qui ius dicendæ sententiæ in Senatibus, & Collegijs habere solent: unum eorum, qui auctoritatem habent definiendi: alterum eorum, quibus ius tantum consulendi datur; illi uulgo dicuntur habere uotum decisiuum: isti consultiuum: illi, cum simul conueniunt, neminem habent, cui ea in re subijciantur, ideo D eorum uoluntas est obseruanda, & dicuntur præstare consensum, non consilium: isti habent, qui eis præsidet, & ideo præbent non consensum, sed consilium: quod consilium sequi Præfectus, ut alias diximus, non tenetur: unde priores possunt sententiam suam solo uerbo, P l a c e t, aut qualibet alia ratione, siue palam, siue clam, prout inter eos conuenerit, explicare: istorum, nisi uerbis, & rationibus, atque argumentis, quod sentiunt corroborent, & communiant, inanis ut plurimum; aut parum utilis opera redditur, paucis nonnullis casibus exceptis, quibus illa responsio posset sufficere, de quibus alibi diximus.[c]

a 1. Pet. 3.

b S. Hierony. in epist. ad Celan 14.

c In quæst. 37.

EXEMPLA ergo, quæ supra allata sunt eorum, qui res secretis suffragijs, aut fabis, aut calculis, seu punctis, aut sorte concludebant, ad eos ut plurimum pertinent; qui auctoritatem statuendi habebāt, nec ab alterius pendebant arbitrio. Quæ tamen non adeo in uniuersum affirmamus, quin aliter etiam quādoque se habere potuerint, cum & apud Pop. Rom. post leges tabellarias latas, quidam mallent uoce magistratus declarare, quo magis apertum esset suum suffragium, atque simul cum tabella uocem addebant: quod Cicero in Pisonem ostendit, cum ait: *Me uniuersa Ciuitas non prius tabella, quàm uoce priorem Consulem declarauit.*[a] Quod & alijs in locis innuit.[b] Quocirca deprehendimus, non solū multam in ijs suffragijs varietatem, sed etiam in hæc secreta multiplices fraudes irrepsisse, cum scribat idem Cicero, *Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami, ac nefaria.*[c] Et rursus: *Quid de cupiditate honorum loquar? quæ flāma est, per quam non cucurrerint ij, qui hæc olim punctis singulis colligebāt?*[d] Et Plutarchus in Cicerone: *Iudices non nulli cum sententias ferrent, confusis characteribus litterarum, tabellas protulere.*[e] Sed hæc nos breuiter tantùm attingere voluimus, quod ita propositæ quæstionis argumētum efflagitaret, cū reliqua, quæ ad huiusmodi suffragiorum mores pertinent, a Græcis, & Latinis scriptoribus tradita,[f] ex recentiorum etiam commentarijs abunde peti possint.[g] Hinc ergo patet differentia inter alios Senatus, seu Collegia, & inter sacrum Consistorium: nam Senatus, aut Respublica, quæ ius Principis, atque auctoritatem habet statuēdi, potest per vrnam, aut fabas, aut quacumque maline ratione, res suas diffinire. At cum de Consistorio agimus, cuius caput est Summus Pontifex, & penes quem est summa diffiniendi potestas, certum est, nullum secretis suffragijs locum dari, nec nos umquam ætate nostra aut vidimus, aut ab alijs accepimus aliter obseruatum fuisse.

a *Cicer. in Pison.*
b *Cic. orat. 2. de lege agrar. & li. 2. de ora.*
c *Cic. li. 1 accus. in Verr.*
d *Cicer. lib. 2. Tuscul.*
e *Plutarc. in Cicer.*
f *Polib. lib. 6. Dionys. Halicarn. Dio, Liuius, Cornel. Tacit.*
g *Paul. Manut. Sigon. Pāuin. Gruchius & alij.*

B

C

Et si quis diceret, generalem Congregationem Cardinaliū quandoque haberi, in quibus certa negotia occultis suffragijs terminantur; Respondemus, id semoto Principe accidere, quādo ille ex hac luce migrauit: quo casu Pontificijs cōstitutionibus permissa est Cardinalibus peculiaris facultas, quæ illis ius quoddā Principis tribuit: proptereaq; eum morem, seruant, ut antecedente prius matura inter eos consultatione, rem deinde fabis concludant, quæ optima rerum administrandarū ratio uidetur: & quandoque etiam scimus id Cardinalibus, superstite adhuc Pontifice, in rebus quibusdam leuioribus, & quæ ad eorum Collegium spectant, concedi. Verum hæc ab illis, semoto eodem Principe, geruntur, ita ut non proprie id Consi- D

storium

A storium vocetur, in quo non effulget præsentia, & maiestas Principis.[a] Nos autem de sententijs dicendis in sacro Consistorio loquimur, vt quod Reipublicæ vtilius sit, Principi significetur, indeq. ipse materiam iuste, atque honeste statuendi desumat: quod longe diuersum est. Quinimmo videmus, Summi Pontificis electionem, quæ omnium rerum deliberandarum est maxima, non solum per obsignatos codicillos, sed etiam per aperta suffragia, veluti per accessus, compromissum, inspirationem, & quasi inspirationem perfici, aut quacumque alia ratione placeat Cardinalibus votum suum exprimere.[b]

B Non obstat tertium: nam illud ad religiosos solum pertinet, qui in electionibus faciendis votum habent diffinitiuum, quod diuersum est a consultiuo, de quo agimus, vt modo dictum fuit. Præterea iustis rationibus Tridentinum Concilium de Regularibus specialiter constituit, vt per occulta suffragia electiones suas decernerent: etenim cum illi in eodem Collegio, seu contubernio viuant, simul quotidie versentur, & quisque alterius personã, mores, atque ingenium notum habeat, non fuit opus in electione eorum, qui illis præficiendi essent, aliam disquisitionem, aut consultationem adhibere, sed satis fuit statim ad ipsam electionẽ per occulta suffragia descendere. Quæ ratio non æque in alijs negotijs, aut Collegijs, seu Sodalitijs, aut Vniuersitatibus locum habet, quarum homines seiunctim viuunt, ideo idem electionis modus ijs minime præscriptus esse intelligitur: nam immo iure communi tradita fuit forma ab Innocentio III. in Concilio generali sancita,[c] quæ exigit quidem, vt scrutatores tres constituantur, qui secreto, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptum redigant, sed non eosdem adstringit, vt secreta prorsus suffragia ferant, cum immo electiones clandestinas reprobet,[d] & Doctores ibidem affirment, suf-

D fragia debere esse expressa voce, non per fabas, aut lupinos,[e] cuius rei etiam rationem explicant.[f] Et tandem non est nobis in præsenti disputatio de electionis forma, quæ varie se habere solet,[g] sed de aliarum rerum consultationibus, in quibus concludimus melius agi publico suffragio, quàm secreto.

Hoc igitur fundamento sic posito, videlicet, non solum satius esse in sacro Consistorio sententiam clara voce, quàm occultis suffragijs dicere, sed etiam nulla fere congruenti ratione aliter in mores induci posse.

Svperest nunc, vt eo maiore cum fructu hic suffragij aperti modus possit exerceri, nonnulla explicare, quæ dubitationem afferre

a Bal & Fulgo. in l. uniuersa. C de diuer. rescri. Rebuff. in Concordat. titu de Regia ad Prælatur. nom. in uerb. Consistorialiter. Boer. in addit. ad tract. de auct. mag. Consil. nu. 25. S. Ambr epist. 27. ad Valentinian.

b Inno. & alij in c. licet in fi. de elect. & Siluest uerb. electio. 2. q. 20. et 27.

c c. quia propter. de elect.

d d. cap. quia propter. § fin.

e Abb. c. Ecclesia 2. de electio nu. 7. But. & Anchar. in d. ca quia propter. & Sum. Siluestr. uerb. electio. 2. in 3. q. nu. 6 & q. 10. nu. 12. in requisit. 16.

f Sum. Siluestri. uerb. electio. 2. nu 6. & seq. & nu. 12.

g cap. licet de elect. Sum. Tabien uerb. electio. nu. 19. q. 18. & seq.

ferre possent. Cum enim ex his, quæ hactenus dicta sunt, constet, A oportere Senatorum sententias aperte proferri, quæri non immerito potest, An Cardinali conueniat sententiam de scripto potius, an memoriter tantum pronunciare. Offerunt enim se vtrinque rationes satis probabiles.

AC primum quidem quanta sit viuæ vocis vis, & efficacitas, nemo ignorat: pleni sunt enim Rhetorũ libri de pronũciatione, de voce, de actione, & totius corporis motu, quibus in rebus tantum momenti positum esse videtur, vt sine illis artem dicendi vix posse consistere arbitrentur. Quidquid igitur de scripto recitatur, languescit, & tamquam spiritu, & vita caret. Deinde Principis ipsius Maiestati detrahi videtur, qui cum omnes & singulos alloquatur, & sententiã B roget, singillatim vnumquemque sibi respondentem attendit: at mutui colloquij vis illa, quæ ex interrogatione Principis, & Senatoris responsione perficitur, aut in sententia legenda omnino tollitur, aut certe frangitur, & debilitatur.

ACCEDIT quòd superiorum Senatorum sententijs auditis, in illo ipso consulendi momento multa de nouo occurrere, a nonnullis discedere, quorundam saltem ordinem, & dispositionem immutare necesse est; Denique prudẽtis Consiliarij videtur, orationem nõ ita domo meditatã afferre, vt ad subitas, & si quando accidat, ad eas etiam, quas secundas vocant cogitationes, quę prudẽtiores interdum C solent esse, se ipsum accommodare nequeat. Atqui scripta oratio certis quoque limitibus est circũscripta, magnumq. omnino incommodũ allatura est, si quis ei penitus hæreat, quasi vinculis quibusdã constrictus. Quæ sententia sancti quoque Bernardi testimonio adstruitur, qui scripsit: *Solet acceptior esse sermo viuus, quàm scriptus, & efficacior lingua, quã littera, nec tam affectũ exprimit scribens digitus, quã vultus: non tam enim quid dicas, aut quibus verbis dicas, quã quo vultu, & actione dicas attendere homines solent.*[a] Plinius quoque inquit: *Neque enim me præterit, actiones, quæ recitantur, impetũ omnẽ, caloremq. ac prope nomen suum perdere, & præcipua pronunciationis adiumẽta, oculos, manusq. prædiri.*[b] Et alibi affirmat, *Difficile esse, vt oratio, dum recitatur, satisfaciat:*[c] & multa alia addit in hanc sententiam. D

POSTREMO non immerito suspicari quis possit, Senatoriæ grauitati parum consentaneum esse, vbi Princeps, vniuersusque Senatus magno silentio expectat eum, qui dicturus est præclarum aliquid ex tempore, eius ingenij acumine inuentum, in consessum depromere debere, tum illum e sinu pagellam domo aduectam quasi aliunde mutuatam proferre, affixosq. oculos perpetuo tenere, lumẽ inter-

a S Bernard. epist. 66.

b Plin. lib. 2. epist. 19. Cerealis incip. Hortaris.

c Plin. lib. 7. epist. 17. Celeri. incip. Sua cuique.

A interdum ad eius vſum quærere, & aliquando fortaſſe ita in legendo hęrere, vt ualde uerendum ſit, ne audientibus faſtidium pariat. hæc atque alia huiuſmodi afferre ſolent, qui graues homines a ſententia de ſcripto dicenda deterrere volunt.

Verum & altera controuerſię pars ſuis rationibus minime uidetur carere, quæ partim æquitaté quandam, partim etiam utilitatem reſpiciunt. Nam ſi quis ętate exacta iam ſit, & memoria nõ ita præſtet, nũquid non excuſatione dignus eſt, aut cõmendatione potius, ſi partes ſuas quacũque ratione ei licet, cumulate explet, & boni Senatoris officium non deſerit? Quid? numquid uiri prudétis magno
B rerum vſu præditi, optimo conſilio carendũ eſt, quia quæ animo, & cogitatione comprehendit, memoria ſatis complecti nequit? at hoc iniquum eſt, alienę calamitatis non miſereri, & cõmuni naturæ incommoda non humaniter excuſare: illud uero abſurdum, propter neſcio quam breuem aurium uoluptatem, quæ ex uiua voce & actione percipitur, potiora alia, quæ maxime requirũtur, & vnde graues deliberationes pendent, negligere, & optimæ ſententiæ vtilitate ſponte velle carere; quaſi hiſtorias, aut eruditos libros nõ legamus, ex quibus, licet quodam modo muti ſint magiſtri, vtiliſſima præcepta haurimus. Non igitur magnum incommodum eſt, ſi Senatoré
C ſententiam Reipublicę ſalutarem de ſcripto recitantem audiamus, Iuuenes memoria, ſenes conſilio excellunt: vt in iuuene conſilium non flagites, ita in ſene memoriam non magnopere requiras. Iam vero vbi multiplices rationes afferendæ ſunt, præſtat omnes ſcripto concludere, quã aliquas, vacillante memoria, prętermittere: Quid? quòd in re ualde graui, etiam ſi memorię ſubſidium non deſit, expedit, aut etiam quandoque neceſſarium eſt, certum eſſe totidem verbis ſententiam eſſe dictam, quot meditata fuit antea, & conſcripta, nihil additum, nihil imminutũ, cum vincat profecto diligens ſcriptura, quæ ſine accurata conſideratione, & meditatione conſtare nõ
D poteſt, ſubitam, ſponteq. fluentem orationem, quæ facilius aberrare, atque huc & illuc vagari poteſt.

Nam quod dicitur, parum decorum eſſe de ſcripto ſententiam dicere, id facile refelli poteſt: nihil enim in re ipſa indecori exiſtere, nec quidquã quod dicentis auctoritati, & grauitati repugnet ineſſe, certe ſatis declarant exempla magnorum virorum, qui a rebus indecoris agendis, & a perſonæ grauitate alienis longiſſime aberant. Nam & ſummos Pontifices, & Imperatores, & inſignes alios permultos viros, quos poſtea ſubijciemus, ſolitos fuiſſe de ſcripto cogitationes ſuas referre nouimus, ita vt nimis ſeueri hominis videri

possit hanc dicendi rationem omnino condemnare. A

His itaque utrimque prolatis, antequam sensum nostrum qualemcumque aperiamus, illud præfari oportere duximus, olim in Senatibus (quod nemo ignorat) multa accidisse, ad quæ ex tempore, & subita oratione erat respondendum, seu quia res antea Senatoribus non fuerat significata, aut forte quòd ex improuiso exorta, dilationem nullam pateretur. Tales uideri possunt conciones multæ, apud Liuium, Salustium, & alios: quæ cum de rebus repente emergentibus habitæ fuerint, non potuerunt antea Senatoribus significari: quamuis nec illud diffiteri liceat, eas non omnino, quales hodie leguntur, a Senatoribus recitatas, sed Scriptorum industria, & B facundia in eam, quam uidemus formam, redactas fuisse. Credi igitur potest, Senatores illos ingenij acumine, ac memoriæ præsidio munitos, illarum uim ex tempore expressisse. Sed uicissim etiam uerisimile est, multarum rerum argumenta, quæ in Senatu tractanda erant, multis antea patuisse, eosq. non solum quæ dicenda erant accurate præmeditatos fuisse, sed etiam illa memoriæ tradidisse: quod quidem a magnis uiris probatum constat,[a] immo aliquos extitisse, qui singula uerba ordine pronuncianda ediscerent: nam ut Quintilianus ait, *Si memoria suffragetur, & tempus non desit, nulla uelim me syllaba effugiat:*[b] sic etiam & Hortensium, & Portium latronem fecisse legimus, quamuis alij liberius agentes, ipsam tantum rerum uim, C atque ordinem memoria amplectebantur, prout de Demosthene refert Plutarchus,[c] qui dicere solebat, se non omnino sequi scriptioné ad dicendum, neque dicere tamen sine scriptione.

a Cice. lib. 2. de orat.

b Quintil. lib. 11. cap. 2.

c Plutarch. in uita Demosth.

Ex his illud postea sequutum fuit genus dicendi, de quo nunc agimus, ut scriptionem ipsam domi præparatam in concionem deferrent, atque ante oculos positam palam ex ipso libello, seu scripto recitarent. Sic Cicero de seipso testatur, cum scribens ad Plancũ ait: *Id ex ipso S.C. poteris cognoscere: ita est enim perscriptũ, ut a me de scripto dicta sententia est;*[d] & alibi loqués de oratione, quã habuit post reditũ D ab exilio in Senatu, hæc uerba profert: *Recitetur oratio, quæ propter eius magnitudinem dicta de scripto est.*[e] Ex quo loco colligitur, non solũ hãc, de qua ibi loquitur, sed alias multas fuisse a Cicerone de scripto dictas, cũ orationes aliæ sint multo longiores. Sic Fusium Calenũ fecisse idem Cicero auctor est, dũ inquit: *Hoc uero Q. Fusi sine offensione nostræ amicitiæ sic tecũ, ut a te dissentiens Senator quæro: ita. n. dixisti: & quidẽ de scripto, literas Bruti recte, atq; ordine scriptas uideri.*[f] Et loquens de Marcellino ait: *Proposita Marcellini sententia, quam ille de scripto ita dixerat, ut totam causam complecteretur.*[g] Sic Liuius etiam scribit, Fabium

d Lib. 10 Epistol. 13. Fami.

e Cicer. pro Gneo Planc.

f Cice. in 10. Philipp.

g Cic ad Att. lib. 4. epist. 3.

A *Fabium Pictorē responsum Delphicū ex scripto recitasse in Senatu.*[a] Et Plinius ad Valerianū inquit: *Nigrinus Tribunus Plebis recitauit libellū disertū, & grauē quo questus est, venire aduocationes.* Et paulo post: *Recitauit capita legū*[b]. Et Suetonius de Augusto illud memoriæ prodidit, *q, neq. in Senatu, neq; ad Populū, neq; apud milites loqutus est vmquā, nisi meditata, & cōposita oratione, quāuis nō deficeret ad subita ex tēporali facultate. Ac ne periculū memoriæ adiret, aut ī ediscēdo tēpus absumeret, instituit recitare omnia. Sermones quoq. cū singulis, atq. etiā cū Liuia sua grauiores, nonnisi scriptis, & e libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tēpore.*[c] Et idem in Nerone ait: *Quoties ad cōsultandū sederet, neq. in* B *cōmune quidquā, neq. propalā deliberabat, sed & cōscriptas ab vnoquoq. sentētias tacitus, ac secreto legēs, quod ipsi libuisset, perinde atque pluribus idē videretur, pronūciabat.*[d] Idē & alios multos obseruasse, ex varijs auctoribus comperimus,[e] ita vt non desint qui affirment, morem tum fuisse, Cæsare quamquam præsentem, scripto a ciuibus adiri.[f]

QVARE vt ad rem propositam reuertamur, quis modus ad dicendam in Consistorio sententiam aptior sit iudicandus: nos, si absolute loqueremur, non possemus id non probare, & ceteris anteferre: quod Quintilianus scriptum reliquit dicens, *Maximum studiorū fructum esse, & veluti præmium quoddam amplissimū longi laboris, ex tēpore* C *dicendi facultatē nactum esse.*[g] Quam quidem Cicero non sine admiratione in Philippo laudare solebat: qui cum ad dicendum surgeret, quod primum verbum habiturus esset, prorsus nesciret.[h]

Verum quoniam de eo nunc non agitur, nec id omnibus datur, aut necessarium censetur: ideo vt ad Thema propositum respondeamus, quo quæritur, an deceat magis Consiliarium sine libello, aut de scripto sententiam pronunciare, dicimus arbitrari nos, nihil in vniuersum definiri posse, sed omnia hæc tum ex dicentis ingenio, exercitatione, memoria, loquendiq. facultate, tum ex negotij, temporis, loci, & rerum reliquarum, quæ se offerre possunt, conditione, D æstimanda esse. Quid enim, si res paucis verbis explicari possit, & debeat? qualia frequenter ea sunt, de quibus in sacro Senatu sententiæ rogantur? & præsertim si in subsellijs inferioribus dicturi, nihil aliud, quàm maiorum dicta velint approbare? Quid hic necesse est libellum de sinu proferre: quod momento, si sapis, complecti possis? Contra vero: Quid, si gesta a Cardinale in magna Legatione sint referenda? Quid, si acta Canonizationis Sanctorum sint recensenda, vt de ijs Collegium ferat iudicium, & a Summo Pontifice approbetur? Quid, si alia sint, quæ longam orationem postulent, nec fidelis memoria suffragetur, eiusq. res momenti censeatur, vt in ijs

aliquid

a Liu. libr. 3. Decad. 3.
b Plin. lib. 5. epist. 14.
c Sueton. in Aug. c. 84.
d Suet in Neron. c. 15.
e Liu lib 40. Tacit. lib. 13. Cicer. de clar. orat.
f Corn. Tacit. lib 4. Annal. ubi de Seiano.
g Quintil. lib. 10. cap. 7
h Cicer lib. 2. de orat.

aliquid prætermisisse graue sit? Certe, sicuti negari ex una parte non A potest, quin uia ad expedienda negotia, & breuior, & promptior, atque usu ipso gratior, & quodam modo syncerior illa sit futura, quæ uerbis tamquam sponte manantibus, nec artificiose compositis con stet; sic ex altera parte certum est, ijs, qui de scripto dicunt, multa demi impedimenta, quæ alioquin ualde obesse possent.

ITAQVE omnibus undique consideratis, cum expedire id dicatur, quod aptum est ad finem consequendum sine impedimento;[a] Dicimus, quemadmodum prudentis erit Consiliarij uires suas, dicendi facultatem, memoriam, rem ipsam, locum, tempus, subsellijq. sui gradum metiri, atque ex his ad eam partem, quā aptius tractare possit, opportune se accommodare: sic eorum, qui audituri B sunt, modestiæ, sapientiæq. partes futuras esse, quodlibet siue ex tempore loquendi, siue memoriter pronunciandi, seu ex scripto recitandi genus, quod ab eo delectum, susceptumq. fuerit, benigne interpretari, atque æquis animis auscultare. Et præsertim cum de sacro Consistorio nos agamus, cuius usus pridem obtinuit, ut, quoniam ex improuiso multa frequenter proponuntur, subita etiam oratione a respondentibus excipiantur. Attamen si alia sint, quæ domo afferri possint longiorem sermonem requirentia, ea etiam aut in papyro digerere, aut breui schedula illorum saltem capita adnotare, C unicuique Senatori sua cum dignitate, atque auctoritate maxime licere scimus, nec id cuiquam aut mirum, aut nouum pro ueteri Collegij more accidere solere.

Ex his constat, ea, quæ supra dubitationis causa utrinque allata fuerunt, nec prorsus admittenda, nec prorsus reijcienda, sed pro uario rerum, quæ accidere possunt, usu, modo huic, modo illi parti deferendum esse. Nam & sanctum Gregorium quandoque Homilias coram populo protulisse, interdum eas ex scripto recitasse, modo easdem alijs legendas tradidisse, modo D a notarijs eo pronunciante exceptas fuisse, uarie multi ex eiusdem Auctoris scriptis colligere solent.[b]

[a] S.Tho.2.2. q.88. artic.4. ad 2.

[b] S Gregor. in præfat. in Ezechiel. & in præfat. homil. in Euang. & in Euang. homil. 21. & Io. Diac. lib.2. ca.18. & lib.4 c.74.

PARS

Cardinales rogati sententias, si ad beneplacitum Papæ se referant, aut sententiam suam Papæ iudicio submittant, an muneri suo satisfaciant.

A QVONIAM ualde frequēs solet esse hoc respōsionis genus in sacro Consistorio, ideo paulo diligentius de eo nobis agendū esse duximus, præsertim quòd id primo aspectu, magnā tū prudētiam, tum animi moderationem redolere uidetur, immo omnia fere ea complecti, quibus scita,& circumspecta responsio cum breuitate laudē promeretur. Nam siue eam ratione ipsius rei, de qua agitur, cō sideremus, siue, quatenus respicit personā Papę, aut ipsummet Cardinalem respondentem, aut etiam alios, qui ibi adsunt, Cardinales, QVAEST. XLI.
B perpendamus, plurimum specie ipsa eadem excellere uidetur.

Ac primum, quod ad rem ipsam attinet, quemadmodum illi, qui diuinam uoluntatem tamquam primam, ac potissimam rerum omnium regulam sequuntur, sapientes haberi solent; sic dici potest, Cardinalem, qui summi Pontificis iudicio, quod proxima est humanarum actionum regula, sibi in consilijs dandis adhærendum esse proponit, uideri potissimam muneris sui exercendi rationem amplecti,& se ab omni erroris periculo eximere, ac simul rei ipsi quàm optime, ac saluberrime consulere.

Quod vero ad Papam spectat, quamuis ille pro summa eius au-
C ctoritate,& perfectione humanis non indigeat laudibus, certum est tamen, eos, qui supremam illam, quam Omnipotens Deus ipsi in terris detulit potestatem, & agnoscunt, & fatentur, atque omnibus in rebus decernendis, se illi subijciunt, maxima dignos laude esse, qui diuinæ consentanea uoluntati,& uerbis, & factis præstare contendunt.

De ipsomet uero Cardinali respondente, quatenus Consiliarius est Principis, quid opus est multa proferre, cum paucis uerbis quid-

quid præstantius dici potuit, ad arbitratum Principis se referendo, A
fuerit complexus, indeq. & Cardinales reliqui illius exemplo optimam, ac tutissimam respondendi normam haurire potuerint?

VERVMTAMEN si hæc respondendi ratio attentius consideretur, licet aliquam prudentiæ, & modestiæ speciem præseferre uideatur, nihilominus culpa prorsus non caret, aut saltem Consiliario parum digna videtur. Ad quod probandum liceret nobis multa huc ex ijs deducere, quæ aliàs in secunda parte huius disputationis fuimus persequuti,[a] dum ostendimus eos, qui tacendi excusationes ex persona Papæ arripere conabantur, nitentes eius auctoritate, seu sapientia, ac perfectione, nihil agere; cum Cardinales in Cōsistorium uocentur, non ut audientes tantum cum ueneratione adsistant Papæ, sed ut de rebus propositis quid sentiant, libere loquantur, illumque consilio suo fideliter adiuuent. B

a In quæst. 7. & seq.

ILLIS tamen omissis, quod ad caput propositum pertinet, quoniam pro multiplici rerum uarietate, de quibus dubitare contingit, potest Cardinalis uarijs etiam ex causis adduci, ut sic respondeat, seque Papæ arbitrio subijciat; ideo, ut clarius quid statuendum sit, dignosci possit, multiplices erunt casus considerandi.

Primus est, quando res proposita minime a Consiliario probaretur, illeq. uidens animum Pontificis ad eam amplectendam proclinem, se ad beneplacitum Papæ referret; tunc dubium non est, nec ulla indiget disputatione, eum grauissime peccare, qui summo Pontifici, & sibi ipsi mentiretur, simulans se ea in re Papæ assentiri, a quo maxime dissentiret. C

Secundus est, quando res proposita Consiliario simpliciter probaretur, ipse tamen in responsione sua nihil aliud diceret, quàm se ad Papæ beneplacitum referre, & tunc illum quidem non damnamus mendacij, sed tamen ab officio aliqua ex parte discedere putamus, quandoquidem cum aliàs egimus,[b] qua respondendi ratione illi uti debeat, qui rem propositam uult approbare; eam potiorem semper habendam esse diximus, quæ nuda non est, sed rationes aliquas responsioni suæ adiectas habet, modo id res, & tempus patiantur. D

b In quæstio. 37.

SVBDIMVS præterea, supradictam responsionem non clare indicare alijs rem Consiliario probari, sed potius illum dubitare, & suspenso animo esse, cum sensum suum ad Papæ beneplacitum reijciat: consilium autem in publico Senatu petitum, & datum, requirit, ut Princeps, & alij intelligant quid Consiliarius de re proposita sentiat: Principi ad bene decernendum: alijs, ad recte consulendum.

ADDI-

A ADDIMVS, poſſe aliquos interdum reperiri, qui occaſionem celebrandæ Principis uigilantiæ, & ſapientiæ hinc libenter arripiant: quos non arguimus, ſi parce, ſi grauiter, & citra omnem aſſentationis ſpeciem id fiat, multoq. magis, ſi res, de quã agitur, id uere poſtulet, & quod dicenti auctoritatem affert, ſi idem res alias, quando probandæ non ſunt, ſuo tempore improbare nõ prætermittat. Nam qui in extollendis quandoque rebus non neceſſarijs, magna dicendi copia ſe effundunt, in reprobando autem quod maxime oportet, ſteriles prorſus, ac fere muti deprehenduntur, non poſſunt non aliquam conſilij parum liberi ſuſpicionem hominibus dare.

B Tertius eſt, quando res, de qua conſultatur, ita concepta eſſet, ut utraque pars Conſiliario probabilis, & neutra condemnanda uideatur. Verum hic reſponſio, de qua loquimur, licet non mendax, ſaltem imperfecta uideri poteſt, niſi ratio adiungatur, ex qua clare colligatur, utramque partem ſibi probabilem uideri, adiectis argumentis, quibus utrumque poſſe utiliter fieri, putet, cum alioquin exiſtimare alij poſſint, illum uſitato quodam more, & modeſtiæ ſpecie in gratiam Principis ita reſpondiſſe, non quia rationes utrimque probabiles ei ſuppetant.

Quartus eſt, quando id, quod proponitur, probaretur quidem C Conſiliario, ſed non omnino; vt quia aliquid addendum, vel minuẽdum putaret, quod tamen ceteris non aperiret, & ideo honorificentius ſe agere arbitraretur, quod ad Papæ iudicium omnia referret. Ceterum minime tutum eſt hoc perfugium, quando ſententiam rogatus, eam integre ſicut mente conceptam habet, extrinſecus non profert, prout officij ſui ratio poſtulat; immo detrimentum affert negotio, quando id, quod addi, aut imminui vellet, ſi fuiſſet prolatum ab eo, potuiſſet non modo animum Principis ad rectius deliberandum, & ſtatuendum mouere, ſed etiam alios ad melius conſulendum, & ratiocinandum excitare, cum in moralibus ſingulæ circum D ſtantiæ plurimum momenti habeant.[a]

[a] Ariſtot. 3. Ethic. c. 1.

Quintus eſt, quando id, quod proponitur, clarum ei videretur, nec alia diſquiſitione indigere: Verum nec in hoc caſu reſponſio illa ſatisfacit: nam cum res dubiæ, & non claræ ſoleant in Conſiſtorio proponi, ſi Conſiliarius eam tamquam euidenter claram cenſuit, non debuit ſimpliciter ſe ad Principis ſententiam referre, qui eam vt dubiam propoſuit: ſed de ea, vt ſibi ipſi clara, aperte pronunciare.

Sextus eſt, quando res Conſiliario obſcura potius viſa fuit, nec illius, quam oportuit notitiam nactus eſt, unde facile beneplacitum

Principis

Principis sequutus fuit, quod eum sciret optime nosse præ alijs quid A
expediret. Verum & hic respondendi modus non probatur, eo quia si rem obscuram, & sibi minus notam esse censebat, debuerat ille alia longe diuersa ratione respondere, quam aliàs persequuti sumus, cum de rebus obscuris, & ignotis ageremus, [a] aut saltem referendo se ad beneplacitum Principis, adiungere oportuerat etiam causam, cur id faceret, nimirum quia eam rem non satis perciperet propter hanc, uel illam rationem.

a In quæst. 19.

SVMMA hæc est, facile dubitari posse, ne qui ita respondent, ab eo, quod muneris eorum proprium est, aliqua ex parte discedant. Non est enim Consiliariorum munus approbare id, quod Princeps B
vult, sed diligenter perpendere, num expediat. Quare Senator, cui cordi est optimi Consiliarij personam sustinere, tantum abest, ut sequi in omnibus debeat Principis beneplacitum, ut etiam cum ipsi placet Principis sententia, non illam sequi solum debeat, quia Principis est, sed quia Reipublicæ conducit. Quemadmodum enim medicus, si aliquando medicamentum iucundum, & suaue præbet ægroto, non illud præbet, ut delectet, sed ut prosit, & morbum depellat; licet casu idem medicamentum, quod affert sanitatem, afferat etiam ægroto delectationem: eodem modo Consiliarius, si probat sẽtentiam Principis, non illam probare debet, quia est sententia Prin- C
cipis, sed quia negotio, de quo agitur, eam utilem esse putat, Immo si rem attente consideramus, licet existiment ipsi Consiliarij se uereri, & colere Principem, cum in omnibus amplectuntur illius beneplacitum, tamen non modo non uerentur, uerumetiam illi desunt, cum munus respondendi, & consulendi, quod eidem debent, & ab eo petitum est, non exoluunt. Illud enim certum est, Principem duabus quasi indutum esse personis, quarum una est cõmunis, eo quòd omnes participes sumus rationis: altera Principis propria, [b] cuius est, ita in Republica administranda se gerere, tantamque curam, & diligentiam adhibere, ut licet ipse plurimum in- D
genij acumine, rerumque usu, & prudentia ualeat, alios tamen uiros industrios, atque experientia instructos adhibeat, qui res graues circumspiciant, & quid utilius sit, diligenter explorent. Quare cum negotium aliquod magni momenti occurrit, quod Princeps putat, ad ipsos Senatores deferendum; certe quamuis ipse, ut gerit personam illam communem, de qua modo diximus, nimirum ut est homo rationis compos, ad hanc, aut ad illam partem fortasse statim inclinet: attamen ut Princeps adhuc sane dubitat, & assensum sustinet, donec Consiliarios audiat, & quid ipsi sentiant, & quibus ratio-

b Cicer. lib. 1. offic.

A rationibus nitantur, plane cognoscat. Quare non ego video, quod beneplacitum hi sequantur: si enim id sequuntur, quod Principi vt communi homini putant placere, certe parum honorifice cum eo agunt, quem habent, tamquam vnum de multis; immo ostendunt, se non eam habere rationem loci, & dignitatis, quam debent, cum ille ibi sedeat, interroget, ac consilium petat vt Princeps, deposita prorsus omni tum persona, tum cogitatione priuata. Si autem sequuntur beneplacitum Principis, vt Princeps est, vtique sicut in lyra nullus est concentus, nisi prius nerui intendantur, & pulsati resonẽt: sic nondũ potest dici illa esse sentẽtia Principis, nisi Senatores prius B audierit, quorũ cõsilio magna ex parte niti soler. Huc accedit quòd aut Consiliarij referunt se ad præsens beneplacitũ Principis, & tunc nullum adhuc est eius beneplacitum, quia vsque in eam horã nihil deliberauit; aut sentiunt de beneplacito futuro: & tunc, cũ responsio prorsus incerta sit, nihil omnino complectitur, dum ad id fertur, quod nondum natum est, & quale futurum sit, ignoratur.

PRAETEREA dubitare nonnulli solent, illos, qui hæc beneplacita facile amplectuntur, in suspicionem sæpe assentationis potius, quàm veræ assensionis incurrere: nam fideles viri non semper amicis placere, sed magis prodesse cupiunt, cum alij, qui ex animo C non diligunt, placentia vtcumque loqui festinent.[a]

Quibus addimus, quòd cum recta ad cuiuslibet rei consultationẽ respondendi ratio ea esse soleat, quæ vel affirmando, vel negãdo, vel id sibi non liquere fatendo, ad id, quod quæritur, aperte respondet; iste qui beneplacito consulentis se subijcit, nihil ex ijs facit, sed repetit idem quod fuit propositum; aut potius retorquet totum negotij põdus in Principem, se ipsum ab eo onere modestis verbis subducens: quorum, si bene perpendantur, hæc est significatio: Consilium, quod a me petis, tute tibi facile poteris præbere. Vnde sicuti accusandus esset medicus, qui ægroto opem ab ipso ad depellendum D morbum imploranti, responderet: Ipse curabis bene te ipsum; Aut si paterfamilias consilium ab architecto extruendæ domus efflagitaret, ille diceret: Potes tu domum arbitrio tuo facere; Sic Princeps, qui consulit alios, petens vt quisque dicat quid sibi videatur, si ei ab aliquo respondeatur: Refero me ad beneplacitum vestrum; dubitare potest ne ei voluerit illudere: nam satis ille nouit sensum suum, sed cupit amplius, vt consultius deliberet, aliorum etiam sententiam audire.

a S. Hierony. lib. 1. aduers. Pelagian. post med. S. Basil. epistola 83. ad Leontium. Plutarc. de discrim. adulat. & amic.

ITAQVE in hac responsione, si bene expendatur, plura sæpe vitia concurrunt: deficit enim iustitia, quia Consiliarius in negotio

Reipu-

a In quaest. 4. Reipublicę vtili, aut noxio, non pręstat verbis quod debet[a]; deest sę- A pe veritas, quia ex animo non loquitur: lęditur obedientia, quia non paretur Principi, aperte consilium petenti: claudicat prudentia, quę recte agendi rationem non seruat: charitas non colitur, quia proximus in necessitate consilij positus non iuuatur; & conscientia forte contemnitur, quæ illi aliquid longe melius, ac salubrius respondendum dictat. Et amplius etiam Principes ipsi hac responsione potius offenduntur, qui petentes ab alijs consilia, cupiunt intelligere illorum sententiam, cum satis suam norint. Vnde qui referunt se ad eorum beneplacitum, parum illis solent satisfacere: quod nos aliquando a SIXTO QVINTO sanctæ mem. tum in Consistorio, tum B priuatim in cubiculo audiuimus, dum respōsiones huiusmodi a Senatoribus, præsertim illis, qui præter ceteros prudentia excellere videbantur, prolatas non leuiter improbabat.

QVID vero, vt ad alteram Thematis partem respondeamus, si Consiliarius diceret, se suam sententiam Principis iudicio submittere, eritne ab eo recte responsum? Dicimus distinguendum esse. Nam si Consiliarius sensum suum de re proposita verbis non aperit, sed tantum dicit, se illum subijcere iudicio Principis, perinde est, ac si ad eius beneplacitum se referret, & ita nihil agit, vt modo disputauimus. Aut loco suo sententiam dicit, & in eius calce sub- C iungit eiusmodi verba, vrbanitatis, seu humilitatis cuiusdam causa: & tunc si ille quod opus erat, non plene responsione sua complexus fuit, non est quòd existimet eo humilitatis additamento se

b In quaest. 8. obligationi propriæ satisfecisse: siquidem aliàs declarauimus,[b] non esse humilitatis specie id prætermittendum, quod proprij officij est, neque hanc esse vere humilitatem, quæ munus sibi assignatum deserit. Quòd si responsio pro viribus iudicij sui congruens rei propositæ sibi visa fuit, tunc poterit extrema illa verborum accessio æquius sustineri, non quia aut necessaria, aut valde commendanda videatur, cum clarum satis sit omnibus, ea, quæ a Consiliarijs D proferuntur, subiecta prorsus esse voluntati Principis; immo eorum sententiam proponi Principi, tamquam materiam, quam aut reijciat, aut ex qua eliciat, si quid ei e re esse videbitur. Et propterea, cum hæc verba fere sint superuacanea, cautius multis uideri solet, si omittantur, non solum quia otiosa sunt, sed etiam quia suspicionem præbere possunt, eos, qui sic loquuntur, existimare Principem iniuriam quodam modo Senatori facere, si eius sententiæ nō adhæreat, & ideo Senatorem uoluisse his uerbis Principem præuenire. Nos tamen ad tam exactam normam hæc reuocanda minime pu-

tamus,

A tamus, ſed potius interpretandum,ea ad omnem temeritatis ſuſpicionem auertendam prolata eſſe, ne cum coram tot Senatoribus ſuffragium ſuum clara voce tulerit, exiſtimet aliquis ſuum ſe alijs iudicium anteferre, & ideo cupiat non ſolum Principem ipſum, ſed tacite quodam modo alios etiam collegas ſuos illius iudices, atque æſtimatores eſſe.

NEQVE obſtant quæ initio adducebantur: nam ad primum, quo dicebatur, ſapientis eſſe, voluntati, ac ſententiæ Principis tamquam proximæ humanarum actionum regulæ adhærere; Reſpondemus, id verum eſſe, ſi certa, & deliberata, & rationi conformis ea
B proponatur; at hic vt dubia refertur, & quæ conſultatione indigeat.

Et ſi quis replicaret, quòd, cum dubia ſit cauſa eo magis iudicio Principis, vt omnium ſapientiori, ſit adhærendum; & præſertim cũ dubitationes omnes ad ſedem Apoſtolicam deferri ſoleant, vt Papæ ſolius iudicio definiantur; Reſpondetur, hoc iudicium Principis adhuc incertum eſſe, &, cum conſilium in præſenti petat, neceſſitatem dandi conſilij ſibi tamquam Conſiliario tunc imminere. Ex quo ceſſant & reliqua in contrarium ſupra obiecta.

QVÒD ſi fortaſſe idem Conſiliarius de re propoſita ipſe ſecum dubitaret, tunc quid ei agendum ſit, ſuo loco diſſeruimus.[a] *a In quæſt. 29.*

C DENIQVE, vt concludamus, ſi Conſiliarius beneplacitum, ac iudicium Principis ſequi ſine errore cupit, & publicæ rei ſaluberrime conſulere, Prophetam Dauidem imitetur, qui ad ſupremum omnium Principem conuerſus dicebat. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, et iudicia tua doce me.*[b] Si enim ipſe libere id, quod ſentit, & fideliter loqui velit, fluet tamquam imber eloquium eius, & dabit ei Dominus, vt notam faciat omnibus voluntatem ipſius.[c] *b Pſal. 118.*

D *c Deut. 32.*

Quid de ijs ſentiendum ſit, qui ſe maiori parti Collegij ſubmittunt.

QVAEST. XLII.

QVONIAM varijs rationibus in ſuperiore quæſtione firmare contendimus, Conſiliarios non præſtare integre munus ſuum, quando malunt ſe ad Summi Pontificis arbitrium reijcere, quàm propriam ſententiam pronunciare; poſſet fortaſſe quiſpiam ſuperuacaneam alteram hanc quęſtionem ſuſpicari, quam nunc proponimus: quia ſi ſequi Principis ſententiam, ad eiusq; beneplacitum ſe referre, non liberat Conſiliarium a debito reſpondendi munere, cum tamen in Principe non modo ſumma poteſtas, ſed eximia prudentia emineat; multo minus hoc ei proficiet, qui ſe ad aliorum quorumcumque arbitrium referre voluerit. B C

DVO igitur ſunt in præſenti a nobis explicanda: alterum eſt Conſiliarium hunc, de quo nunc agimus, longe probabiliorem priore illo cauſam tueri: alterum, nec hunc ipſum reſpondendi modum huic Conſiliario ad munus ſuum implendum ſufficere.

QVARE, vt a priore initium ſumamus, certum illud eſt, Conſiliarium, qui ſuffragium ſuum totum poteſtati Papæ ſubijcit, nihil de ſuo addere, perindeq. eſſe, ac ſi in Conſiſtorium non acceſſiſſet: nam cum Papa res tantum dubias proponat, ille, qui eius opinioni ſe adhærere fatetur, illum in eadem dubitatione confirmat, & potius eam auget, quàm illam eximat: At uero qui ſe cum maiori Collegij parte coniungit, eorundem rationes probat, calculoq. ſuo corroborat, illisq; adhæret, qui dubitationem propoſitam ſoluere, & publicæ rei prodeſſe contendunt. Hincq; ceſſat obiecta illa ratio; Quòd ſi Papæ arbitrio non licet hærere, multo minus cæterorum quorumcumque: nam tunc poſſet hoc admitti, ſi certa eſſet Papæ ſententia, isq. auctoritate ſua rem propoſitam decerneret. At cum eum dubitantem ponamus, & ita dubitantem, vt aliorum velit iudicia explorare, ſequitur, eos, qui animi ſui ſenſum quoquo modo ad boni communis utilitatem explicauerint, & muneri ſuo ſatisfeciſſe, D

A ciſſe, & Papæ voluntati obtemperaſſe, & cauſæ publicæ, quæ in periculo verſabatur, quantum in eis fuerit, ſubueniſſe.

NVNC de ſecunda dubitatione agendũ eſt, quæ magis ambigua videtur, an ſcilicet Cardinalis ſic reſpondens, munus ſuum impleuiſſe cenſeatur. Cui quidem dubitationi, vt plenius ſatisfaciamus, nonnullis difficultatibus prius occurrendum duximus, quæ aliquorum mentibus poſſent ſe offerre. Nam cum de maiori parte Collegij fiat mentio, explicandum illud videtur, quomodo hæc maior pars ſit accipienda: Ac primum, an Conſiſtorium certo Cardinaliũ numero conſtet, ita vt ex illius Catalogo, quæ maior ſit pars, ſtatim B colligere liceat: Secundo an ad numerum tantum, an potius ad merita, ætatem prudentiamque ſit reſpiciendum: Denique ad diſcernendam hanc maiorem partem, an præſentes tantum in Conſiſtorio ſint æſtimandi, an vero totius Collegij in vniuerſum ratio ſit habenda.

SED antequam ad primum caput accedamus, operæ pretium erit, antiquorum morem in medium adducere, & in primis Romanorum, qui præter ceteros auctoritate, & rerum geſtarum gloria floruerunt. Perſpicuum itaque ad S. C. faciendnm, adeo certum Senatorum numerum fuiſſe requiſitum, vt cum aliquis ex Senato-C ribus impedire cuperet, quo minus S. C. fieret, diceret Conſuli: NVMERA SENATVM, vt ſcilicet, ſi tot non eſſent Senatores, quot requirebantur, expectaretur alius dies.[a] Qualis quantus vero hic numerus eſſet, non facile eſt diſcernere, ſiquidem Senatores primum a Romulo centum, deinde a Bruto Conſule ducentos creatos fuiſſe conſtat.[b] Verum eundem numerum ſæpius poſtea variatum fuiſſe comperimus, & vſque ad trecentos;[c] deinde vſque ad quadringentos decem perueniſſe,[d] & Cæſaris ætate, & poſt cædem Cæſaris amplius mille fuiſſe, Auguſtumq. ad modum priſtinum, & ſplendorem eos redegiſſe,[e] & cogitaſſe etiam trecentos D dumtaxat ex antiquo more conſtituere; ſed offenſionis vitandæ cauſa ſunt qui litteris tradant ſexcentos reliquiſſe.[f]

QVAPROPTER ex hac Senatorij numeri varietate illud quoque dubium nobis relictum eſt, quotnam ex ijs ad legitimum Senatum conſtituendũ neceſſarij fuerint, ita vt quę in eo decernerentur, rata haberentur: nam traditum eſt, lege Cornelia cautum fuiſſe, ne quis in Senatu ſolueretur legibus, niſi ducenti adſtitiſſent.[g] Alij ſcribunt, Auguſtum, cũ videret Senatũ nõ ſemper frequentẽ cõuenire, decreuiſſe, ne eius cõſulta a paucioribus, quã quadringẽtis fierent.[h] Et Liuius vbi dę Bacchanalibus loquitur,[i] videtur

a Feſt. Pomp. lib. 12.
b Liu. lib. 1. Tacit. lib. 11. poſt orat. claudij Cæſar
c Dio lib. 54.
d Cicer. in 2. orat. poſt redit.
e Suet. in Auguſt. c. 35.
f Dio lib. 54.
g Aſcon. Ped. in orat. pro Corn.
h Dio lib. 54. in fin.
i Liu. lib. 39

A Ad Secundum igitur articulũ accedentes, quomodo maior Cardinalium pars sit discernenda, an scilicet singulæ personæ sint recensendæ; an potius illorũ merita sint æstimanda, ita vt eorum suffragia non numeranda, sed potius ponderanda sint, cum nihil sit tam inæquale, vt inquit ille, quàm æqualitas ipsa, dum.s.par est omnium ius, vbi eorundem impar est prudentia; [a] Respondemus, nihil in hoc esse laborandum, nam tametsi iure communi receptum est, vt pro causarum varietate, in quibusdam ad numerum tantum, in alijs præter numerum, etiam ad virtutum merita sit respiciendum, [b] attamen in Collegio Cardinalium, cum illi, qui in amplissimũ hunc B gradum adsciti sunt, a communibus quibusdam aliorum erroribus immunes esse censeantur, non solet inter eos discrimen vllum in recensendis suffragijs considerari, [c] licet nõ impediat hoc quominus, si summo Pontifici videbitur, non possit ille pro singulari sua prudentia eorum consiliorum, quæ in Consistorio feruntur, delectum habere, & quæ sibi pro loco, & tempore honestiora, & opportuniora videbuntur, quamuis pauciora sint, alijs anteferre. [d]

Graviorem illud difficultatem habere posset, quod tertio loco quæsitum fuit, an ad discernendam maiorem partem, præsentium tantum in Consistorio, an vero totius Collegij ratio sit ha- C benda; si hoc ex Doctorum regulis, vbi de Collegiorũ, ac Senatuum decretis agunt, esset diffiniendum: siquidem multiplices ea in re distinctiones adhibere solẽt. [e] Verum in articulo, de quo nos agimus, minor est difficultas, cum, vt supra diximus, Consistorium Cardinalium non sit eius ordinis Collegiorũ, quę ius definiendi habent, aut quæ præscriptum numerum, seu certam formam ad decernendum aliquid requirunt: nam a summi Pontificis auctoritate, ac voluntate æquitati cõsentanea quidquid gerendum est pendet, nisi paucis quibusdam casibus, quæ Canonicis constitutionibus continentur. [f] Quapropter præsentium tantum Cardinalium & rogatorum cõsilia D spectari, ac recenseri solent, nisi quãdoque permittente Principe, absentium quoq; iusta ex causa rationẽ haberi æquitas suadeat, quod loco suo, cũ de absentibus agetur, attingere non prætermittemus [g].

Nunc igitur postquã satis, quantũ materia postulare visa fuit, declaratum a nobis est, quomodo maior pars Cardinalium sit accipienda, superest iam, vt ad id, quod præcipue in Themate quęstionis propositum fuit, explicandum reuertamur, quid scilicet de ijs Cardinalibus sentiẽdum sit, qui se ad maiorem partem Collegij reijciunt, an hi munus suum implere censeantur. Quod quidem prima facie affirmandum videri posset: nam si quis graues viros interroget, an

a Plin lib. 2. epist. 12.

b Abb. in c. Ecclesia. il 2. nu 11. & 13. de elect Fel. c. cum omnes. de constit nu. 17. & 19.

c Bald c cum omnes. de const. num. 12. Abb in c licet de vitanda de elect nu. 8. in 6. speciali.

d Card. Papien in epist ad Cardinalem Mant fo 157.

e Ioan. Andr. c. 3. de iur patro & Ant de Butr & Cardin. ibidem in 7. q Fel c. 1. de maior. & obed Lamber. de iur patr in 3. par 2 lib. 4. q princ. art 2.

f cap licet de. elect c ubi periculũ de elec. in 6. & Bulla PII IIII. de elect Summi Pontif.

g In quæstio. 47.

prudenter ille faciat, qui se alieno multorum præsertim hominum sapientum, quàm proprio iudicio regendum cõmittit; Respondebunt sane, illum non modo non errare, sed laude etiam magna dignum esse, quippe qui id sibi sequendum proponat, quod plures sentiunt, veluti inter diuersas opiniones solet ille commendari, qui cõmuni sententiæ tamquam tutiori parti adhæret, sic videmus in iudicijs obseruari, sic in Senatibus, sic in Collegijs, sic in sacro Rotæ Auditorio, sic vbique apud omnes receptum esse Doctores attestantur. [a] Cum igitur quod a maiori parte probatur, ab omnibus probatum censeatur, [b] propterea in præsenti quæstione, Cardinalis, qui in sua responsione se ad maiorem Collegij partem reiecit, videtur sane officio suo non solum recte perfunctus, sed etiam magnum moderati, ac sapientis animi argumentum præbuisse. A B

a c nouimus. de verb signif. l semel. C de pæn iud. qui mal iud. las. in auth nouissima num 22. C. de inoffi testa. Neuizan. in Sylua lib 5. late

b l aliud § refertur de reg. iur & l quod maior ad municip.

ATTAMEN contrarium potius verũ esse arbitrabuntur, qui rem plenius introspexerint, ac statum ipsum quæstionis sibi ante oculos posuerint. Agimus siquidem de eo Consiliario, qui rem a Principe propositam minime probat; cumq; aliàs ostenderimus, quoties ille agnoscit conscientiam suam rebus, de quibus agitur, repugnare, cum silentio minime excusari; sic idem & in proposito, quãdo ille maiori se Collegij parti subijceret, affirmandũ esse censeremus. Quamuis enim hic paulo æquior, atque honestior respondendi modus videatur, non tamen re vera officio Consiliarij ille satisfacit, qui sic loquitur; cum eius fuerit electa industria, ut eam ibi exerceret, non vt absconderet; vt ipsemet loqueretur, non vt alios tantum spectaret loquentes: vt humerum ponderi supponeret, non vt totum onus in alios transferret: & præsertim si conscientiam sentiret reclamantẽ, oporteret illud, quod ea interpellat palam profiteri, nec sufficeret, tacendo tergiuersari. Itaque vix alias fortasse licebit Consiliario, se ad maioris partis Collegij sententiam referre, præterquàm cum negotium licet sibi vere dubium, & difficile videatur, rei natura diligenter considerata, de quo aliàs egimus; [c] tamen ipse iudicat tunc sane opinionem aliorum re ipsa esse probabilem, aut adeo plene rem ab alijs iam esse examinatam, vt superuacaneum sit eadem iterare. C D

c In quæst. 29.

QVA tamen in re illud animaduertendum videtur, etiam in rebus dubijs hoc respondendi genus, quo se Consiliarius ad alios reijcit, non æque omnibus conuenire. Nam qui priorem in dicendo locum tenent, atque ætate, & rerum vsu alios antecellunt, tametsi quæstio illis valde anceps, & difficilis proponeretur, vix tamen eos deceret, vt nondum cognito Collegij sensu, ipsi nihil loquentes, se ad maiorem eorum partem, qui nondum dixerunt, referre vellent, quin po-

A tius eorum auctoritatis esse videretur, rem tamquam ambiguam alijs denunciare, & quæ vtrinque essent dubitationes illis aperire, potioresq; simul rationes summatim perstringere, vt tum eorum maturitas in referendo, tum prudentia in dubitando, assensuq. cohibendo, tum ambiguitas in re ad alios reijciendo, clarius dignosceretur.

ILLIS vero, qui subinde dicturi rem plane controuersam agnoscerent, ac quorum conscientia, auditis etiam multorum sententijs, ob aliquem adhuc hærentem scrupulum non satis in alterutra parte conquiesceret, existimaremus licere pariter cum maiori aliorum parte conuenire, ac sequi virorum proborum, ac sapientum probabilem B sententiam: immo si rationes a Cardinalibus vtrinque adductas viderent ex æquo esse admitti posse, tunc in quam maluerint partem licere eis inclinare, dubitandum non est. Et quamuis inter plures sententias magis, & minus probabiles, probabiliori adhærēdum sit, illos tamen, qui probabiliore relicta, aliquando minus probabilem, honestam tamen, & Reipublicæ vtilem amplecterentur, tametsi ex humano aliquo affectu in eam ducerentur, non desunt grauissimi Doctores, qui a culpa liberos esse putent.[a]

QVOD si cognitis iam magna ex parte suffragijs, illi, qui inferiore loco dicunt, animaduerterint, quidquid ipsi secus ab alijs pronunciaturi essent, nihil omnino profecturum: propterea quòd ea si C sacri Consistorij consuetudo, vt quod a maiori Cardinalium parte probatum fuerit, ratum habeatur; Dicimus tunc etiam si eorum cõscientiam non obstantibus aliorum rationibus, atque argumentis, contrariæ adhuc parti hærere senserint, minime tutum illis futurum esse, si sese maiorem partem retulerint,[b] cum scriptum sit: *Ne in iudicio plurimorũ sententiæ acquiescas, vt a vero denies:*[c] quod paraphrasis Chaldaica ad internum mentis iudicium, & alij Doctores referunt;[d] Vnde & sanctus Augustinus ait: Non minus ardebunt, qui cum multis ardebunt;[e] & Aristoteles inquit, loquendum D esse vt plures, sentiendum vt pauci;[f] quod eo magis a Senatoribus præstandũ est, qui norunt opinionũ discrepantiam non soluere verã amicitiam.[g] Sic legitur Michæas propheta fecisse.[h] Nam cũ quadringenti prophetæ consiliũ darent Regi Achab, vt in bellũ descenderet, victoriã ei prædicentes, dictumq; esset Michææ: *Ecce sermones Prophetarum ore vno Regi bona prædicunt, sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Nihilominus solus Michæas contra oẽs alios, & contra Regis voluntatẽ, verũ, quod sibi videbatur, consilium dedit: non enim voluit inter pusillanimes censeri, qui quærẽtes pacẽ suã nolunt opponere se murũ pro domo Dei,[i] quod eo magis

a Medin. 1. 2. q 19 art 6 conclus 3. Sot. in 4 dist. 18. q. 2. art. 5. Nauar. in Manual c. 26. nu. 4 & c. 27 nu 281. & in c. si quis autẽ. num 34 & 78 de pœnitẽ. dist. 7.
b Inno c. 1 de his quæ fiunt a maiori parte. Caiet verb restitutio cap. 1. vers attende.
c Exo 23.
d Oleast. Lusit Pepin in d. c. 23 art 6.
e S Aug homil 50.
f Arist Topic. lib c 2.
g S Tho 2. 2. q 37 art. 1.
h 3. Reg 22.
i Ezech. 13.

hic affirmandum est, cum res nondum sit plene deliberata, inte- A
rimq. per incerta Collegij suffragia decurrat, integrumq. adhuc ita negotium permaneat, vt vnius sententia alios ad se possit pertrahere: quod aliàs diximus.

ITAQVE tum maxime conuenit, Consiliarium etiam in extremis subsellijs dicentem, id clare quod sentit, aut etiam quod dubitat, causa dubitationis adiecta, proferre, [a] quia posset illius sententia etiam Principem ipsum flectere: aut exemplo suo alios ad libere dicendum quod sentiunt permouere; aut certe munus fideli Consiliario dignum explendo, simul se ab omni simulationis, & mendacij suspicione quàm longissime subducere. B

[a] Nauarr. in Manual. Cōfess. præl. 9. numero 9.

QVOD si idem, qua decet, modestia ostenderet, se quidem in aliam sententiam potius propendere, adiectis rationibus, quibus hanc probet, & contrariam improbet, sed auditis aliorum sententijs, qui maiori ex parte in vnum conueniunt, cognoscere etiam quantum illorum auctoritati, & prudentiæ sit tribuendum, ideoq. rem alijs iudicandam relinquere: hic sane longe sapientius respondisse fortasse existimari poterit. Siquidem prudentiam cum humilitate coniunctam ostendet, dum id, quod sentit, fideliter dicere non prætermittet, non ita tamen vt propriæ opinioni velit pertinaciter adhærere, sed meliori potius, si quæ fuerit, sententiæ se submittere. C

Ex quibus patet nihil id obstare, quod initio obijciebatur, prudentis esse alieno potius multorum, quàm proprio iudicio regi. Nam munus Consiliarij id potissimum est, quod ipse sentiat explicare, tum in re ancipiti, deposita mentis ambiguitate, potiora ab alijs peritioribus dicta probare. Nec exempla etiam sacri Rotæ Auditorij, aut Senatuum refragantur; nam verum est, post examinatum a toto Collegio negotium, ac veritatem, quantum oportuit, perquisitam, minorem partem a maiore trahi, & quod a pluribus post collatas omnium rationes fuerit conclusum, pauciores sequi debere: Attamen in ipsa veritatis, & causæ indagatione, tenetur quisque quod sibi conscientia sua dictat, libere profiteri, vt sæpius supra dictum fuit. D

PARS

Qui loco suo dixit, an auditis subsequentium melioribus sententijs, possit, & debeat consilium ab se datum emendare.

B QVEMADMODVM iudex, lata sententia, dicitur functus officio suo, & quod semel diffiniuit, amplius non recognoscit;[a] item cui competit ius eligendi, facta ab eo electione, discedere ab illa ei amplius non licet; [b] & generale est in omnibus iuris actionibus, vt facultas aliquid faciendi alicui concessa, primo actu consumetur; [c] Sic existimare aliquis posset, non licere Consiliarijs, cum semel sua vota protulerint, amplius illa aut mutare, aut corrigere, sicuti cum per suffragia secreta res diffinię da est: illis. n. semel in pyxide positis, integrũ nõ est amplius ea retexere, cũ, vt dici solet, q̃d semel placuit, amplius displicere nõ possit. [d] C

QVAEST. XLIII.

a l. Paulus. l. cum quaerebatur ff de re iud.

b c. nulli liceret de elec. i 6.

c l sicut. C. de act & oblig. l. bouem § hoc sermone ff. de verb signif.

d c. quod semel de reg iuris in 6.

VERVMTAMEN cum rerum consultandarum ratio longe sit ab alijs, siue legibus, siue iudicijs, siue contractib. aut cęteris huiusmodi causis diuersa, mirum non est, hac quoque in parte harum vsum ab ijs dissimilẽ obseruari debere: Si quidem cõsilia, de quib. egimus, tum exquiri, tum in mediũ proponi solent, vt quod iustius, quodq. vtilius sit, a Principe eliciatur; propterea quòd veritas ipsa tamquam in profundo demersa, sic plerumque oculorum aciem fugit, vt ad eam detegendam, aut dignoscendam magno acumine, diligenti indagatione, multorumq. repetita solicitudine sit opus. Quare multos simul congredi, atque in vnum conuenire expediens visum fuit, D ex quibus Synodi, Collegia, Senatus, variæq. Congregationes prodierunt, vt, sicuti lapidum cõflictu, atque tritu ignem elici uidemus, eodem modo plurimorum disquisitione, ac peruestigatione veritas magis eluceret, & alter alterius industria, ac rationibus excitaretur, resq. inter eos diligenter, matureq. exagitata, tandem absolutam formam, perfectionemq. suam Principis imperio, & lege cõsequeretur.

e cap. graue. 35. q. 9.

SED quoniam aliquando contingere posset, vt aliqui in dicendo longiores, aut nimij essent, ne in infinitum disputationibus res traherentur, atque in incerto semper versarentur, propterea sapiẽter

fuerunt distributa tempora; alia, quæ consultationi, & deliberationi seruirent: alia, quibus negotia tantum diffinirentur, ac terminarentur. A

DICIMVS ergo, cum spatium illud temporis, quod Principis decretum, ac conclusionem præcedit, totum assignatum fuerit Consiliarijs ad tractandum, examinandum, ac deliberandum id, de quo est controuersia: propterea, quamuis Consiliarius semel quod sibi rectum videbatur, declarauerit, si tamen auditis melioribus rationibus sibi prior sua sententia displicere cœperit, non videmus cur ei non solũ non liceat ab ea discedere, sed etiam quare non debeat, cũ primum opportune possit, eam immutare, aut retractare, cũ res adhuc integra sit, spatiumq. ad deliberandum nõdum effluxerit; immo ob id etiam multos simul congredi, atque vnà conuenire sit institutum, tum vt melius Principi consulant, tum vt vnius ratio possit aliam permouere, atque in sententiam suam trahere. Vnde sequitur, si nunc conscientia stimulet, rem esse noxiam, quam tamquam vtilem Principi antea Cõsiliarius persuasit, recte eum facere, si modo mutata conscientia, mutet quoque consilium, aliàs mendacij crimine non careret, si ostenderet adhuc se exteriore suffragio in eo permanere, quod mente iam improbaret. B

NEC obijciat aliquis, illum iam munus suum præstitisse, & proinde nihil sibi aliud faciendum superesse; Nam respondetur, Consiliarij partes esse fidele consilium dare. Vnde quamdiu ei consulendi spatium relinquitur, semper interpellatur officij sui munere; & licet initio id, quod sibi conscientia tunc præscribebat, responderit, quoniam tamen rectius postea rem aliter se habere animaduertit, proculdubio officio suo deesset, si priorem sententiam se retinere ostenderet, quam modo minime salutarem esse agnoscit. [a] C

DECIPERET preterea Principem, & fortasse alios, qui illius auctoritate commouentur: & si detrimentum Respublica capit ea ex parte, qua illam læsit, teneretur damnum resarcire. [b] Quemadmodum enim Medicus, qui medicamentum, quod ægroto dari iussit, postea, re diligenter perspecta, intelligit mortem allaturum, debet statim illum commone facere: & quemadmodum Aduocatus, qui rem credebat a principio probabilem, & postea videt aperte improbabilem esse, tenetur eum, cuius negotium agitur, certiorem faceare: [c] eodem modo Consiliarius, cuius munus est consiliũ fidele dare, si intelligit perniciosum, aut inutile esse quod dedit, de priore sententia desistere debet, ne qui publicæ vtilitatis causa adhibitus fuit in consilium, ipsi Reipublicæ damnum attulisse videatur. D

a *Alberic. l. humanum. C. de legib. nu 5.*

b *S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 4.*

c *S. Tho. 2. 2. q. 71. artic. 3. ad 1. Siluest. in verbo Aduocatus, uers. (decimo) nume. 5.*

A SED dicet aliquis non esse huius grauissimi Senatus consuetudinem vt quispiam sententiæ, quam semel protulit, aliquid addat, vel detrahat, aut ab ea prorsus discedat. Certe quamuis hoc non admodum frequenter accidere soleat, non tamen interdictũ esse cuiquam scimus, ne ex causa id facere possit, immo & nonnullos interdũ laudabiliter fecisse nouimus, & alios suam non abnuentes, aliorũ etiam sentẽtiam probasse. Nam si in electione summi Pontificis licet Cardinali post suffragium a se latum, quo vnũ nominauit, accedere deinde in alterius etiam votũ, quo alius nominatur, cur non magis in rerum tractatione, vbi non diffinitiuum, sed cõsultiuum suffragium
B solum fertur, & nemini ius quæsitum est, liceat alicui ad sententiam suam modo aliam accumulare, modo meliorem sequi? Sed quando etiã talis esset consuetudo, si tamen Senator sententiam semel a se latam minus congruam esse cognosceret, frustra ille se consuetudine defendere conaretur, aut ea ratione, quod nihil tũc falsum proferat, nec antea proferre cogitauerit. Nam in rebus huiusmodi consuetudinem non prodesse alias ostendimus, & nunc cum inutile, & noxium id esse detegatur, quod antea expedire dixerat, certe si non emendet, videtur ratum habere. Quis enim ferre valeat speculatorem, qui cum ea, quæ vidit, vere nunciauerit, tamen si postea aduer-
C tit, insidias ab hostibus paratas, illas silentio prætermittit, ne parum a principio vidisse videatur?

SED obijciet præterea aliquis, non esse hominis grauis mutare sententiã, ne ab alijs contemnatur. Sane licet sapientis proprium sit, nihil, quod eum pœnitere possit, facere, nec quidquam tam deceat, quàm in re omni gerenda, capiendoq. consilio seruare constantiam, vt ait Cicero,[a] nemo tamen doctus, vt idem ait, vnquam mutationem consilij inconstantiam dixit esse,[b] cum hic optimus pœnitenti portus habeatur, nec mutare consilium in melius, temeritati, sed prudentiæ adscribatur, cum sapientis sit reuocare, quod minus sapiẽ-
D ter factum est.[c] Nam sicut in nauigando, vt idem affirmat,[d] tempestati obsequi artis est, & mutata velificatione, portum assequi sapientiæ est; sic non idem semper dicere, sed idem semper spectare debet Consiliarius, quod est Principis dignitati, ac publicæ vtilitati constanter seruire. Nam & Prætor varietatem non repellit, & consilium mutantis non aspernatur,[e] & ius pontificium non prohibet patronis laicis, quominus in præsentandis clericis possint variare.[f] Et Cicero ait: *Numquam præstantibus in Republica gubernanda viris, laudata est in vna sententia perpetua permansio:*[g] In quã sententiam multa præclare a Seneca scripta legimus, dum ait; *Superbum illud,*

a Cicer. lib. 1. offic.
b Cic. ad Att. lib. 16. epist. 4.
c In quæst. 12.
d Cic epist. penult. ad Lentulum lib. 1.
e l nonnũquã. de collat. bon.
f c. quod aũt cum glo & c. cum autem. de iure patr.
g Cicer lib. 1. epist. penult.

illud est numquam sapientem facti sui pœnitere, nec vmquam emendare quod fecerit, nec mutare consiliū. Non mutat sapiens consiliū, omnibus his manentibus quæ erant cum sumeret, cæterum ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit, quod impediat. Scit quā incerta sint humana, quàm multa consilijs obstent, tunc inconstantia crimen audiet, si omnia eadem sint, quæ initio fuerunt, cum promitteret: Malo (inquit) semel excusare, quare negauerim, quā semper quare dederim, demens est, qui perstat in errore: non est turpe cū re mutare consiliū. [a] Quoties Imperatores, quoties Reges, quoties, qđ maius est, Pontifices maximi, quoties, quia de Senatorib. loquimur, Senatores ēt magni, audita aliorū oratione, [b] ipsiq. Senatus integri de sententia, quam probauerant aliorum rationib. decesserunt? Quoties homines prudentissimi, & eruditissimi, ea, quæ antea affirmauerant, aut mutarunt, aut correxerunt? Possem S. Augustinum hęc multis probantem, [c] possem alios in medium adducere, sed cum res sit adeo perspicua, vt neque exemplis alijs indigeat, neque argumentis, ideo illorum commemoratione supersedendum duximus.

a Senec lib 4. de benefic. c. 34. 35. & 36.

b Salust. in Catil ubi de Iun. Silan.

c S. Aug in procem lib de retract S Basil. in Reg bre uior interrog. 60. S. Cypria. lib. 4. epist. 2.

ITAQVE certum est, hanc ob causam nulla affici Senatorem leuitatis nota, vel ignominia: immo ostendit se Reipublicæ salutem, & dignitatem in primis charam habere, Senatorisq. partes non temere, sed, vt optimum Senatorem decet, constanter & diligenter tueri; nihilq. sibi antiquius esse, quàm suo officio fideliter satisfacere. Ex hoc autem dubium non est, honorem magnum in Senatorem redundare. Si enim iudex summis laudibus effertur, cum ea, quæ sunt sui muneris, vt par est, exequitur, semperq. iuris æquabilem rationem tenet, & neque amore, neque odio, neque precibus, neque minis commouetur: si ij item, qui alijs muneribus maximis, & amplissimis præsunt, sibi gloriosum putant, ita se gerere, vt nullā officij sui partem prætermittant: cur ipsi Senatori non erit maxime honorificum, personā, quæ sibi imposita est, ita tueri, vt nullo modo patiatur, vel minimum detrimentum suo consilio ad Rempublicam peruenire? Immo licet concederemus huic mutationi sententiæ aliquam inconstantiæ suspicionem subesse posse, certe eam ob causam maiore esset dignus gloria, & laude, cum suo honori Reipublicæ salutem anteferret; & ipsamet nota esset velut honorifica cicatrix, quæ remanet ex vulnere, quod vir aliquis primarius in prælio pro suis ciuibus accepit: licet enim ipsa cicatrix, præsertim in facie, maculam inurere videatur, tamen eadem ob causam adeo præclaram suscepta summum re vera affert splendorem, & dignitatem, estq; præclarum quoddam, eiusq. virtuti debitum testimonium. Hoc plane significabat

A cabat mulier illa Romana, cuius filius cum grauiter claudicaret ex vulnere ob Rempublicam accepto, & ob eam causam erubesceret in publicum prodire, monebat illum mater, vt exiret, & quoties gradum faceret, toties suarum virtutum recordaretur. [a] Itaque licet fateremur aliquod dedecus ex ea mutatione sequi, tamen nullo modo prohibere hoc deberet, quo minus Cõsiliarius relicta priore sententia, alteram, quæ potior videtur, statim amplecteretur. At vero neque fatemur, neque verum est, Senatorem hanc ob causam vlla ignominia notari posse. Nam præter iusta impedimenta, quæ extrinsecus vnicuique aliquando contingunt, ne statim ea omnia videre possit quæ erant rei agendæ necessaria; B sunt item causæ aliæ occultiores, quæ quasi nubes quædam lumen ingenij interdum obscurant, prohibentq. quominus illius splendore (licet ille maximus sit) possint in ipso rerum vsu debitæ omnes circumstantiæ, earumq. vtiles rationes satis perspici, & comprehendi. *a Cic. lib. 2. de orat.*

Et præterea constat aperte in hominibus etiam acutissimis magnam esse ingeniorum varietatem, & non minores esse in animis, quàm in corporibus dissimilitudines, [b] ita vt etiã in dandis cõsilijs, cum omnes aptissimi iudicentur, vnus tamen vna, alter altera magis laude florere conspiciatur. Hincq. contingit, quòd negare nõ possumus, C vt in eodem Senatu aliqui celerius excogitent, & inueniãt argumenta, quibus aliquid confirment: alij verò plus iudicio valeant, & positis rationibus ex vtraque parte apertius cognoscant, utra pars sit alteri præferenda. [c] Item nonnumquã illi, qui maiorem habent ingenij celeritatem, maiusq. ad indagandum acumen, statim defatigantur: alij verò tardiores, quamuis maiore spatio indigeant ad cogitandum, aliquando tamen magis in res penetrant, multoq. firmiora, & grauiora excogitant argumenta: & quemadmodum gladii quidam, cum acutissimam habeant aciem, citius hebescunt: alij autem, qui aciem habent obtusiorem, firmiores sunt, & nullo ictu D quantumuis maximo retunduntur; eodem modo illi, de quibus supra diximus, illico labore, & cogitatione assidua franguntur, & debilitantur: hi verò sine vlla molestia perseuerant, diuq. in ipsarum rerum meditatione versantur. *b Cic. 1. offic. ver. intelligendum.* *c S. Tho. 2. 2. q. 41 art. 3.*

Accedunt præterea ad naturæ dona alia præsidia, quę ipsi Consiliarij sibi labore, & exercitatione compararunt; alius enim excellit rerum maximarum cognitione; alius optimarum artium scientia; alius ætate, & experientia; alius grauitate morum, vitæq. innocentia, & integritate; alius alijs rebus eius generis, ex quibus multæ aliæ oriuntur dissimilitudines, quas longum esset percensere.

Non

NON solum autē in diuersis hominibus huiusmodi varietates reperiuntur, sed quod maius est plerumque vnus, & idem sibi dissimilis est, experimurq. quotidie vnum, & eundem hominem nunc maiore, nunc minore vti ingenij celeritate, aliquandoq. ipsi multa, & præclara, aliquando vero nihil fere in mentem venire; &, quod mirum est, plerumque nullam huius varietatis rationem certam reddere possumus. Cum igitur tum ex rei, de qua agitur, difficultate, tum ex hominis ipsius naturali quadam conditione, & ingenio efficiatur, vt varie ille rem apprehendat, nemini debet dedecus videri, si, mutata rei cognitione, ipse quoque propositum, & consilium de ea inuertat. Immo hanc ob causam, vt alias omittam, magnus Senatorum numerus deligitur: si enim duobus tantum, aut tribus hominibus singulari ingenij acumine præditis, subito omnia occurrerent, quæ pertinent ad res, de quibus est disceptatio, superuacaneum esset multorum consilium exquirere: satis enim esset illos deligere, qui reliquos omnes prudentia, mentis acie, rerumq. vsu, & cognitione superarent. Itaque, vt concludamus, tantum abest, vt Senatori turpe sit, cum Reipublicæ expedit sententiam mutare, vt uel ob hanc causam ipsi sine dubio laus maxima debeatur. Est enim hæc sententiæ mutatio, non inconstantiæ, sed prudentiæ singularis argumentum. Idq. ad extremum probare possumus exemplo legislatorum, quos non pudet suas leges corrigere, [a] & iudicum, qui cum constituti sint, vt errata aliorum emendent, non erubescunt, quando opus est, errorem proprium corrigere. [b]

A B C

a Authen. ut fratrū filij. in prin. & Auth. de nupt.
b c. qualiter. 3. de accusat.

QVOD igitur in principio quæstionis, tamquam huic sententię repugnans, proponebatur, tametsi ex his, quæ dicta fuerunt, sublatum esse existimamus; adhuc tamen dicimus exempla ea omnia ad illa pertinere, quæ iam perfecta, & absoluta fuerunt, non ad ea, quæ adhuc quasi voluente rota elaborantur, & nondum integram formam sunt adepta, quales sunt res sacri Consistorij, quamdiu consultationi subijciuntur, antequam extrema veluti manus a summo Pontifice illis imponatur, atque eius auctoritate, singulariq. iudicio diffiniantur.

D

PARS

A

PARS V. QVAEST. VII.

Si Pontifex, non exquisitis prius Cardinalium sententijs, aliquid sponte statuat: aut si exquirat, & dum hi respondent, ille aliquid interloquatur, vel eis contradicat: siue si silentium indicat in rebus, quæ ab ipsis non probantur; quæ sint partes Cardinalium.

B

QVAEST. XLIIII.

QVOD in prima huius quæstionis parte proponitur superuacaneum fortasse aliquibus videri poterit: Nam cum in ea quæratur, quæ partes sint Cardinalium, quando Papa ijs inconsultis aliquid in Consistorio decernit, existimabit fortasse quispiam hoc nimis nouum, & tamquam a prisco summorum Pontificum instituto

C prorsus alienum, neutiquam accidere posse. Aliàs enim initio huius nostræ disputationis, cum de necessitate capiendi consilij ageremus, eamque tum priuatis, cum publicis personis communem esse ostenderemus, hoc ipsum præcipue summo Pontifici, qui Senatum habet singulari sapientia, & auctoritate preditum, congruere, idque ex iuris diuini auctoritate quodam modo proficisci, probauimus. Vnde dubitandum nihil videtur, Sedē Apostolicam, quæ alijs omnibus bene administrandi exemplum præferre debet, numquam permissuram, vt res graues aliter quàm antecedente matura Cardinalium consultatione, decernantur.

D SED præterea videmus, veteres Senatores à primis vsque nascentis Reipublicæ Romanæ initijs, Romuli, Numæ, & aliorum Regum tempore, eam auctoritatem obtinuisse, vt nihil, quod paulo maioris esset momenti, illis inconsultis gereretur, adeo vt, cum Tarquinius preter Senatus auctoritatem quędam decernere instituisset, tum demum amisso regio nomine Tyrannus appellaretur.[a] Postea constante Republica, quanta eiusdē ordinis esset dignitas, & splendor, notum est, tum ex ijs, quę a Græcis, & Latinis auctoribus, & præsertim a Cicerone frequenter cōmemorantur,[b] tum ex eo quòd Cynæas Pyrrhi Regis Legatus ad Pyrrhum ex Legatione reuersus

a Fenestel. lib de Magistrat. Rom.

b Cic pro Aulo Cluentio, & in Verr. de prouinc consular. & in Catil. & in Philip. & alibi.

plenus

A plenus adhuc admiratione ei dixit, non se Romæ sicut in cęteris Ciuitatibus. Senatum vidisse, sed consilium quoddam, & consessum magnificentissimorum Regũ. [a] Amplius vero mutato Reipublicæ statu, atque ad Cæsares translato, legimus tamen Senatorum ordinem in ea existimatione permansisse, vt nullus sine Senatorum consilio in Senatum vmquã admitteretur, [b] nullus cuius nisi ijs approbantibus pœna graui afficeretur, [c] omniaq; ad eorum sententiam deferrentur, quos & Augustus sedentes nominatim salutabat, [d] & Tyberius se venerari, atque illis omnia debere profitebatur, [e] ita vt a primis illis temporibus cum Regio dominatu Roma teneretur, & deinceps sub Consulibus, Dictatoribus, atque Imperatoribus singu- B laria præ alijs priuilegia, immunitates, auctoritatemq. retinuerint, [f] tantumq. apud eosdem Imperatores valuerint auctoritate, vt Archadius, atque Honorius, quemlibet Senatorem corporis sui partẽ esse censuerint. [g] Et alius Imper. se cum cęteris eiusdem Senatorij ordinis numerandum esse edixerit. [h] Immo ob id Vrbs Roma adeo semper floruisse existimatur, quòd qui ei præfuerunt, nõ sua, sed, vt Dionysius scribit, [i] Senatus consilia sequerentur. Qua ratione Doctores tradunt ea, quæ a Principe pronunciantur, ideo certa, ac iusta maxime censeri, quòd non de illius vnius tantum sententia, sed de aliorum etiam sapientum consilio prolata existimentur. [k] C

SI etiam ad Christianorum aliorum Regum, qui sapientia præstiterunt, leges, ac gubernationis rationem nos conuertamus; animaduertemus hoc maxime Consiliariorũ præsidio eorum regna, ac dominatus stetisse. Nam olim florente GALLORVM REGNO, ac potentia, Christianissimos illos REGES, qui spiritu Dei ducebantur, nihil sine magni consilij sui auctoritate fecisse, Scriptores testantur. [l] Vnde & eorũ Consiliarios eo ipso nobilitatis priuilegio insignitos esse sanxerunt. [m] ALPHONSVM etiam Aragonum Regem, cuius virtus, & sapientia admirationem non Italiæ solum, D sed etiam vniuersæ Europæ excitauit, pariter accepimus, [n] tametsi opibus, ingenio, ac prudentia mirifice excelleret, Senatorum tamen etiam suorum consilia in rebus gerendis sibi adiunxisse. Quid etiam de clarissima VENETORVM REPVBLICA dicemus, quæ multa iam per sæcula, assidua præstantissimorum Senatorum consultatione, ac multiplici variorum ordinum congressu, res perpetua dignas memoria, celebriq. laude cumulatas, domi, forisq. gessit, atque adhuc gerit?

Sed minime opus est ex Scriptorũ monumentis huiusmodi exẽpla repetere, cum viua nobis, ac florentissima ante oculos exempla versentur,

a Plutarch. in Pyrrho Liuius lib. 9.
b Lamprid in Alex.
c Dion. in Nerua, & Spar. in Had.
d Sueton. in Aug c. 53.
e Suet. in Tyberio c. 29.
f l. Senatorũ. l nemo C de dignit. lib. 12.
g l. quisquis. C. ad l. Iul. maiest.
h l ius Senatorum. C. de dignit.
i Diony. Halicarn lib. 2.
K Andreas de Isern c. 1. qui successor tenenantur. nu. 16. & Marti. Laud in trac. de Cõsiliarijs quæst. 21.
l Boer. in addit. 2. ad trac. de auctoritate magni Consilij num 178.
m Tiraquel. de nobil. cap. 6. num. 21.
n Ex Põtano, Bartholomeo Facio & alijs.

A verſentur, vnde hæc liquido hauriri poſſunt. Ac, vt cæteros, ne longiores ſimus, omittamus, vnum inter reliquos, qui aliorum omnium inſtar erit, iure optimo nominandum ducimus, Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum, nobis tamquam alterum Dauidem hoc ſæculo diuinitus datum. Hic igitur heroicis virtutibus inſtructus, ac propagandæ religionis ardore in primis incenſus, in ſumma Imperij potentia, ac Regnorum amplitudine, ſic omnia per varias Senatuum, & Conſiliorum claſſes, ordine diſtributa habet, vt nihil ſit graue, quod non prius cum ſelectiſſimis ordinum illorum viris, pro rerum conditione communicandum putet.

B QVOD ſi hæc vniuerſe ab omnibus, qui ſapientia, rerum geſtarum gloria, ac publica quadam bene adminiſtrandi exiſtimatione excellunt, videmus obſeruari, quid a ſummi Pontificis noſtri prudentia circumſpectione, ac vigilantia erit expectandum? Cui cum Collegium præſtantiſſimorum virorum diuina prouidentia tributum fuerit, quos ſecum adiutores, adminiſtros, atque Conſiliarios perpetuo habeat, quid magis eius Paſtorali officio, ac ſolertiæ congruit, quàm emergentibus difficultatibus, eos ſibi ſtatim adſciſcere, qui præter ſtatus perfectionem, ſancto etiam charactere inſigniti, ac ſacro purpuræ habitu longe humano auguſtiore effulgentes, cæ-
C leſtem a Patre luminum in ijs, quæ ad vtilitatem totius Eccleſiæ ſpectant, conſulendis, ſpiritum haurire cenſentur?

EST ita ſane: & ſi rationem ducem ſequamur, perpetuum hoc, & conſtantiſſimum Sedi Apoſtolicæ erit futurum, numquam mediocres etiam cauſas aggredi, aut quidpiam quod non prorſus leue ſit, conari; niſi prius aditu patefacto, atque expurgata a Senatu ſuo ſemita, qua iter ſit dirigendum. Præſertim vero, cum videamus hunc morem a priſca patrum conſuetudine, ad hæc uſque noſtra tempora perpetuo deductum, ut ſcilicet Conſiſtorium ob difficultates exorientes ſemel ſingulis ſaltem hebdomadis, omnibus Cardina-
D libus indicatur. Ibidem tractanda cunctis proponantur: ſententiæ omnium exquirantur: Cardinales ſinguli ordine reſpondeant: Demum Papæ iudicium, ac determinatio ſubſequatur. [a] Quod mirificum inſtitutum faxit Deus æternus, vt ſicut hactenus ſanctiſſime obſeruatum ſummam Eccleſiæ attulit vtilitatem, etiam in poſterum conſeruetur, neque vllo vmquam tempore intermittatur.

[a] *Lib cerem. lib ſect 9. c. 3. in fine.*

SI igitur ſolet, ac debet Romanus Pontifex ad res graues prout ſe quotidie offerunt, Conſiſtorium Cardinalium conuocare, atque cum ijs, quæ oportet, communicare, quanto magis id ſeruandum erit, quando iam (prout in quæſtione præſenti agitur) Conſiſtoriũ

ſimul coactum inueniretur? cur enim Cardinales accerſiti fuerunt, A
niſi vt ſuam ſententiam dicerent? quid attinebat eos ab illorum do-
micilij euocare, ſi tamquam muti conſidere debebant, & non eo
officio fungi, quod proprium Cardinalium eſſe ſolet; Ac tametſi
nos quidem non exiſtimemus vllo umquam tempore morem hunc
adeo veteribus inſtitutis repugnantem, inchoandum eſſe: attamen
quoniam adeo multiplices ſunt rerum humanarum varietates, vt
nihil nobis certum, ac firmum poſſimus polliceri; propterea iuſta
admodum (ni fallimur) cauſa nos vrgeri ſenſimus, hâc cęteris, quæ-
ſtionibus a nobis diſputatis attexere. Quærimus igitur, quænam
partes debeât eſſe Cardinalium, ſi quando forte accideret, vt Car- B
dinalibus in Conſiſtorio de more coactis, Papa ipſe, nulla præceden
te interrogatione, ſponte ſua aliquid graue declararet, aut decerne-
ret, quod magnum aliquod publicæ rei detrimentum inferre vide-
retur. Quamuis enim credendum ſit ſummi Pontificis CHRISTI
Vicarij mentem, & uoluntatem ad ea, quæ honeſta, & ſalutaria pu-
tat, plane dirigi; quia tamen inter huius ſæculi turbines, atq; æſtus,
multi ſæpe latent difficultatum ſcopuli, quibus cauendis multorum
eſt ſolertia, & vigilantia neceſſaria: ſane fieri poteſt, ut ipſe Ponti-
fex aliquando, non requiſitis Cardinalium ſententijs, ad aliquid in
Conſiſtorio ſponte ſtatuendum adducatur, ex quo ipſe, quamuis C
alioquin prudentiſſimus, ſpecie recti decipi poſſit.

Si igitur hic caſus accideret, quærimus quod ſit munus Cardina-
lium. Nã ex una parte excuſandi uidentur, ſi taceant, eo quòd nihil
ab eis petitur, & conſiliũ non ſolet, niſi efflagitetur, miniſtrari. Tum
ꝑterea, quia ſi ex improuiſo decretũ hoc a Papa prodit, periculoſum
eſt, Cardinales nõ præmeditatos, ſed ex tempore de rebus grauibus,
atq; ſibi ignotis ferre iudicium. Tum demũ, quia conſilia petũtur,
& dantur, vt ex illis ſumat Princeps materiam rectius quod oportet,
definiendi, & legẽ ſtatuendi. Vnde, decreto ab eo facto, ceſſat ſtatim
omnis conſultandi ratio, quemadmodũ ceſſant medici, cum ęgrotus D
ſanitatẽ, qui finis erat, eſt aſſecutus. Quare ſi Papa ſpõte aliquid defi-
niat, & ſtatuat in Conſiſtorio, fruſtra tunc conſilia præberi videtur.

Ex alterà parte durum videtur coram Collegio Cardinalium, vbi
ſunt viri grauiſſimi, atque ſcientiſſimi, ea decerni, & ſtatui, quę bo-
no publico repugnant, & eos ita ſilere, quaſi aut ipſi publicam per-
ſonam non gerant, aut curæ illis non ſit, quid commodi, aut detri-
menti Reſpublica capiat. Nam ſi quando agitur de re Collegij,
peccat, qui tacet, ſi de eius damno tractetur, [a] quanto magis ſi
commune Reipublicæ bonum lædatur?

[a] *Innoc. Abb. c. 1. de ijs, quæ fiunt a maior. par. Fel. c. cum omnes nu 12. de conſtitut.*

Nos

A Nos in præsenti difficultate veriorem illam opinionem esse exi-
stimamus, quæ silentium in hoc etiam casu damnat, quandoquidem
Cardinales non solum sunt Consiliarij Papæ, sed simul etiam sunt
publici boni suffragatores, & defensores. Ex quo sequitur, ut, quo-
ties vident detrimentum aliquod publicæ rei posse irrogari, non
egeant alia interpellatione, sed debeant statim iure suo illam tueri.
Nam si quilibet boni communis gerere curam debet, [a] multo ma-
gis hoc Cardinalibus incumbit, qui peculiari munere ad id sunt vo-
cati, maxime quòd imminens illo temporis momento hæc necessi-
tas videtur, siquidem, si tunc eiusmodi decreto iustis suadentibus ra-
B tionibus obuiam non eunt, transiret in vim approbatæ legis, ex quo
ipsi nihil contradixerunt, nec locus esset amplius repugnandi.

Praeterea, cum Consistorium sit locus rebus consultãdis
destinatus, quo nec Cardinales conuocari, nec ibidem considere so-
lent, nisi tamquam Consiliarij, ac publici boni defensores, ac pro-
pugnatores: idcirco quidquid in eo loco a Principe pronunciatur,
id totum consultationi intelligitur esse subiectum, ita vt si quidquã
a Papa in Consistorio tamquam initio diffinitum, & conclusum
proponatur, tunc si Cardinales taceant, nec contradicant, silentium
illud loco suffragij approbantis habeatur, indeq; tacente toto Sena-
C tu, obtinet illa Papæ propositio vim Consistorialis decreti, ex suf-
fragio Cardinalium tacite subsequuto. Quapropter licet modus
proponendi, quo vtitur Papa, videatur a consilio petendo alienus,
locus tamen Consistorij, in quo id proponitur, illud iure suo po-
stulat, vt quando expresse a Cardinalibus non datur consilium, ta-
cite tamen, & ex interpretatione datum intelligatur.

Vnde non obstant, quæ tamquam repugnantia supra affere-
bantur. Non primum, quòd scilicet nullum ab eis consilium fuerit
petitum: nam, ut diximus, cum eorum munus ad publicam causam
iuuandam, atque tuendam fuerit institutum, vbicumque eam in pe-
D riculum, & discrimen vocari vident, non est, quòd externam aliam
vocem vlterius expectent: nam est Respublica ipsa, quæ interpellat,
cuius causam nemo a se alienam existimare debet, cum vniuersos
attingat, & eos præcipue, quibus ex iniuncto munere publici boni
cura, & defensio est nominatim commissa, sicut in publici criminis
reum cuiusuis est actio. [b]

Non secundum, quia ponimus satis illis constare, decretũ illud
publice noxiũ esse, aut saltem eos sic sibi certo persuadere. Tũc enim
vrgente illos conscientiæ, quamuis etiã erroneę, stimulo, non debent
prætermittere quin id, qđ eis occurrit, aperte, & fideliter pronũciẽt.

[a] Summ Silvestr. verb. consensus. in 3. q. circa fin.

[b] §. 1. Instit. de publi iudic. glo in rub ff de public iudic. et Bartol in l. 1. num 7. eod tit

Non tertium, quia sicut lex non est, quæ iusta non est: sic statutum, siue decretum, quod bono humano, aut diuino aduersatur, non dicitur habere rationē statuti: ac propterea, si tale quid in Consistorio Cardinalibus proponatur, amittit rationem legis, & decreti quod a Principis voluntate obtinuerat, & subijcitur consultationi Cardinalium, ut iustitiæ, & æquitatis materiam adipiscatur. A

Seqvitvr secunda pars Thematis, quando scilicet in ipso sententiarum cursu, quæ a Cardinalibus ordine pronunciantur, Papa aliquid interloqueretur, aut etiam dicenti contradiceret, quod interdum accidere potest. Quæritur hoc casu, quæ sint partes Consiliarij, an tacere, seu aliquid replicare. Siquidem possent aliqui existimare, tunc Consiliario omnino tacendum esse. Primum, quia quemadmodum dici solet, ubi in cognitione alicuius causæ Papa manum apposuit, cessat aliorum facultas, & iurisdictio: [a] sic vbi Papa sermone suo negotium, de quo agitur, complexus est, debent aliorum iudicia, & suffragia conquiescere, propter summam Principis maiestatem, & auctoritatem. Secundo, quia a temeritatis crimine ille abesse non videtur, qui, contradicente Principe, adhuc nititur propriam sequi sententiam, uel ei pertinaciter adhærere. [b] B

[a] c. vt nostrū de appell.

[b] S. Tho. 2. 2. q. 53. artic. 3. ad 2.

Nos tamen, quoniam alijs, atque alijs ex causis fieri potest, ut Princeps aliquid interloquatur, idque vario animi proposito, ideo ex diuersis interloquendi rationibus ac modis, aliter, atque aliter ad propositum Thema responderi posse iudicamus. C

Primvm igitur illud animaduertendum ducimus, quod ab eruditis etiam, & rerum vsu peritis viris traditum est, [c] boni, & sapiētis Principis esse, cum aliquid in consilium adducturus est, id pure adeo proponere, & singulis verbis inueniendi ueri desiderium monstrare, ut suspicari quispiam nequeat, quid ille magis cupiat; interdū etiam valde expedire, quid in vtramque partem faciat, ipsum tanquam in ancipiti libra positum, in medium afferre, ac quasi designatos ostendere locos, vnde infirmiora ingenia querendi consilij materiam possint elicere; cum interim ipse plane declaret se non hoc malle, quā illud, sed id maxime, quod publicæ seruiat vtilitati. Postea cum respondere Consiliarij cœperint, magnam illis ad dicendū alacritatem ab eodem Principe afferri debere, ut scilicet ipsis diligenter audiendis se benignum, atque attentum præbeat, neque id solum erga eos seruandum, qui præ cæteris dicendi facultate, & rerum vsu præstare censentur, verumetiam erga alios quoscumque, qui loco suo dicturi sunt; immo quo sunt nonnulli aliquando imbecilliores, aut in consessu inferiores, eo magis decere videtur, vt Principis placabilitate erigantur. D

[c] Ex epistola Cardi. Papien. ad Card. Gonzag. Mant.

erigantur,

A erigantur, atque illis ad dicendum animus addatur: hoc enim nomine laudatur maxime Traianus, quòd, eo rogante sententias, libere cuique dicere liceret, vinceretq. sententia non prima, sed melior. Contra autem solet libertas consulentium impediri, vt ait Plutarchus, dum libere ipsis loquentibus Princeps irascitur, & libentius audit, quæ placent, quàm quę prosunt. [a] Vnde cum vel vultu ipso aut iracundiam, aut seueritatem quandam acerbam Princeps ostendit, certum est, Consiliariorum animos magna ex parte debilitari, & frangi, & perpaucos esse, qui, cum Princeps ægre eos videtur audire, libenter loquantur. Cum enim ea sit hominum natu-B ra, vt quisquis cogitationibus suis aliquid plus æquo tribuat, & se paruifieri, aut oscitanter audiri, indigne ferat, prudentiæ erit Principis, ac debitæ patientiæ simul, neminem in cursu dicendæ sententiæ interrumpere; memor, ius olim Senatori apud Romanos fuisse, quamdiu vellet orationem trahere, [b] licet id spatium aliquando ad præscriptas horas, seu clepsydras, fuerit redactum. [c] Verum illud tamen est, Consiliarium aliquando a Principe interpellari, non quòd illum contemnat, sed quia non satis percipit ea, quæ Consiliarius profert, vel quia videt illum non bene statum rei tenere, vel etiam prolixe nimis digredi, & aliorum tempus occupare. Quare C cum ita Princeps interloquitur, vt non improbet dicta, sed magis vt illum in viam dirigat, & vtiliorem eius orationem reddat, certe Consiliarij partes erunt benigne hæc accipere, & qua decet modestia, ac reuerentia, suam accommodatius proferre sententiam, atque eandem, si res ita postulet; firmioribus argumentis confirmare. Nam si canon permittit, vt quando rescriptum Papæ videtur repugnare legibus, expectetur secunda iussio, [d] & magistratus possunt, si ita res postulet, replicare Principi, [e] quo magis hoc permissum esse debebit in publico consilio, quando negotium publicæ vtilitati manifeste aduersatur? Immo si Princeps iterum, atque ite-D rum vrgeat non animo illum improbandi, sed veritatem facilius inueniendi, non videmus cur non possit Consiliarius, præsertim si ex senioribus sit, auctoritateq. valeat, iterum, atque iterum respondere, & rationes, quæ obstant, modeste refutare, cum hoc non sit ad contentionem obdurescere, sed veritatem studiosius indagare. Quemadmodum enim, qui auri, aut argenti venas inquirunt, ad illas cum reconditæ sint, sine ferramentis, & sine vectibus peruenire non possunt; eodem modo, quia veritas aliquando in profundo abstrusa est, sine argumentis, & sine disputatione difficulter comprehendi potest: hæc namque sunt instrumenta, quibus hic

a Plutarc. de discrim. adulat. & amic.

b Gell. lib. 4. cap. 10.

c Plin. lib. 1. epist. 23 lib. 2. epist. 11. & li. 4. epist. 9. Ascon. Padi in orat. pro Milone.

d c si quando de rescript.

e Authen de mād Princip. § deinde cum glo. verb. nuncians. & l. si vindicari. C. de pœn.

thesaurus absconditus plerumque effoditur, & in lucem profertur A cuius rei & exempla in sacris litteris extant, cum legamus Abraham. Iob, Moysen, & sanctos alios viros ita plerumque cum omnipotenti Deo causas egisse, vt aliquando argumentarentur, obsisterent, & rationibus ipsum quodammodo conuincere tentarent. [a] Itaque Princeps si eo animo aliquid obijcit, vt veritas magis eluceat, non dubium est, Consiliarium sententiam suam, quam rationi putat consentaneam, posse tueri.

a Genes. 18. Exo. 32. Num. 14. Iob 10. 13.

At, si aduersatur ipse, quia re vera est in contraria sententia, vix tunc sane fungitur munere Principis consultantis: qui enim petit consilium, ille aut dubitat, aut personam gerit dubitantis: Qui B autem alteram partem ita sequitur, vt ijs, qui contra sentiunt, obsistat, frustra certe videtur consilium petere, cum iam de ipso negotio decreuerit, attamen quomodocunque res sese habeat, si hoc quandoque contingat, maxime tunc necessaria est prudentia; si enim nullum imminet scandalum, & tempus est opportunum, & res, de qua agitur, est magni momenti, & est periculum, ne alij auctoritate Principis commoueantur, poterit Consiliarius, immo fortasse debebit suas partes modeste defendere: licet enim teneatur Principi, ut illi subiectus, obedire, non tamen tenetur vt Consiliarius illius sententiam amplecti, quando ea propriæ conscientiæ repugnat illis in rebus, in quibus Princeps forte aberrare, & decipi potest. C

Quod præterea suadetur, quia vt ait Seneca, sicut multa sapientes faciunt, qua homines sunt, non qua sapientes, puta, cursu omnes anteibit, qua velox est, non qua sapiens: [b] sic potest Princeps cum rem proponit in Senatu, dupliciter considerari, siue tamquam gerens personam capitis, quatenus Princeps est, siue etiam vt gerens personam membri, quatenus seipsum, vt totius Senatus partem, tunc præbet; quemadmodum multos olim Reges, & Principes se aliquando tales præstitisse legimus, qui ut Consiliarijs suis fidentius loquendi iter aperirent, siue vt domestico illo colloquio arctius sibi Senatorum animos deuincirent, non verebantur se interdum tamquam alijs æquales constituere; atque ad ceterorum conditionem se demittere. [c] Quare si rem Consiliarijs proponit, eorumq. sententiam rogat, eos auscultat, eorum dicta expendit, ut secum postea deliberet, hoc Principis, & capitis censetur. Quod si non solum rem proponit, sed simul etiam suam sententiam cum alijs communicat, & ab eis quid de ea sentiant exquirit, tunc cum tamquam partis, & membri munere fungatur, Consiliarius, cui eius sententia displicet, non contradicit illi vt Principi, & capiti, sed D

b Seneca epistola 90.

c Suet. in Tiber. c. 33. & Dio in Traia.

vt

A vt membro, & parti, quin potius obtemperat illi, vt Principi, qui mandauit, vt fidele consilium daret, quamuis in sententia ei repugnet, quam ille, ut pars Senatus, protulit.

ADDE etiam, quòd cum totum illud tempus destinatum sit consultationi, nihil prohibet, quominus suo iure Consiliarius vtatur, & sententiam, quam vtilem esse putat, firmioribus argumentis corroboret. Cum enim quilibet Consiliarius sit pars Senatus, consentaneum est, vt pars totius vtilitati prospiciat, & qui grauitate, & doctrina splendet, lumen alijs ad perspiciendam veritatem præferat, & ponat lucernam non sub modo, sed super candelabrum,
B vt luceat omnibus, qui in Senatu sunt, vt videant ipsi quid sequi debeant, & habeant argumenta, quibus illud, si necesse est, confirmare possint. At si res est leuis, durum sane videtur, cum suam iam sententiam protulerit, suasq. egerit fideliter partes, in has angustias illum adducere, vt Principi cogatur semper repugnare. Quæ quidem omnia a nobis dicta, satis alios, qui post eum responsuri sunt, admonere possunt, quomodo pro muneris sui ratione gerere se debeant.

NON obstat igitur quod primum dicebatur ex sermone Principis, sic negotium affici, vt alijs silentium impositum esse censea-
C tur; Nam dicitur: Aliud esse, cum Princeps sermone suo aliquid iuste definit, & tamquam rationi consentaneum concludit, tunc enim cessat aliorum facultas, resq. ipsa iussu Principis finem dicitur esse consequuta. Aliud est, cum requiruntur consilia, & Princeps ipse interim aliquid loquitur, ac rationes etiam adducit, vt aliorum ingenia excitētur, atque vtilius de re deliberetur; tunc enim integra adhuc res manet, licetq. Consiliario quid sentit explicare, & si oportet, etiam repetere.

NEC obstat quod de suspicione temeritatis obijciebatur, quando Principi quis audet obsistere; Nam dicimus quædam Consilia-
D rijs, prout Consiliarij sunt, licere, quæ in alijs ferenda non essent, dummodo ea moderatione vtantur, quæ a loquendi libertate modestiam, & reuerentiam numquam seiungat. Illud enim certum est, non semper temeritati, vel obstinatæ menti esse adscribendum, si quis alicui opinioni adhærens, varia in medium argumenta publici boni causa proponat, vt re plenius exagitata, veritas facilius elucescat, dummodo nimius non sit, neve suo is, qui dicit iudicio, magis quàm cæterorum, tribuendum putet.

SVPEREST nunc tertia Thematis propositi pars, quādo forte accideret, vt Princeps silentium in Cōsistorio indiceret, ijs in rebus,

quæ a Cardinalibus non probarentur; quærimus enim, quæ partes tunc esse debeant Cardinalium. Ad quod respondentes, dicimus distinguendum omnino videri, an hoc silentium uni tantum, aut paucis, & nominatim fuerit iniunctum, quod certis de causis fieri potuit, & tunc obtemperandum omnino esse, [a] quod & aliàs supra attigimus: [b] Aut vero toti Collegio indicitur, siue maiori parti eius, quæ totum Collegium referre censetur; & tunc quia ponimus hoc ipsum, quod a Papa decernitur, eiusmodi esse, vt iudicent Cardinales ex eo publicæ rei detrimentum afferri: tum etiã, quia ad hæc ita Papam accedere, est aduersus maiorum morem: tum denique quia in rebus grauibus Consistorialibus antecedere debet consilium Cardinalium, vt aliàs disseruimus; [c] propterea in alia valde huic proxima quæstione a nobis examinata, varijs rationibus conclusimus, [d] non esse Cardinalium silentio id, quod publicæ rei detrimentum irrogare sentiunt, tacite approbandum, cum publici boni patrocinium etiam iureiurando susceperint; quapropter essent tunc partes seniorum Collegij, aut his silentibus, aliorum, supplicare Papæ, ne rem nimis nouam, & insolitam velit attentare, vtq. patiatur benigne Cardinales de more loqui, subijciendo simul communis boni incommoda inde sequutura. Quibus si Papa, quod non est credendum, non acquiesceret, illi tamen non reprehensione, sed commendatione digni erunt censendi, [e] qui ne publica causa deserta relinqueretur, ea commemorare voluerunt, quæ forte Papæ memoriam effugiebant, quod aliquando accidit; [f] & ideo eadem reuerentibus verbis palam exponere, [g] & rem enixe commendare, dignum officio suo duxerunt.

a c. in memoriam 19 dist.
b In quæst. 10. circa fin.
c Diximus supra in q. 3.
d In quæst. 36.
e c qui resistit 11. q. 3.
f c. præterea 23. dist. cum glo.
g Ioan. And. c cum a nobis. de testib. nu. 10 Fel cap si quando de rescript. & nu. 1. & 3.

PARS

An Cardinali non accedere in Consistorium quando a Papa indictum est, culpa sit: & maxime si causam proponendam sciat, cui nullo pacto pro conscientia sibi assentiendum putet.

B DVAS præsens quæstio cum partes complectatur, sigillatim vtramque ad clariorem eius explicationem persequendam esse duximus. A priore igitur incipientes, possent non pauci fortan existimare, non compelli Cardinalium quotiescumque conuocatur Consistorium, illi adsistere. Primum, quia cum frequens satis sit Cardinalium numerus, qui in Vrbe Roma assidui sunt, & consistorio non desunt, parum interesse videtur, an vnus vel alter absit, & præsertim ex ijs, quibus negotia C alia summo Pontifici referenda non incumbunt. QVAES. XLV.

DEINDE, quia quemadmodum Canonicis, si vno vel altero die diuinis non intersit officijs, nulla culpa ascribitur, nisi quòd ex quarundam Ecclesiarum constitutionibus, quotidianas distributiones, vt reliqui præsentes non percipiunt; sic Cardinalem, si, quando ita opportunum iudicarit, Consistorio non adfuerit, sed alijs quandoque rebus sese applicarit, videri potest, minime damnandum esse.

PRAETEREA, cum varia se impedimenta quotidie homini objiciant, ne possit corporis muneribus æquæ perfungi, & multa eiusmodi sint, quæ iure illum etiam in publicis causis excusent, durum D videtur, si Cardinalis sentiens se non ita commode posse aliquibus diebus Consistorio interesse, in culpa censeatur, nisi iustas absentiæ suæ causas semper proferat, & probet.

VERVM re diligentius perpensa, nos longe aliter respondendū existimamus, immunem scilicet ab omni culpa non esse Cardinalem, si a Consistorio arbitratu suo abesse velit, quod vt clarius explicetur, tria sigillatim persequenda esse duximus. In primo capite agemus de obligatione, qua tenetur Cardinalis in Consistorium, quando indictum est, accedere. In secundo, an Cardinalis ad Consistorium non accedens teneatur excusationes vllas proferre, ac probare.

barc. In tertio, de culpa agetur, in quam Cardinalis incurrit, si sine causa non accedit. A

Quod ad primum pertinet, possemus multa rerum publicarũ, atque Senatum optime constitutorum varijs in regnis exempla afferre, ex quibus manifeste apparet, summa ab illis diligentia curatũ, semper fuisse, vt eorum Senatores assidui in publicorum munerum solicitudine continerentur, de quibus & Aristoteles quædam in Politicis tradidit.[a] At nos, his omnibus omissis, non possumus illa, quæ in Romanæ Reipublicæ, tamquam aliarum magistræ sanctionibus continentur, ac proposito nostro magis congruunt, prætermittere. Siquidem Cicero in libris de legibus, cum de Senatoris officio loquẽs dixisset: IS ORDO VITIO VACATO: CETERIS SPECIMEN ESTO;[b] subdit deinde: SENATORI, QVI NEC ADERIT, AVT CAVSA, AVT CVLPA ESTO. Et longe post de eiusdem Senatoris munere verba faciens inquit: HVIC IVSSA TRIA SVNT: VT ADSIT, NAM GRAVITATEM RES HABET, CVM FREQVENS ORDO EST: VT LOCO DICAT, IDEST ROGATVS: VT MODO, NE SIT INFINITVS. B

Deinde notum est, non tantum ex superioribus legibus, sed etiam auctorum multorum testimonio, Senatores illos valde cõmendatos fuisse, qui diebus constitutis, siue legitimi essent,[c] siue extra ordinem indicti, vt quidam volunt,[d] in Senatum conuenirẽt: nam & ideo Cicero ait,[e] Senatoris est boni semper in Senatum venire. Et Hadrianum legimus,[f] Senatui legitimo cum in Vrbe, vel iuxta Vrbem esset, semper interfuisse: & Catonem, accepimus,[g] in Senatum quoties haberetur, semper venisse, veritum ne quid pet gratiam fieret. Qua de causa varia etiam decreta edita fuerunt,[h] ne quis ab Vrbe abesset, & aliquando, ne quis vltra mille passuum a Roma se proriperet.[i] Quandoq; etiã cautum, ne quis Senator longius ab Vrbe Roma abiret, quàm, vt vno die redire posset, neve vno tẽpore quinq; Senatores ab Vrbe Roma abessent,[k] & post Cannensem cladẽ propter solitudinem Curiæ, paucitatẽq; conuenientiũ ad publicum Consilium seueriore edicto opus fuisse aiunt.[l] Vnde Roscium quendam Capitonem, vt eo frequentiores Senatores conuenirent, certam pecuniæ vim testamento reliquisse ijs distribuẽdã, qui certis tẽporibus Senatui se sisterent, scriptũ inuenimus. C D

Ex quibus, & alijs, quę longum esset adducere, licet argumentari, si boni Senatoris officium, apud illos, qui ratione tantum quadam naturali ducebantur, existimatum semper fuit, Senatui adsistere, multo

a Arist. 4 Politic c.9.
b Cic. li. 3. de legib.
c Gell lib. 14. c.7. & Sueton. in Aug. c. 35.
d Capitol. in Gordiano. Bud. in l. ß ff. de Senat.
e Cic. in orat. pro domo.
f Spart in vita Hadrian.
g Plutarch. in Caton.
h Liu lib. 36.
i Liu. lib. 43.
k Liu. lib. 36.
l Ex Liu decad. 3 lib. 3.

A multo id magis in Collegio hoc nostro esse affirmandum, quod omnium orbis terrarum sanctissimum, & augustissimum est, & semper habitum fuit.

Et præsertim, quia tria hic concurrunt, quæ maxime hanc Cardinalium præsentiam, quoties Consistorum indicitur, adhibendam esse suadēt. Primo, auctoritas Papæ. Secundo, munus Cardinalium. Tertio, rei de qua agitur, grauitas. De Papa, quo nullus in terris est potestate, aut honore dignior, aut maior, quid attinet dicere, cum Cardinales simul, atque eius natu, ne dicam iussu, conuocantur, statim omnes exurgere, statim excitari, omnibusque alijs post habitis, B rebus, hora constituta vniuersos se illius conspectui sistere, æquitas, & ratio ipsa postulare videatur?

At quod ad Cardinales pertinet, neminem, existimandum est, cum sacram illam, qua indutus est, purpuram intuetur, adeo sui ipsius oblitum esse,, vt non agnoscat hoc proprium ac peculiare illius munus esse, summo Pontifici in consistoriali maxime Senatu adsistere: immo præter iussum principis, ac suscepti muneris obligationem, quisque illorum secum putare debet, quo frequentior sibi facultas datur, se illum in locum transferendi, in quo Cardinaliū opē, & consiliū Pontifex ipse pręcipue solet exposcere, eo se maiore hoC nore, ac dignitate augeri, ideoque occasiones huiusmodi iuuandi summum Pontificem, & Ecclesiam, non modo non omittendas, aut paruifaciendas, verum summopere ab eisdem expetendas esse.

De grauitate vero, & necessitate ipsius rei non opus est multa loqui, cū ꝑspicuū, sit veterē Cōsistorij institutionē, ad publicas res, atq; arduas tractādas, ac deliberandas inuentā fuisse, ita vt, cū ad illud Cardinales cōuocari audiuntur, statim vnusquisq; sibi persuadere debeat, res nō leues, sed magni ponderis, ac publicæ rei vtiles, ac plerumq; necessarias agendas esse, atq; idcirco numquam nisi ex legitimo admodum impedimento Consistorium deferendum esse.

D Transeamus nunc ad secundum illud, puod ad causam pertinet, idest ad excusationem, quæ olim erat Senatori necessaria, quando in Senatum non veniebat, vt, quatenus etiam hæc hodie Cardinali conueniri possit, videamus.

Ac veteribus quidem multiplex erat excusatio: primum senectus præsertim summa excusationem, afferebat; nam Seneca quodam in loco ait: *Senator post sexagesimūquintū annū in Curiā venire non cogitur, nec vetatur.* [a] Et alibi inquit: *Lex a quinquagesimo anno militē nō cogit, a sexagesimo Senatorē nō citat.* [b] Alia erat causa, cū morbo quis impediretur, probabileq. est etiam, funus familiare, aliasq.

a Senec. lib 1. controuers. 8.
b Senec. lib. de breuit. vit. ca. vlt.

aliasq. eiusmodi causas, quæ in titulo de in ius vocãdo referuntur, a A
Senatu adeundo legitimã quoq; excusationẽ præstitisse. In nõnullis etiam casibus nõ erat opus excusatione, sed nec pignoribus cogebantur, veluti cũ de triũpho alicui cõcedẽdo, vel denegando tractaretur, aut cum supplicatio decernenda erat; nam tunc nulla pœna cõstituta, cogebantur pene Senatores ab illis ipsis, de quorũ re agebatur, aut ab eorũ amicis, vt interessent, quod Cicero innuit his verbis: *De supplicationibus referebatur, quo in genere Senatores deesse non solent, coguntur enim non pignoribus, sed eorum, de quorum honore agitur, gratia: quod idem fit, cum de triũpho refertur.*[a] Et deinde: *Ita sine cura Consules sunt, vt pene liberũ sit Senatori nõ adesse.* B
Hæ tamen, quas modo retulimus, causæ erant in Senatorũ arbitrio positæ, an ijs vellent vti, cum constet, Catonem maiorem, licet admodum senem[b], tamen in Senatum assidue venire solitum fuisse; siquidẽ, vt Valerius scripsit, *Ambiguæ laudis ciuis existimabatur, qui debitis Reipublicæ officijs nõ sua sponte, sed iussus fungeretur: quia quidquid imperio cogitur, exigẽti magis quã præstãti acceptũ refertur.*[c] Illa ẽt maxime honesta causa habita fuit, cũ de alicuius re agẽdũ esset, quẽ præsentẽ ibi inueniri, modestiæ ratio nõ pateretur.[d]

a Cicer in 1. Philip.

b Plutarch. in Catone.

c Valer Max. lib. 2. c. 2.

d Liu lib 26. Plut in Marcel & Valer. Max. li. 4 c. 7.

POTERANT fortasse & aliæ legitimæ causæ subesse, quas nos nunc non persequimur, cum ad rem nostram minus necessarius esse C existimemus; siquidem ea, quæ in hoc secundo articulo de Senatorum Romanorum impedimentis, siue excusationibus commemorauimus, eo tantum pertinent, ne antiquitatis mores, ac instituta penitus negligi viderentur, non quia Senatoribus nostris S. R. E. Cardinalibus hodie congruant, siquidem in foro exteriori, de quo nunc agimus, ea de Cardinalium probitate, ac virtute est, concepta publice opinio, vt illi ad huiusmodi causis, aut alias, quæ illis possunt contingere, proferendas, ac probandas priscorum Senatorum more, minime adstringantur, sed cum aliquando a consistorio absunt, eo ipso iustum illis impedimentum occurrisse præsumatur, nec occasiones vllas illas obortas, immo etiam sponte aliquando susceptas, aliquibus probationibus in foro exteriori docere vrgeantur, sed totum iudicium Deo reseruatur, prout modo ostendemus. D

ILLVD interim non prætermittimus, solere ab ijs pro vetere eorum instituto, singulariq. modestia obseruari, vt, cum de re quapiã, quæ illorum quemquam priuatim attingit, agendum sit, is aut abstineat se interim, ne eo accedat, aut, si præsens sit, & de alijs etiam rebus sit agendum, indetantisper se subducat, donec reuocetur.[e]

e In lib. cerem. 1. sect. 8. cap. 17.

TERTIVM

A Tertium superest, quod pertinet ad culpam. Nam olim apud Senatores Romanos si iusta non præcessisset causa, mulcta ab senti indicebatur, quæ culpam indicabat, eo quòd non venisset in Senatum, & antequam exolueretur, pignora capiebantur, & non solū si abfuisset Senator, verum etiam si tardius in Senatum venisset.[a] Hincq. idem Cicero conqueritur, quòd aduersus seipsum nimis grauiter hac in parte fuisset animaduersum, cum ait. *Quid erat causæ, cur in Senatum hesterno die tam acerbe cogerer? solus ne aberam? an non sæpe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, vt etiam ægrotos deferri oporteret?*[b] Et quia Antonius interminatus erat, se Ciceronis domum, qui in Senatum non venerat, publicis operis disturbaturū, ait: *Quis autē vmquā tanto damno Senatorem coegit? aut quid est vltra pignus, & mulctam?* Est item mentio iterū apud eundem Ciceronem de huiusmodi pignoribus: affert enim verba L. Crassi ciuis clarissimi, & eloquentissimi, qui cum in Philippum Cōsulem inueheretur, hæc verba profert: *An tu, cum omnem auctoritatem vniuersi ordinis, eamq. in conspectu Populi Romani concideres, me ijs pignorib. existimas posse terreri?*[c] Cuius moris meminit Gellius, dū affirmat, M. Varronē de pignore accipiēdo disseruisse.[d]

B

C Vt vero ab hac culpa iniustæ absentiæ minus Senatores excusarentur, cū præsertim aliquid incidisset, de quo sine mora patres consulēdi essent, præconis etiā aliquādo vox adhibebatur, quod Liuius ostendit, dicens. *Postquā audita vox est in foro preconis, patres in Curiā vocantis, velut noua res mirabundā plebē conuertit.*[e] Cuius consuetudinis etiam Cicero, & Appianus mentionem fecerunt.[f] Tradit vero Dio, Augustū has mulctas, quæ absentib. sine legitima causa Senatoribus, captis pignoribus indicebantur, ampliasse; & cū absentium numerus nimis cresceret, coactū fuisse mandare, vt sorte ex singulis quinque absentibus deligeretur vnus, qui mulctaretur.[g]

D

His, quæ ad veteres Senatores attinent, sic explicatis, videndū nunc est, an hæc mulctæ ratio ad Cardinales, & quomodo soleat pertinere. Qua in re, cum duplex, vt supra diximus, iuxta sacros canones forum tradi soleat; alterum quod Fori, alterum quod Poli appellatur: in priore illo certum est nullam omnino notam, Cardinalibus ob eorum absentiam vmquam impingi, nedum mulctam vere adscribi, vt supra ostendimus. At si de foro Poli loquamur, in quo culpæ accuratissime examinantur, & pro modo commissionis, aut omissionis singulæ expenduntur; proculdubio affirmandum est, Cardinalem absentiæ suæ, quamuis etiam vnius diei rationem Deo redditurum esse, ac pœnam, ni causa aliqua iusta, ac legiti-

ma

a Dio lib. 54. vbi de Aug.

b Cicer. in 1. Philip.

c Cic. in præfatio lib. 3. de orat.

d Gell. lib. 14. cap. 7.

e Liu lib. 3.
f Cicer lib. 21. Famil. epis. 6.
Appian. lib. 1.

g Dio lib. 55.

ma detentus fuerit, ab illo omnino subeundam esse siquidem A cum hæc illius sit vocatio, hoc munus, hæc obligatio, vt Papam vocantem sequatur, vt illi adsistat, ac publicas res tueatur, non est quòd existimet licere sibi negotium hoc arbitratu suo tractare. Confirmatur, quia prout aliàs etiam diximus, sicut in corpore humano miro ordine membra omnia fuerunt distributa, & sua cuique functio assignata, oculis, vt videant; manibus, vt palpent; pedibus, vt gradiantur; & vnumquodque eorum cum suo ministerio fungitur, alijs etiam membris seruit, ne detrimentum patiantur, [a] alioquin si proprium officium suum intermittat, aut naturalem locum transgrediatur, vitium contrahit, & totum corpus læditur: sic in corpore B mystico Ecclesiæ, vbi munia peruertuntur, aut locus in acie deseritur: [b] tunc culpa incurritur, & damnum bono publico infertur; Vnde sæpius id repetitum scimus, vt vnusquisque impleat vocationem suam.[c]

His ita explicatis non obstat quod primo objiciebatur parum referre, si vnus, aut alter absit a Consistorio. Nam præter rationes supra traditas, respondetur, cogitandum esse, si alij idem dicerent, quis Papæ, aut consuleret, aut ministraret? cur dictum illud olim fuit: *Attende tibi*? nonne vt quisque rem suam præcipue agat, & officio suscepto fungatur, perinde ac si solus esset, cum sui ipsius C non aliorum ratio sibi sit reddenda. ?

Non obstat secundum: nam Canonici, cum pœnam certam in eorum Constitutionibus statutam habeant, videntur interim, si breui saltem tempore absint, a culpa excusari: [d] At Cardinalibus cum propter publica negotia ad Consistorium accersuntur, sunt alia omnino postponenda, nisi graue admodum, aut necessarium se impedimentum interponat: ob id enim his honorum insignibus præ alijs fulgent: ob id a summo Pontifice hac auctoritate decorantur ob id stipendia ab eo Ecclesiastica consequuntur, vt eidem præ ceteris adsistant, pro eo laborent, atque alijs exemplum indefessæ so- D licitudinis publicæ rei causa præbeant.

Hinc quoque ad tertium respondetur, ea legitima impedimẽta non excludi, quæ conscientia cum Dei timore coniuncta, rectę rationi consentanea esse iudicauerit, vt supra diximus.

Quibus ita constitutis: quæritur nunc quod in secunda parte Thematis propositum fuit, si Cardinalis sciat de negotio agendum, quod ipse probandũ esse pro conscientia sua non putat, an satius sit se ab illo congressu abstinere quàm eò accedere. Videtur autẽ primo aspectu tutius esse illi ad Consistoriũ non accedere: quia cum vereri

possit,

a Auct. oper. imperfec. hom. 35. in cap. 20. S. Matth.

b S. Chrysost. in epist. ad Ephes. c. 4. homil. 11.

c Rom. 12. et 1. Cor. 12.

d Nauarr. in Manual. confess. cap. 23. tit. quæ lex humana §. 3. quod non obligant, nu. 49 & nu. 55. §. 6. quod quousque. Angel. in verb. inobedientia in fi. Alphõs. de Castr. de potest. leg. pœnal. lib. 1. cap. 9.

A poſſit,ne in aliam ſententiam pertrahatur,& ſcriptum ſit : *Quiamat periculum peribit in illo.* [a] Ideo longe tutius,& ſapientius eſſe putare poteſt,interim ſecedere,nec ſe huic diſcrimini cõmittere:quandò quidem cum ab abſentibus ſuffragium nullum feratur, nulla etiam culpa ab ijs contrahetur, in quã apporobando ſiue improbando incurri poteſt. Deinde,quia in ſimili quæſtione de ijs,qui ad Synodũ Epiſcopalem accerſiti intereſſe ei nolũt, fuit olim ab aliquibus Doctoribus reſponſum, [b] eos iuſte excuſari poſſe, ſi præſenſerint cauſam omnino iniuſtam pertractandam eſſe cui aſſentiendum non putarint. Nos tamen, qui ſæpius antea oſtendimus, Cardinales,
B quos ſibi Papa & Conſiliarios,& adiutores delegit, obſtrictos eſſe, non ſolum vt fidele conſilium ei præbeant, ſed etiam vt publicam rem, quoties opus eſt, pro viribus adiuuent, & tueantur, nullo pacto cenſemus impedimentum,quod in Themate proponitur,afferre legitimam excuſationem Cardinali, immo hinc magis vrgeri, vt ceteris rebus omiſſis in Conſiſtorium ſe conferat, quo certius illi videtur periculum,ne publica cauſa detrimentum patiatur.

a Eccli. 3.

b Innoc. Fel. in c. quod. ſuper. de maior. & obedien. in princ.

Scripſit S.Gregorius, [c] Paſtorem, & mercenarium tranquillitatis tempore perſimiles videri, vbi vero periculum, & certamen aduenerit, ſtatim diſcerni : ille enim apud gregem in eius cuſtodia ma
C net,hic fugam arripit : ſic in rebus Conſiſtorij, cum omnes affectu æquales eſſe debeant,occaſio rerum grauiorum diſtinguit veros Cõſiliarios ab alijs:illi enim,quo periculoſiora inſtãt negotia,eo acrius ſe ad illa adiuuanda accingunt : hi vrgentibus difficultatibus libenter ab eiſdem ſe ſubducunt.

c S Gre, homil. 14. in Euãgel.

Qvod ſimiles,qui,iubente Imperatore,vt in certamen deſcenderet,ipſe periculi vitandi cauſa aliò diuerteret, militis nomine indignus eſſet; quid de Senatore dicemus, qui quo tempore Senatus ad res difficiles, periculoſaſq. deliberandas accerſitur, propter priuatas ſuas ſuſpiciones, ne dicamus ad vitandas moleſtias, ſe in ſolitudi-
D nem reciperet ?

Solent conſultationes a Principibus indici, vt periculis occurratur,ac publicæ vtilitati proſpiciatur,ſicuti Imperator ingruentibus hoſtibus milites vocat, exercitumq. cogit, cuius auxilio hoſtes repellantur. Papa itidem cum Cardinales in Conſiſtorium accerſiri iubet, eo ipſo indicat ſe Cardinalium opera, & conſilio indigere, vt publicis periculis obuiam eatur, atque vnà de populorum incolumitate rerumq. Eccleſiaſticarum commodo decernatur. Quæ igitur iuſta poterit eſſe Cardinalis tunc excuſatio, qui collegarum ſuorum declinans congreſſum,tamquam ad ſe publica res non per-

tineret, sibi potius, quàm rebus communibus laborantibus duxerit A
esse consulendum?

a Matth. 20. ET quidem terrere omnes debent voces illæ Patrisfamilias ad operarios, *Ite in vineam &c.*[a] præsertim cum ijdem Cardinales nõ possint respondere, quia nemo nos conduxit; Sunt enim a Patrefamilias delecti, atque in amplam vineam vocati, quibus præter denarium, quem illis, sicut & alijs, si munus suum præstant, in extremam diei partem reseruat, addidit etiam in hoc vitæ curriculo honestissima præmia, quando illos in amplissimo dignitatis gradu locauit, summumq. ipsis honorem ab omnibus haberi voluit. Si igitur, cum tempus laboris instat, illi abijcientes onus, alio se conuertunt, audiant quid propheta exclamet: *Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israel.*[b] Nam si filiũ patri, seruum domino, nautam gubernatori, cum necessitas postulat, deesse non oportet sed presto illis esse, atque opem ferre, cur Cardinalis, quando de cõmunibus Ecclesiæ difficultatibus tractandum est, Consistorij claustra de industria deseret, & summo Pontifici tunc maxime, quando opus est, non adsistet? B

b Ezech. 13.

NOTVM satis est, illius munus esse, se Pastorum Principi adiutorem præbere, vigilias agere, gregi Dominico cauere, hunc tueri, & custodire. Itaque cum dicatur positus esse tamquam Consiliarius in ea statione, vt consulat, non debet, cum aduersi aliquid occurrit, locum, & ministerium suum relinquere. Nam, vt de Episcopo ait sanctus Hieronymus, non solum honoris, sed laboris hæc nomina dicuntur.[c] C

c In epist. ad Timot. c. 3. in Ezech. 34. & Sophon. 3.

PRAETEREA si Consiliarius suspicari se dicat, tractandam esse causam, quæ multos habitura sit suffragatores, quorum sententiæ tamquam minus salutari ipse nolit accedere; vrgere hoc potius illũ deberet ad Senatum adeundum, tum quia minime ipse compellitur vt illis multis repugnantibus inuitus assentiatur: tũ quia quo a pluribus Reipublicæ salus deseritur, eo certius, ac firmius fideli Cõsiliario onus adiungitur, vt laboranti Ecclesiæ manum præsenti suo cõsilio porrigat; & dãno, quod in ianuis est, se obijciat, ac labanti Reipublicæ subueniat. Quòd si forte ab ijs palam dissentire a grè ferat, tunc sciat, non Principis, aut Reipublicæ, sed suam potius causam agere, quippe qui priuatũ commodũ bono publico anteponit. D

SED amplius: Si iustitiæ lege tenẽtur Cardinales Papę in ijs, quæ ad eorum munus spectant, obtemperare; cur a Papa accersiti accedere renuunt? & si ea de causa eos vocat, vt sententiam dicant: cur illi ne dicant, has latebras quærunt? cauendum illis certe est, ne

vmquam

A tamquam mercenarij aufugisse videantur, cum dicat S. Gregorius: *Fugit non tantum qui mutat locum, sed qui subtrahit solatium: fugit, qui se sub silētio abscōdit: fugit, qui tacet, cum resistere deberet.*[a]

Fingamus, multos esse, qui Principi persuadeant, vt, Vrbe Roma relicta, se Auenionem conferat, rumorq. hic adeo percrebescat, vt magnam Senatorij ordinis Partem ad se trahere videatur: ob idque Papa Consistorium indicat, vt de Cardinalium sententia, quid faciendum sit, deliberet: An ergo Cardinalis, qui multo plures in eam partem, quam Reipublicæ incommodam putat, inclinaturos videt, debebit idcirco ab aliorum congressu in Consistorio se abstinere?

B An quoniam alios in contraria sententia constantissimos esse audit, propterea debebit suam in Reipublicæ vtilitatem rationibus corroboratam comprimere? Quid vero si illius iudicium alios forte permoueret? quid si auctoritas argumentorum viribus munita flecteret? quid si aliorum corda cælestis Spiritus immutaret? partes certe ille suas implere debet, cætera Dei prouidentiæ committere. Veniendum est, audiendum est, loquendum est: ne quando pœnitētiæ stimulis excruciatus cogatur dicere: *Veh mihi, quia tacui*[b].

Nec obstat quod de absentibus supra dicebatur, qui hac ratione se ab omni culpa eximere videntur: nam cum officium suum,

C quo tempore magis est necessarium, deserunt, eo maiore se culpa inuoluunt.

Deinde verum id esset, si ad ferenda suffragia ex officio nō tenerentur: at cum ob id Consiliarij sint instituti, vt cum res postulat, loquantur, aptas ad persuadendum rationes in medium afferant, alijsq. obsistant, non possunt excusari, si Consilio coacto, ipsi se a Senatu subducant, & dum alij laborant, ijdem otio, & quiete perfruantur, ex quo damnum Reipublicæ ob eorum negligentiam subsequatur.

Rursus non obstant, quæ de Episcopis dicebantur, qui ad

D Synodum Episcopalem accedere recusant: nam, vt omittamus, de illa Doctorum opinione non leuiter dubitari posse, quando, vt Innocentius Papa inquit: *Error, cui nō resistitur, approbatur: & veritas, cū minime defenditur, opprimitur.*[c] Dicimus, cum in legitima diœcesana Synodo nihil sit statuendum, quod canonicis obuiet institutis:[d] idcirco vbi aliquid in ea definiendum esse scitur, quod Pontificijs legibus repugnet, non dici vero Synodum, & tunc merito excusari Episcopos, & Abbates, qui eo non accedunt:[e] quod diuersum est a Consistorij actionibus, vt notum est.

Addimus, quidquid de Episcopis Doctores aliqui sentiant, di-

T uersam

a S. Greg. in homil. 14. in Euang.
b Isa. 6.
c c. error. 83. distin.
d Turrecr. in Sum lib 3.
e 3. vers. certia specus. Henr. Bot de Synod. par 1 nu 5.
e d cap super. eod.

uersas admodum esse inter sese Episcoporum, & Cardinalium ratio- A nes, cum inter varia Episcoporum munia, hæc obligatio accedendi ad Synodum, non sit primaria: nec sit præcipuum munus, quod ab eis, in eorum administratione necessario exigitur: Nam tenentur illi vel Synodo interesse, vel si legitimo impedimento detineantur, excusatores mittere, qui decreta Sinodi ab alijs confecta suscipiant: [a] Cardinalis vero munus, cum in eo maxime positum censeatur, vt a consilijs sit Papæ, quæ consilia potissimum peti solent in Consistorio, non videmus qua honesta ratione possit ille, quando indicitur ei Consistorium nomine Papæ, si legitimum cesset impedimentum, eò non accedere, [b] & tanto magis si rem per- B tractandam credit grauissimam, & in detrimentum publicum concludendam: siquidem suscepit hoc officium, quod iure suo exigit, vt diebus constitutis in Consistorium veniat, & Papæ consilia petenti, atque Reipublicæ necessitates proponenti opem, & auxilium ferat.

a Conc. Carthag iiij. c. 21. & Cartha v. c. 10.

b Gardin. Alban. de Card. quæst. 10.

Et si replicetur, nolle illum iniustæ, quam putat, causæ assensum coram adhibere; Dicimus, quòd cum Cardinalis officium sit, dare consilium, tuncq. in primis necessarium sit consilium, cum res in graui, & ancipiti loco versatur; certe is, qui hanc sumeret occasionem non accedendi ad Consistorium propter rei difficultatem, exi- C stimare potius deberet, obligationem idcirco esse accedendi: cum tunc præcipue consilio res egeat.

Et qui fortasse putat, si non accedit, facilius se ex periculo committendi peccatum euasurum, caueat ne hæc recusatio potius ei peccandi occasionem afferat: & quod in remedium ille adhibet, illud ipsum tamquam venenum mortiferum in perniciem vertatur. Cum enim officium suum deserat, quo tempore est Reipublicæ maxime necessarium, ipse videat quomodo culpa vacare possit, & qua ratione vitare queat ne reus sit damni: quod ex eius absentia secuturum est. D

Ad quem cõgrue pertinere vox illa prophetæ videtur, dũ ait: *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandũ, vniuersæ bestiæ saltus.*[c] Et explicans causam eius rei subdit: *Speculatores eius cæci: canes muti, nõ valẽtes latrare, vidẽtes vana, dormientes & amantes somnia.* Hæc enim verba forte aliquis ad Cõsiliarios posset accõmodare. Nã dũ ait, *Speculatores cæci,* Cõsiliarios indicare videtur: quorũ officiũ cũ sit tãquã ex specula publicæ saluti prospicere, & impedẽtia dãna auertere, cæci tamen apparent, & nihil eorũ, quæ necessaria sunt, discernunt. Et dũ ait, *Nescierunt vniuersi,* eos arguit, qui non agnoscunt

c Isa. 56.

scunt

A ſcunt quid eorum munus poſtulet, nec ob quem finem fuerint in ſummum Senatorium ordinem cooptati. Dum ſequitur, *Canes muti, non valentes latrare*, eos notat, qui timore mundano in Senatu ſilent, quando acriter loqui deberent. Dum inquit, *Videntes vana*, eos attingit, qui friuolas afferunt excuſationes, & a ſolida veritate diſcedunt. Dum addit, *dormientes*, eos oſtendit, qui tamquam ſomno ſepulti, vocem Principis non audiunt, vocantis eos in conſilium ad res publicas adiuuandas. Demum dum ait, *Et amantes ſomnia*, eos perſtringit, qui proprias commoditates, ſeu delicias præferunt bono publico, noluntq. palam loqui quod ſentiunt, ne ſomnia ſuarum vo-
B luptatũ, aut præcipitem cupiditatum ſuarum curſum interrumpant.

PARS V. QVAEST. IX.

An debeant Cardinales ſubſcribere Bullas ſummorum Pontificum, quamuis in Conſiſtorio ab ijs diſſenſerint, & ſubſcriptionis quoque tempore eas vere & ex animo non probent.

QVAES. XLVI.

C

QVONIAM de ſubſcribendis Bullis Pontificijs in præſentia nobis ſermo eſt futurus, operæ prætio vr̃, illud in primis intelligere, veterẽ hũc in Eccleſia morẽ fuiſſe, vt decreta Apoſtolica Cardinales ſubſcriberent,[a] ſicuti & Canonici ea, quæ a Prælato fiebant.[b] Verũ eſt tñ, a Doctoribus multis affirmari, morẽ illũ obſoluiſſe iã, nec hodie amplius Car-
D dinales ſubſcribere.[c] Qđ fortaſſe in priuilegijs Apoſtolicis, de quibus ipſi loquuntur, atq; alijs Diplomatibus quibuſdã locũ habere poteſt, quæ a Cardinalibus non ſubſcribuntur. Sed quod ad conſtitutiones Apoſtolicas pertinet, quæ vim legis generalis obtinere ſolent, multorũ eſt ſententia, vetuſtiſſimum hunc ſubſcribendi morẽ in Eccleſia Dei fuiſſe, ac perpetuo pene vſu vſque ad tempora noſtra permanaſſe, prout ex ipſiſmet conſtitutionibus, quæ tum in Bibliotheca Vaticana, tum in Archiuijs multarum Eccleſiarum fideliter aſſeruantur, omnibus patere poteſt. Nec id quidẽ accidit, quia ſummus Pontifex in rebus ſuis decernendis vllius robore, aut ſubſcri-

a c. cum Redẽptor 12 q. 9. glo ſi c c cũ a nobis. de teſt Spe. tit. de reſcrip. præſent. § primo igitur nu. 7. Anch d. c. a nobis. nu 9.

b c. 1. de his quæ fiunt a Præl. ca quod quis 35. q 9.

c Io Andr. in addit. ad Spe. d. § primo igitur Imol. c. 1. de his quæ fi. a Præl nu. 6. Caſtren l ſacri. nu 2. C de diuerſ reſcr Ioã. de Graſſ. in tract de reſcr. Apoſtolic nu. 13. Ab. Card. Imo d c cum a nobis de teſtibus in fine.

a Paul de Castro cons. 414. nu.6. vol. 1.

ptione indigeat, siue quòd Cardinalium auctoritas tamquam testium, aut publicarum personarum ad Apostolicos actus roborandos, ac muniendos sit necessaria, a sed ita vetere instituto receptum videmus, siue quia Pōtificis prouidentia rem non fortuito, sed multorum consilio diffinitam esse, omnibus patere voluit: siue ex ordinis ipsius amplitudine, siue ex quadam membrorum cum capite coniunctione, vt ab eius latere numquam discedant, siue quacumq; alia ratione sic vsu diuturno probatum nouimus, vt certis casibus, ijsq. grauioribus, præeunte summi Pontificis manu, ipsi quoque nomen suum subscribant. A

QVAERIMVS igitur quando Cardinales, rebus in Consistorio propositis, repugnassent, & adhuc eas ex animo non probarent, an nomine Pontificis requisiti, vt Bullæ edendæ subscribant, iure id recusare, aut quid facere debeant. Dubium non leue inde oritur, quod cum supra varijs in quæstionibus probatum a nobis fuerit, non licere Cardinali aliter respondere, quam sentiat, nec vmquam conscientiam suam fallere: id multo magis in casu proposito seruandum esse videri poterit, de subscribendis propria manu Bullis agatur: Nam si tanta in ijs, quæ voce sola, & ex tempore plerumque pronunciantur, cautio adhibenda est, vt nihil aduersus animi propositum, fideique munus proferatur: quid in ijs rebus dicendum erit, ad quas non nisi magna præparatione, ac maturitate accedimus, & quæ manu nostra subsignata, perpetuum omnibus mentis nostræ testimonium sunt allatura? Profecto si quis eo tempore, quo de subscribendi ijs agitur, conscientiæ suæ fidem sentiat repugnantem, videri potest sic commendandus, si ab ijs abstineat, prout damnandus si manum suam apponat, præsertim quòd cum huiusmodi subscriptio videatur quędam dati a se antea consilij attestatio, Cardinalis, qui, quantum potuit, obstitit ne Bulla ederetur, nedum eam fieri suasit, nunc subscribendo, in mendacium manifeste incurreret: quod cum diuina lege sit interdictum, nullius auctoritate cuiquam potest imperari. B C D

VERVM siquis rem diligentius examinarit, contrarium potius probandum esse inueniet, quod vt manifestius fiat, quædā antea animaduertere oportet, tum ratione summi Pontificis, tum Cardinalium, tum etiam temporis, quo negotium agitur. In Papa triplex considerari potest voluntas, quædam nondum firma, neq; certa, atque, vt aliqui dicere solent, ambulatoria: quædam deliberata, sed non præceptiua: tertia etiam præceptiua. In Cardinalibus, duplex refertur persona: altera priuata, quæ illis cum reliquis hominibus

commu-

A communis:est altera publica, & propria, quam hauriunt ex dignitate Cardinalitia. Quod ad Priuatam attinet, censentur singuli eorum, perinde ac cęteri omnes, esse de ouili Christi Saluatoris nostri, qui vnum Pastorem vniuersalem Romanum Pontificem Christi Vicarium agnoscunt, eundem, vt filij patrem, vt subditi dominum, vt fideles Ecclesiæ caput & principem colũt, & venerantur. [a] Quo ad publicã vero spectat, cum hæc dignitas eo fuerit instituta, vt essent in Ecclesiæ Dei, qui ab illius Vicario pro eius arbitrio delecti, sedem Apostolicam, ac summum Pontificem dictis, & factis adiuuarent [b], hinc quoque multiplex illorũ officium vario distinctũ nomine pro-B ficiscitur. Dicuntur enim electores, cum sede vacãte eligunt Papam: dicuntur Consiliarij cum illum consilio, suasionibus, & rationibus iuuãnt: dicuntur cooperatores, & ministri, cum eius res promouẽt, ac iussa exequuntur: & vt quidam non insulse dicebat, sicuti potentiæ vegetatiuæ tres sunt actus, siue officia, quæ sunt generare, nutrire, & augere; [c] sic Cardinales dicuntur generare quodammodo Papam, cum illum eligunt: nutrire, cum illi dant consilia; augere cum opere illi præsto sunt, eidemq. suffragantur.

a Extrauag. vnã sanctam. de maiorit & obed.

b c. per venerabilẽ. qui fil. sint legit. Viguer. in sum. c. 17. §. 1. versic. 11.

c S. Th. 1. par q. 78. artic. 2. Arist. 2. de anĩ tex. 54. & seq.

NVNC, omissis alijs muneribus, quæ ad rem nostram non pertinent, dicimus in præsenti quæstione, qua agitur de condendis Bul-C lis Apostolicis, tria esse tempora spectanda, quæ triplici illi, de qua diximus, Papæ uoluntati respondent.

Primum est, quando Papa rem proponit in Consistorio, ut de ea constitutionem aliquam populo promulgandam decernat: & propterea consilia petit Cardinalium, ut inquiratur, & deliberetur ex pluribus quid eligendum, quibus medijs utendum, & quomodo id exequendum. Quo quidem tempore uoluntas Papæ nondum est firma, & deliberata, sed habet se tamquam soluta & vagans per varias cogitationes, indagans ubi debeat consistere: & tunc licet unicuique Cardinali, immo debet quisque dicere quod sentit, aiendo, D siue negando, addendo, aut minuendo pro animi sui conscientia. Et quamuis, etiam tunc Papa aliquid interloqueretur, & in medijs ipsis Cardinalium sententijs aliqua enunciaret, ex quibus animi illius sensus deprehenderetur; quoniam tamen totum illud temporis spatium consultationi tribuitur, vt diligentius negotium examinetur, res adhuc in eo statu permanet, ut possit prout magis placuerit constitui, quia interea semper agitatur fluctu tractationis, nec stabilem adhuc sedem apprehendit, idq; totum actibus (vt aiunt) speculatiui intellectus respondet. [d]

d S. Th. 1. 2. q. 57. art. 6.

Alterum deinde tempus est, postquam auditis Cardinalium sen-

tentijs Papa ex pluribus secernit id, quod ei potius videtur, in eoq. A
figit voluntatem suam, quæ voluntas deliberata dicitur, ex eoq. dignoscitur; quòd ipse Pontificali sua maiestate, & potestate conceptis ex vetere instituto verbis coram toto Senatu solet rem diffinire suo decreto, dicens: *Auctoritate omnipotentis Dei, & beatorũ Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, statuimus, &c.* Et hoc tempus ab rationem practicam spectat. [a] nec in eo est amplius locus Cardinalium disputationi, quia res iam terminata est: sicut in iudicijs ante quam conclusum sit in causa, licet instrumenta, testes, aliasq. probationes proferre: lata vero sententia omnia conticescunt. Itaque, quæ priore tempore consultantur, & excutiuntur, in ipso cursu sæpe mutantur, & refelluntur, prout vsu venit, & ideo non decreta, sed consultationes, seu actiones Consistorij ab aliquibus vocari solent. Quæ vero postea a Papa diffiniuntur, illa decreta, & constitutiones appellantur, quibus non licet amplius refragari: sic in Synodis Patrum obseruatur: nam antea multa in disputationem veniunt, ac pro sententiarum varietate mutantur. Quod vero die sessionis postea firmatum, & sancitum fuerit, id vere decretum dicitur, & ab omnibus, accedente summi Pontificis approbatione, sacrum, sanctumq. integre, inuiolateq. habendum est. Hinc dicebat sanctus Augustinus, *De legibus iudicandum est, cum instituuntur, non cum institutæ fuerint, nec postea de ipsis, secundum ipsas est pronunciandum.* [b] Idq. in Collegijs, atque Vniuersitatibus obseruari solere Doctores testantur. [c]

a S Tho. 2. 2. q. 7. art. 8.

b In lib. de uera relig. c. 31. cap. in istis. 4. dist.

B

C

PERTINET huc quoque illud ipsum, quod a nobis in præsenti quæstione agitur de Bullis subscribendis: siquidem post pronũciatum a Papa decretum, solet idem sacra manu sua illud deinde litteris mandatum, ac diplomate comprehensum subscribere, ad cuius imitationem, Cardinales quoque propria manu consueuerunt nomen suum subijcere, tametsi vsus obtinuit, vt cum eduntur Bullæ, nomen quidem Pontificis characteribus in orbem conceptis, quasi Pontificali quodam signo emittatur: [d] Cardinalium vero, prout varij sunt eorum ordines, a dextera Episcoporum, & Presbyterorum, a læua Diaconorum nomina rectis lineis apponantur, quamuis neque hoc omnino perpetuum sit. Sed quomodocumque hæc se habeant, constat sane eos, qui antea se Consiliarios Papæ in ea Bulla examinanda, & excutienda gesserunt, deinde postquam Papa auditis eorum consilijs tamquam ex oblata sibi materia id elegit, quod Reipublicæ vtilius futurum esse iudicauit, idq. subsignatione sua probauit, ipsos non amplius, vt Consiliarios se habere, sed vt ministros

c Gl. Gemin. Prepos. Turrecrem. d. c. in istis.

D

d Spec de re script. præsen. §. primo igitur nu. 2.

A nistros, & cooperatores eadem probantes & subscribentes, quæ Papa iam firmauit, & conclusit, tamquam per eiusdem vestigia gradientes.

Tertium superest tempus post constitutionem iam a Papa sancitam, quando eam vult summus Pontifex a populo recipi, atque in mores induci: nam tunc eam præcipit promulgari, atque post certum tempus ab omnibus omnino obseruari: [a] quo loco surgit tertia illa voluntas, quæ dicitur præceptiua, cum id, quod ipse secum statuit, & deliberauit, id pariter a reliquis executioni mandari iubet. Et hic tantum abest, vt Cardinales possint amplius dissentire, B vt immo quoties Papa eos eiusmodi lege includi mandat, debeant ipsi tamquam filij, & membra illius ad obediendum primos se exhibere, ita vt sicut inter alios dignitate, atque honorum insignijs præfulgent: sic obedientiæ laude, & in litteris Apostolicis obseruandis exemplo, debeant reliquis prælucere. Hanc autem, quam diximus, triplicem voluntatem, non negamus in alijs quoque Principibus, qui legis condendæ facultatem habent, considerari posse, cum & ex rei natura in omni prudendi deliberatione antecedere debeat consultatio, sequi electio, & postremo loco executio; sed tamen quia materia, de qua hic agitur, quædam alia diuersa ab ijs po- C stulat, ideo hæc in præsenti attingere visum est.

HIS igitur ita pro clariori totius quæstionis intelligentia constitutis, præsentem difficultatem dissoluunt aliqui, dicentes, Cardinalem, quamuis in Consistorio dissenserit, teneri tamen Bullam propria manu subscribere, tunc videlicet tantum, quando maior pars Cardinalium Bullam ipsam approbauit: & rationem afferunt, quia tunc non potest Cardinalis non id sequi, quod a pluribus probatū fuisse videt, cum hæc regula iuris sit, [b] in Collegijs quod a maiori parte receptum fuit, illud omnium sententia roboratum censeri, quamuis aliqui contradixerint. [c] Nam & ille, qui dissensit, nunc D priorem sententiam, tanquam minus probabilem, deponere existimatur, atque intellectum suum cum humilitate captiuare, vt frequentiori sententiæ tamquam prudentiori adhæreat. [d] Sic & de Lacædemonijs legitur, [e] qui, postquam res firmata erat a Consilio, nō amplius disputabant, immo ijdem, qui antea repugnabant, postea decretum defendebant, quod & ab Acheis in Republica receptum fuisse legimus: [f] sed & in annalibus religionis S. Dominici traditū est, [g] in Capitulo generali Londini habito anno MCCXIII. vbi gloriosus S. Thomas de Aquino tanquam diffinitor Prouinciæ Romanæ adfuit, constitutum fuisse, vt quando aliquid a maiori parte

a *Authen. vt fact nou. cōst. S.Thom 1. 2. q. 90. art. 4.*

b *l. quod maior ad municip. c. 1 de his quæ fi a maio.*
c *Abb. c ex parte de conces prabē nu. 3 & c postulasti nu. 14. eo. tit.*
d *Arg l. si in tres de arbit.*
e *Plutarch. in Lycurg.*
f *Liu lib 32.*
g *In lib. histor. generalis S. Dominici lib. 2. cap. 68.*

diffinitorum aduersus aliquorum sententiam decretum est, is, qui in A
contraria sententia fuisset, numquam proprium suffragium cuiquã vlla occasione, aut tempore manifestare auderet; & in varijs Regni Castellæ tribunalibus obseruari, vt lata sententia a maiori parte iudicum, alij quamuis dissenserint, eidem subscribere teneantur; quia & hodie apud sacræ Rotæ iudices eundem esse vsum nouimus, vt quando plurium inter se suffragia conueniuntur, tunc sententiæ de coadiutorum omnium consilio, & assensu pronuncientur, tametsi aliqui ex ijs repugnauerint.

HAEC responsio quamuis veritati congruere videatur, quoniã tamen generalis non est sed ad eum tantum casum redigitur, quando crebrior Collegij pars interse concors est; ideo dubitationem in B
alijs casibus parere posset, quando scilicet maior pars a decreto Papæ discreparet: nam tunc dubitari potest, an hi, qui dissentiunt, subscribere Bullæ teneantur. Et quamuis hunc casum numquam accidisse memoria teneamus, & vix fieri posse vt accidat existimemus, tamen quia illius explicatio rebus alijs multis declarandis conducere potest, non ab re esse duximus, aliorum saltem sententias referre potius quàm vt certi quidquã nos diffinire audeamus. Primũ enim non defuerunt, qui sentirent, iudicem auctoritate sua posse inuitum aliquem compellere, [a] vt alicui actui subscribat, eumq. qui subscri- C
bit culpa vacare, quod non sponte, sed imperio coactus id faciat. Vnde Cardinalem quoque in casu nostro subscribentem, quando id iubente Papa facit, aiunt non ideo conscientiam suam lædere, cum illud faciat inuitus.

SED hæc responsio non congruit: quoniam aliud est, cũ quis antea tacite, vel expresse alicui actui consensit: tunc enim potest interdum compelli a iudice, consensum antea præstitum subscriptione sua declarare: [b] quo casu loquuntur ij, qui contrarium innuere videntur. Aliud est, cum nullus consensus antecessit, prout in casu nostro, in quo Cardinalis numquam nec consilium dedit, nec dare D
poterat repugnante conscientia, ideo nec ad exteriorem aliam subscriptionem ipse nunc adigi posse videtur.

ALII dixerunt, quamuis regula sit, cum, qui subscribit, censeri approbare actum, qui scripto illo continetur; [c] id tamen multis in casibus locum non habere traditis a Doctoribus, inter quos ille præcipue receptus est, quando subscriptio fit ab aliquo ratione officij, quod exercet. [d] Vnde cum hoc casu Cardinalis subscribat Bullæ propter officium, quod exercet, tamquam minister Papæ, non deducitur hinc talis eius voluntas esse.

a Benedict. de plumbin. in l. qui agnitis. de except nu 1.
b l fi. § necessitate. C. de bon qua liber. vbi Cyn nu. 1. Alber num. 4. Bart. num. 2. Castr. num. 3.
c l. Caius, vbi glo. & Bar de pign act Imol cap si quis de reb Eccles nu. 14. Ias l. ita stipulatus §. Chrisogon. de verb. oblig. nu. 2.
d Fel c. quoniam contra de probat. nu. 44 46 & seq. Paris. consil. 101. num. 74. in 1.

SED

A S E D neque hæc responsio sufficit: nam aliorum ministrorũ officia solent pendere a libera voluntate Principum, aut aliorum superiorum ea mandantiũ, ideo minister sæpe exequitur quod superior iubet, non quod ipse vere sentit. At Cardinalis officium suum, quod consulendi est, ita a Papa sibi datum esse agnoscit, vt tamen ex diuinæ legis regulis ad Reipublicæ vtilitatem exercendum esse sciat. Vnde quidquid agit siue consulendo, siue subscribendo, id, oculos in Dei legem, & in publicum bonum dirigendo agit, & propterea ab illius voluntate discedere numquam debet.

A L I I dixerunt, nihil laborandum esse, quacumque ratione, aut pacto id fiat, cum satis sit antecedere mandatum & iussum Papæ,
B cui omnino obediendum est in ijs, quæ non repugnant iuri diuino, [a] alioquin si recusandi, aut tergiuersandi locus esset, omnis disciplina obedientiæ, & debitæ subiectionis dissolueretur. Sed nec istud soluit dubitationis nodũ: quoniã ponimus nos mandatũ quidem Papæ præcessisse, sed dicimus, si eo mandato contineatur, vt Cardinalis sua subscriptione testetur, se Bullę illius condendæ Consiliarium extitisse, tunc, cum verum hoc nequaquam fuerit, quoniã Cardinalis id numquam suasit, præceptum huiusmodi obligationẽ non parere, tamquam iuri diuino repugnans, quo mendaciũ omne prohibetur, vnde sequitur, disciplinã obedientiæ huc non pertinere. *a S. Tho. 2. 2. q. 104 art. 5.*

C N O S igitur, quoniam hæ responsiones non omnino difficultates præcidere, ac clare rem explicare videntur, aliò dubitationem flectendam esse censeremus, inuestigantes quorsum, & ad quem finẽ hæc subscriptio a Cardinalibus soleat adhiberi: Aut enim ea testari solum intelligunt, se constitutionem illam præcedente Papæ diffinitione probare, atque quod in ea Papa sentit, idem quoque & eos deposita priori conscientia sentire, & tunc nihil repugnat, quominus id liceat eis facere, cum ponamus iam Papam manu sua Diploma subsignasse, cuius exemplum Cardinales subscribendo debent imitari: siquidem Papæ auctoritas & decretum in rebus san-
D ciendis, non pendet a consilijs datis a Cardinalibus, sed nititur propria eius vi ac voluntate, qui deligit ex varijs sententijs sibi propositis quod sibi iustius, atque vtilius videtur. Vnde, cum nihil hic versetur, quod iuri diuino refragetur, & illa subscriptio fiat tunc in signum ministerij, & reuerentiæ, si tenentur Cardinales constitutionem ipsem vsu recipere, & facto exequi, cur non magis debent verbis illam probare? Vera enim fidelis ministerij laus non in ijs tantum sita est, quæ ad sensum nostrum fluunt, sed in ijs magis, quæ voluntati nostræ repugnant, & nos potius contristant, [b] immo hoc casu *b S. Tho. 2. 2. q. 104 art. 2*

casu magnopere commendandi videntur, qui post rem diu multumque in Consistorio examinatam, atque post id, quod ipsi sentirent, libere explicatum, argumentisq. corroboratum, cum tamen viderint, summum Pontificem, qui in specula positus multo plus alijs & prospicere, & sapere cēlendus est, diuersum ab ijs sentire, ipsi eius iudicio cedendum, atque eximiæ prudentiæ magis, quàm erroneæ conscientiæ adhærendum putant. A

Et si adhuc vrgeret aliquis, ex cōscientia etiam erronea aliquem obligari, ita vt aduersus eam committere non debeat, & ideo non licere illi, qui secus in animo suo sentit, etiam iubente Pontifice se ipsum fraudare, & ostendere se id probare, quod vere non probat; B Respondemus, ex conscientia erronea non obligari aliquem, vt eam sequatur, sed vt eam deponat,[a] cum ignorantia, a qua ille error procedit, sit, vt aiunt Doctores, vincibilis, ac voluntaria. Quando igitur Princeps aliquid iubet, quod minime repugnat iuri diuino, vel naturali, & maxime in dubijs, qualia sunt, quæ ad consultationem deferunt, debet Consiliarius, re iam excussa, captiuare intellectum suum, ac Principis voluntati adhærere, quoniam in his conscientia Cardinalis habet supra se, non solum Deum, sed etiam Pontificem, cuius præcepto est humiliter obtemperandum: & quamuis consciētiæ erroneæ obligatio maior sit obligatione præcepti Prælati, quia est, vt aiunt Summistæ, intensior, tamen ex altera parte minor est, quia solubilior, siquidem deponi potest conscientia erronea, non C autem obedientia subditi erga Prælatum.[b] Quòd si Bulla subscribatur a Cardinalibus, vt declaretur, non solum, eos tunc in Papæ sententiam concedere, sed antea etiam illos idem consilium ei dedisse in Consistorio, & proinde illis approbantibus constitutionem eam factam fuisse; & tunc quia verum id non est, cum semper antea dissenserint, dicendum videtur, talem subscriptionem minime eis congruere; cum ius diuinum refragetur, quod neminem vult mentiri, nec a Papa violari potest.[c] D

Et si dicas, admissum antea a nobis fuisse, Cardinales etiam illos subscribere debere, qui refragati fuerunt Constitutioni in Consistorio, dummodo maior pars postea consenserit, tametsi hoc quoque casu mentiri illi videantur, attestantes sua subscriptione se consensisse; cum tamen certum sit, eos tum, cum res fuit proposita, dissensisse; Primum ita respondemus, quando Cardinalis initio dissensit in Consistorio, & postea vidit maiorem partem consentire, tunc iuris præsumptione, vt modo diximus, existimatur sententiam mutasse, alijsq. accessisse antequam decretum a Papa pronun-

a Alexan. de Ales par. 2. q. 120 memb. 3. art. 1. S. Tho. 1. 2. q. 19. art. 6. ad 3. S. Bonau. in 2. sent. dist 39. art. 1. q. 3. Siluestr. verb. conscientia q. 2. in fin. ver. 3. Tabi ē. verb. conscientia q 2 & 3.

b S Tho. q de veritate q 18. artic 5. Sum. Siluestr. verb. conscientia q. 2. in fine.

c Aug. de Ancon q 55. art. 2. & 3.

A pronunciaretur. Deinde reſpondemus, ideo Cardinalem tunc ſubſcribendo Bullæ non mentiri, quoniam maior pars minorem trahit: quia etſi voluntate propria in conſilio dando alijs non adhæſit, nunc tamen voluntate communi, tanquam membrum totius Conſiſtorij, ſe cum maiori parte in ſubſcribendo coniungit. At quando maior pars ſemper a Bulla diſcrepauit, & ad ſubſcribendum vrgetur ſolo præcepto Papæ, dicimus, eo accedente, verum eſſe, Cardinales quidem ob reuerentiam Papæ nunc ſubſcribendo eam approbare, ſed non erit verum, eos antequam præceptum hoc ſibi fieret, B vnquam talem Bullam voluntate propria, aut communi approbaſſe: & conſequenter nequaquam poterit huic ſubſcriptioni altera illa interpretatio conuenire, quoniam alias ſubſcribens iuxta hunc ſenſum mentiretur.

VERVM vt ſcrupulos omnes eximamus, cum hic clare non appareat, quo ſenſu hæc ſubſcriptio fuerit concepta, exiſtimare potius debemus, illam in eam partem accipiendam eſſe, quæ nec veritati, nec officio noceat.

ET ſiquis replicaret in proœmio Bullæ narrari ſolere eam de cõſilio Cardinalium factam fuiſſe, quæ verba arguunt vſq; initio C Cardinalium conſilium acceſſiſſe; Reſponderi poteſt, verum eſſe Conſtitutionem a Papa in conſultationem initio deductam, Cardinaliumq. ſuffragia exquiſita fuiſſe: nam ob hanc ipſam cauſam ſunt Doctores nonnulli, qui teſtãtur has ſubſcriptiones olim inſtitutas, vt oſtenderetur, Papam non ſolum, ſed cum fratrum conſilio decretum illud aggredi voluiſſe[a]. An tamen ea ſuffragia, uel omnia ſimul, aut plura, aut pauciora conuenerint, ibidem nec affirmari, nec negari tamquam minus neceſſarium autumant. Cum enim Papa in rebus difficilibus ſic teneatur Cardinalium conſilia petere, ut ta- D men ad eadem ſequenda non ſemper ſit adſtrictus, prout aliàs diſſeruimus,[b] nec Conſiliarij aliud agant, quàm vt varias conſiderationes Principi proponant, ex quibus eas eligat, quas aptiores eſſe cenſuerit. Ideo proœmium Bullæ ad huiuſmodi conſilia petita quidem, non tamen probata recte referri debet.

ADDIMVS etiam, quòd ſi ſubſcribens nõ referat animi ſui ſenſum ad præcedentia illa verba, *De conſilio fratrum*, ſed ad decretum a ſummo Pontifice nouiſſime factum, cui omnino obediendum putat, tunc Cardinalem hac etiam ratione ſe ab omni mendacij culpa immunem ſatis tueri poſſe, quia licet non conſenſerit rei, nec eam probauerit, quatenus uerſabatur in dubio cõſultationis, nunc tamen conſentit, & probat, quatenus definitur lege Principis.

a Imol. c. 1. de his, quæ fiunt a Prælat. nu. 6. & Card. Zabar. in c. cum a nobis. de teſtib. in fi.

b In quæſt. 3

VNDE

VNDE nō obstat quod initio opponebatur, aliā scilicet Cardina- A
lis uocem in Cōsistorio loquentis, aliā nunc eiusdem in Bulla manū apparere: nam, ut supra diximus, diuersā hęc sunt tēpora: alterū consultationis, alterū executionis, proindeq; diuersos effectus sortiūtur.

ET si replicetur, immo subscriptionis tempus ad primum illud consultationis retrotrahi, atq; utrumque simul coniungi; Respondetur, ubi maior pars consensit, tunc omnia, & tempora, & quę deliberata sunt inter se cohærere, quia semper, tamquam unum corpus Cardinalium habitum fuit, atq; una omnium communis uoluntas. At uero ubi maior pars dissensit, tunc cū singuli per se cōsiderentur,
non possunt eorum subscriptiones, tamquam unius corporis sensus, B
æque ad eadem Bullę principia reuocari, & maxime cum illa subscriptio sit potius significatio consilij petiti, quàm accepti, cum certum sit, decreti uim, non a Consiliariorum suffragijs, sed a sola Principis uoluntate, atque auctoritate, robur obtinere. Verum id tamen est, hunc casum, ut diximus, rarissimum esse solere, cum maior Cardinalium pars summi Pontificis sententiam, ut plurimum, sequi soleat.

DENIQVE, vt nihil omittamus, quod in re tam difficili, atq; a Doctoribus non satis explicata, nobis occurrat, & ut saltem reliqui de tota quæstione certius iudicium ferre possint, illud considerandū
proponimus, adhuc dubitari posse, si Cardinalis erroneam conscien C
tiam non deponeret, sed in ea adhuc persisteret, ut qui putaret, eam non erroneam, sed veram; an sequi potius hanc teneatur, quàm pręceptum Papæ in subscribendo.

CVI dubitationi breuiter respōdentes, dicimus: aliud esse, cū Cardinalis sponte subscribit Bullę, repugnante, aut saltem perplexa illius conscientia: aliud esse, cum præcipiente summo Pōtifice, Cardinalis ab eo quodam modo impulsus subscribit. Nam priore casu id ei non licebit, quod in posteriore licebit. Nam etsi voluntate propria aduersus conscientiam erroneam agere, peccatum est, adueniēte tamen
superioris præcepto, vt debita illi præstetur obedientia, licitum esse D
quandoque Doctores affirmant.[a] Pro cuius rei clariori explicatione addimus sequentes cōmunem Doctorum sententiam,[b] Cardinales si talem errorem conceperunt, quia sibi certo persuaserint rem illam, quæ subscribenda præcipitur, aduersari euidenter diuinæ legi, tunc subscribere, non debere: sed nos hunc casum procul a nobis auertimus, nec de eo est præsens disputatio, cum nequaquam pręsumendū sit, summum Pontificem pręcepturū esse Cardinalibus, vt rei, sua natura, & vi mala, & diuinis mandatis repugnanti, subscribant. Si vero Cardinales dubitant, tunc obtēperandū est magis Papæ pręcipienti,

quàm

a Tabiē. uerb. cōscientia q 3. & tex. in c nō solum. de reg. iur lib.6. Nauarr. in Manual. confess. c. 16. nu. 40. & in c. si quis autem. nu 93. de pœnit. dist.7.

b Siluest uerb. consciētia q.4. Tabien. ead q. 3. Bart. Med. 1.2 q.19. art. 6. Nauarr. in Manual. cap. 16 nu.41.

A quàm conſcientiæ dubitanti, quià tùnc maius eſt periculũ non obtẽperare Papæ, nec exequi quod iubet, quàm reſiſtere priuatæ cõſciẽtię ſic dubitãti. Quod ſi Cardinalis nec certo ſcit, nec dubitat, ſed credit, vel opinatur, idq. ex leuibus cauſis, manifeſtum eſt, hoc caſu potius Papæ quàm conſcientiæ obediendũ: ſin autẽ ex cauſis veriſimilibus mouetur, tunc aiunt Doctores adhuc illũ ſubſcribere teneri, quia bonum obedientiæ præſtat malo illi incerto, ſeu detrimento, quod conſcientia dictat: ſicuti de vxore ab iiſdem aſſeritur, [a] quæ ſi certo ſciat priorem maritũ ſuperſtitem eſſe, nõ poteſt ab eo petere, nec reddere illi debitũ, etiam ſi ob id excõmunicetur: at ſi id credat leuiter, ac potius temere, tunc reddere, & exigere debitum poterit: ſi autem credit probabiliter, aliqua ſcilicet legitima ratione adducta, non tamen euidenti, petere quidem debitum a coniuge non poterit, at illo petente reddere debitum tenebitur: quandoquidem illud reddit, ne cõtra legem coniugij agat, non tamen exigit, ne conſcientiæ iudicio aduerſetur: [b] ſic & Cardinalis, quando cõſcientia ſibi dictat id, quod ſubſcribendum eſt, in Reipublicæ damnum redundare, ſponte quidem ad eam ſubſcriptionem accedere non debebit: at vero volente, & quaſi tacite præcipiente ſummo Pontifice, videtur excuſandus, ſi, vt ei miniſterij & obedientiæ debitum perſoluat, vna cum alijs Cardinalibus, depoſita tunc conſcientia, ſubſcriptionem ſuam adiecerit [c]. Sicut enim coniux coniugi ad debitum matrimonij obligatur, ita ſubditus tenetur Prælato ad debitum obedientię.

a c. dominus. de ſecũd nupt. c inquiſitioni. de ſent. excom.

B

b Nauarr. in Manual. c. 16. num. 40.

C

c Summ. Silueſtr. verb cõſcientia q. 4 circa fin.

HINC non incõmode ad ea reſponderi poſſe videtur, quę antea, vt valde repugnãtia obijciebantur, videlicet quòd non liceat Cardinali aliter reſpõdere, quàm ſentiat, & multo minus id ſubſcribere, quod vere non probat. Nam dicitur, Cardinales quando ſententiam rogantur, cõpelli quidem ad reſpondendum, ſed modũ reſponſionis ab eorum voluntate pendere: vnde nunquam debent fraudare conſcientiã ſuam: quod uerũ munus eſt Conſiliarij: at cum ſubſcribere

D præcipiuntur, nõ gerunt ſe proprie vt Cõſiliarij, ſed vt miniſtri ſunt, & executores voluntatis Papæ. Et ſi dicas, tunc etiam tamquã Chriſtianos non debere id facere, quod detrimentum putant afferre poſſe Reipublicæ; Reſpondetur, quòd ſi hoc certo ſcirent, vel ſponte facerent, in culpa eſſent: at in ſpecie facti propoſita, dubiũ, quod ex vna parte Cardinales extimulat, eſt, vt aiunt, ſpeculatiuũ, aut ad ſummũ redigitur ad eum probabilitatis gradũ, qui parit opinionem; ex altera vero vrget ſummi Pontificis iuſſio, ut ſubſcribant. Quocirca, cum hæc maioris ponderis ſit, illi, aut conſcientiam deponere, aut obedientiæ debitum perſoluere debent exemplo vxoris, ut dictum eſt.

PARS

Qui ex iusto impedimento fuit absens, cum negotium tractaretur in Consistorio, an teneatur subscribere Bullam, cui maior pars Cardinalium consensit.

QVAEST. XLVII.

ANTEQVAM hanc quæstionem aggrediamur, videtur illud in primis declaratione indigere, quod in ea tamquam clarū, ac iure, vel vsu receptum ponitur, Cardinales scilicet absentes æque, ac præsentes ad subscribendum admitti, ex quo indicari videtur, ius esse illis, qui absunt, suffragium ferre: quod quomodo se habeat, declarandum est: antea enim quāuis conclusum fuerit, [a] Cardinales varijs, iustisq. de causis posse excusari, ne in Consistorium veniant, an tamen tunc possint per codicillos, aut schedulas, aut aliter suffragium suum declarare, nondum fuit explicatum. B C

a In quaest 45.

QVAPROPTER ne hanc partem omittamus, potest hæc materia triplici modo inuestigari. Primo, quasi generaliter ex vetere vsu Romani Senatus. Secundo, specialiter, quatenus iure communi ex decretis summorum Pontificum a Doctoribus traditum extat. Tertio, quod ad rem nostram peculiariter spectat, ex sacri scilicet Consistorij instituto, tam nobis a patribus tradito, quàm quod etiam hodie obseruari videmus.

QVANTVM igitur ad primum, fatemur nos nihil satis explorati ea de re comperisse: Quod tamen coniectura assequimur illud D est, videlicet Senatores absentes nullum ius suffragij habuisse, non solum quando sine causa aberant, quod notum est ex supradictis, sed etiam quando legitimo impedimento detenti in Senatum non venissent, veluti si morbo correpti in lecto decumberent, cum scribat Cicero: *Quid tandem erat causæ, cur in Senatum externe die tam acerbe cogerer? solus ne aberam, an non sæpe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur vt etiam ægrotos deferri oporteret? Annibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur, ad quam causam etiam Appium illum, & senem, & cæcum delatum esse memoriæ proditum est.* [b] Legimus etiam Marcum Claudium, Marcellum

b In 1. Philip.

A lum Consulem cum Seruio Sulpitio Rufo legem tulisse, qua cautum fuit, ne in Magistratuũ Comitijs absentium ratio haberetur: [a] & scribunt alij, [b] Pompeium magnum idem decreto suo cauisse, ne absentes admitterentur, vno Cæsare excepto.

Q V O D si secundum ius commune loquamur: quod erat secundum caput nostræ distinctionis; & tunc si de electione faciẽda agatur, certa, & indubitata videtur conclusio; sicut non licet Canonico (quamuis morbo, aut iusto aliquo impedimento detineatur) votum suum per litteras, aut Codicillum, etiam consentientibus alijs Collegis, ad capitulum mittere, [c] sic nec etiam Cardinali id permittendum B esse: nam vbi consensus pro forma requiritur certo & determinato tempore, tunc viuã vocem esse necessariam Doctores aiunt. [d] Verũ est tamen, tum, cum adest legitimum impedimentum, illud admitti ab aliquibus; absentem posse constituere procuratorem ad eligendum, & suffragium ferendum in scrutinio. [e] In alijs vero negotijs Capitularibus præter electionem, posse consensum præstari per litteras, videtur communiter receptum esse, vbi iustum est impedimentum. [f] Quando vero absentes necessario sint vocandi, in ijs præsertim causis, vbi de eorum iure agitur, & vbi damnum illis inferri posset, late hoc a Doctoribus cum varijs distinctionibus tractatum C reperitur: [g] quæ ad rem nostram pertinent.

A C C E D I M V S igitur ad veterem sacri Consistorij morẽ, & hic respondemus perpetuo vsu receptum videri, ne absentes vmquam per litteras sententiam dicant, nisi in creatione nouorum Cardinalium: quod in Libro ceremoniali traditum est, [h] & quando etiam de summi Pontificis electione tractatur, quo casu Cardinales, qui in Conclaui præsentes sunt, si forte ægritudinis causa egredi ecellula nequeũt, solent suffragium suum obsignatum tribus Cardinalibus scrutatoribus ad eos Collegij nomine missis cõmittere: quod quidem proprie ad Consistorium non pertinet, de quo loquimur.

D C E T E R V M aliàs numquam auditum est, Cardinales absentes suffragia sua litteris mandasse. Quod summa ratione institutum fuisse, & Reipublicæ commodis maxime congruere videtur: siquidem Collegium, & Senatus, si res diligenter perpendatur, est velut corpus quoddam, & Senatores ipsi sunt huius corporis partes; & quemadmodum partes, siue membra corporis humani, ut utilitatem afferant, debent inter se cohærere, & esse coniuncta; ita etiam Senatores, vt consilia dent salutaria, debent simul conuenire, simulq. rem ipsam explorare; immo si Princeps aliquando non cõnuocaret Senatum, sed consuleret Senatores absentes, iuberetq. illos de scripto senten-

a Suet in Cæsar. c. 27. Dio lib. 40.
b Plutarc. in Pomp.
c c. penul. § fi. de elect. in 6. vbi gl Archidiac. & Anch.
d Franc. d. §. fin num. 3. & Anchar. nu 6. & Card. in c. quia propter. §. illud de elec. quæst. 22.
e Guliel. Mãdag. de elect. Prel c. 10. 11. & 12.
f Gl. c. 1. uerb. litteris. 64. d. Anch. d. c pe. nul § fi nu. 5. & Frãc nu. 3. Tiraq. de leg. con. glo. 6. nu. 29. & 34.
g Iasl. placet. nu. 12 C. de sacrosan. Ecl. c. cum omnes. de constit nu 22. & seq. Summ. Siluest. uerb. elect. 1. nu. 4. et 6. & Tabié. uerb. elect. 1. q. 6 nu. 7. 10.
h In lib. 1. cerim sect 8. c. 4.

sententiam dicere, non esset consilium illud reuera ipsius Senatus, A sed singulorum hominũ, [a] neque posset vere dicere Princeps se consilium Senatus secutum fuisse, & de ipsius sententia quidquam decreuisse. Neque vero quispiam putet, hoc temere dici: est enim magnum discrimen inter Senatorum sententias, si in Senatu, aut si extra Senatum proferantur. Cum enim Consiliarij simul conueniunt, tunc vnusquisque alios audit, intelligit rationes, quibus alij nituntur, considerat illarum vim, atque pondus, percipit multa, quæ sibi non venerant in mentem, aduertit aliquando argumenta, quibus ipse plurimum tribuebat, minimi esse momenti, perspicit ea, quæ ab alijs afferuntur, esse firmissima: denique cum antea rem, de qua erat B controuersia, suis tantum oculis exploraret, cernit illam postea exploratam, & perspectam oculis omnium; qui intersunt: mouetur præterea aliorum Senatorum prudentia, auctoritate, ingenio, doctrina, rerumq. cognitione. Itaque sæpe vsu venire solet, vt mutet Consiliarius sententiam, & probet vehementer quod antea penitus improbabat. [b] Quare quemadmodum milites in prælio, si pugnãt acie instructa, alij alijs sunt præsidio, multoq. maiores sunt illorum vires; at vero si singuli congrediuntur, licet multi sint, & fortissimi, tamen facili negotio funduntur, & hostibus succumbunt: eodem modo Senatores, si simul sunt coniuncti, sine dubio alij alijs sunt C adiumento, vixq. quidquam illorum animaduersionem effugere potest; at vero si singuli consilium dant, persæpe falluntur, & errant.

[a] Abb. cap. 3. nu. 3. & seq. de iur patr.

[b] l. item si in tres. in fi. cum l. seq de arbit. l. duo ex trib. de re iud cap. prudentiã de offi. deleg. Inn. o. Raynaldus. de test. nu. 1.

Ex his facile est, quæstionem, quam modo proposuimus, dissoluere, aut enim abest Consiliarius a Senatu sine causa; & tunc sane absurdum est, cum Princeps, & cæteri adsint, ipsum mittere schedam, & nolle interesse. Sed vt hanc rationem omittamus, certe licet Princeps patiatur illum abesse, & per schedam sententiam dicere, non satisfaciet tamen officio suo: nam sententia illa neque est proprie Senatoris, vt constat ex iis, quæ dicta sunt, cum extra Senatum dicatur, neque videtur numeranda inter aliorum sententias, cum tan D tum nitatur rationibus, quas ipse inuestigauit, & faciat iudicium de re, non perspectis, neque cognitis rationibus, quas alii Senatores attulerunt. Verum si habet Senator iustam excusationem, ut si ægrotat, & non potest exire domo; & tunc non negamus vtile futurum esse, vt, si per morbum liceat, tabellam mittat, & suam sententiam explicet, præsertim si res est grauis, & ipse Senator ægrotus magnam habet illius cognitionem: at vero nec tunc esset sententia Senatoris, nec numeranda inter aliorum sententias, nisi fortasse ostenderentur ipsi ægroto acta Se natus: & posteaquam ille videret omnium

A nium ſententias, & argumenta, hanc, aut illam partem amplecteretur, quia tunc ageret vt membrum coniunctum alijs, & proinde vt Senator.

Post dubitationes has explicatas, reliquum eſt nunc, vt ad eã quæſtionem accedamus, quæ in Themate nobis eſt propoſita, quæ fortaſſe aliquibus ſuperuacanea videri poſſet: tum ex ratione nuper tradita, videlicet abſentes ab ius ſuffragij non eſſe admittendos, quæ quidem etiam in ſubſcriptione æque locũ habere videtur: tum quia, cum in quæſtione præcedenti concluſum fuerit, quoties maior pars in Conſiſtorio eandem ſententiam fuit amplexa, reliquos omnes eiB dem adhærere compelli, licet contrarium ipſi plane ſentiant; vtique id in illis quoque affirmandum videtur, qui abſentes fuerunt: & eo magis quando re illis ſignificata, adueniente deinde ſubſcribendi tempore, eandem ipſi quoque cum alijs ſentẽtiam plane ſecuti ſunt. Quid enim refert, an tempore tractationis præſentes, aut abſentes alij fuerint, modo pars maior, quæ totum Collegium repræſentat, idem pronunciauerit? Quid item intereſt, an illi abſentes antea fuerint, ſi quo tempore ſubſcribenda eſt Bulla, id quod ab alijs geſtum fuit, vnanimi conſenſu affirmant?

Verum quoniam diuerſas aliquot Doctorum ſententias hac in C re reperimus, ideo ut dilucidius omnia explicentur; Videtur tribus modis hæc quæſtio tractari poſſe. Primo, ex iuris communis conſtitutione. Secundo, ex vſu, & ſtylo Rom. Cur. Tertio, ex Sixti V. decreto. Si iure communi agimus, dubitationem illud facere videtur, quod ex Alexandri III. Conſtitutione Doctores colligunt, [a] in ijs ſcilicet rebus, quę a Collegio, ſeu Vniuerſitate ſtatuuntur, eorum tantum nomina in ſubſcriptione adhibenda eſſe, qui actui illi interfuerunt, ita ut ſi abſentium quoque nomina adſcribantur, falſi crimen contrahatur; unde ſequi videtur non licere Cardinalibus, quando abſentes fuerunt, vllatenus ſubſcriptionem D nominis ſui adijcere.

Et quamuis Hoſtienſis ſcripſerit, [b] a Romana Curia admitti illa etiam inſtrumenta, quæ aſſerunt Decanum, & Capitulum aliquid feciſſe, quamuis Decanus abeſſet: id tamen eo pertinere multi dicunt, [c] quando non perſona certa, ſed dignitatis nomen veluti Decanus, & Capitulum exprimuntur, quod in Bullis, de quibus nos agimus locum habere non poteſt, cum in ijs proprium, & ſingulare Cardinalis nomen, qui abſens fuit, adſcribatur.

Verumtamen, quia ab eodem Alexandro III. reſcriptum legimus, eos qui actui ab Epiſcopo geſto non interfuerunt, poſſe per

a c. quanto de his, quæ fiunt a prala.

b Hoſtien. d. c. quanto.

c Hoſt. Ioan. And. & alij in d. c. quanto.

ratificationem illum approbare. [a] Ideo censent alij, licere quoque Cardinalibus, quamuis absentes fuerint, Bullam subscribere, dummodo quæ in Bulla continentur, ab ipsis probentur, & rata habeantur; respondentq. ad alteram Alexandri constitutionem, [b] eam accipiendam esse, quando aliquorum nomina, tanquam testium, qui actui illi præsentes fuerint, describuntur, [c] nam in crimen falsi tunc etiam iure ciuili incurri dixerunt; [d] Secus vero quando subscriptio non testimonij loco, sed ad alium effectum adhibetur. A

AD tollendas has difficultates, non defuerunt qui dicerent in superioribus illis Alexandri III. Constitutionibus, agi de Canonicis, qui unum corpus cum Prælato suo conficiunt, [e] at Cardinales Papæ assistere per modum ministerij: quod longe diuersum est. [f] B

ALII distinxerunt inter consilium, & consensum, affirmantes consilium actum gerendum præcedere omnino debere. [g] At vero consensum etiam in ipso actu, aut post actum interponi posse. [h]

ALII responderunt, ad Cardinales proprie suffragium tantum consultiuum pertinere, & propterea neminem ad illud amplectendum obligari; [i] consensum vero, seu votum diffinitiuum benignitate tantum Papæ Cardinalibus concedi, cuius uis est, ut acceptum nequeat repudiari. [k]

ALII dicunt, si de consilio agimus, posse illud a Cardinalibus, in quam malint partem, dari, cum libera debeant esse consilia. At consensum non nisi a uolentibus, & rem, de qua agitur, probantibus, adhiberi debere, [l] & ideo posse hunc consensum etiam post rem gestam instar ratificationis adhiberi. [m] C

VERUM alij contra, quòd scilicet summa Papæ auctoritas illi diuinitus tradita, non sit cuiusquã consensui subijcienda, [n] nec etiã in fauorem sacri Collegij Cardinalium id permittendum. [o] Et ideo si aliquando inuenirentur Bullæ, quæ dicerentur factæ fuisse de consensu Cardinalium, prout nonnullæ, quamuis raro, talibus verbis cõceptæ leguntur, aiunt id minus proprie dictum fuisse, cum verbum consensus, actum eum indicet, qui obligationem vtrimque parit, & cui necessario standum est. Vnde si hic concurrere proprie consensum Cardinalium diceremus, videretur Papa ad illum obseruandum quodam modo obstrictus esse. quod absurdum est: essent enim duo tanquam capita, vt aiunt Doctores, auctorizantia, alterum Papæ, alterum Cardinalium: quod ferri non debet. [p] At vero verbum consilij magis proprie rei, de qua agitur, congruere dicunt, tum vt ostendatur, Papam ei adhærere non esse obligatũ, tum ut negotium, quod D

agitur,

a c. cum nos, de his, quæ fi. a Præl.
b d. c. quanto.
c Innocent. & Imol d. c. quãto num. 5.
d l. qui velut. C. ad l. Cornel. de fals. l. iubemus C. de testam.
e c. nouit, de his, quæ fiunt a Prælat.
f Aug. de An con q. 6 art. 5. ad 2 & diximus sup. q. 3.
g c. cum in veteri, ubi Abb. nu. 7. de elect.
h Bal in margar. verb. differunt ista tria. Ias. l. si quis. §. iustum nu. 41. de acq. hæred.
i c. cum olim. de arbitr. cum glos. & Abb. num. 3.
k Abb. d. c. cũ in veteri de electio. nu. 12.
l Abb. c. 1. & c. nouit, de his, quæ fi. a Præl.
m d. c. cum nos de his, quæ fi.
n Aug. de An con. q. 6 art. 7. & q. 61. art. 3. Iacob. de conc. lib. 7 art. 5 nu. 137. & seq. & nu. 189. & 194.
o Barbat. cõs. 1 lib. 1. Alex. cons. 224. in 6.
p Iacobac. lib. 7. de conc. nu. 137. et seq. & n. 186. 194. & in toto eo art. & Barbat. d. cons. 1.

A Agitur, ab ipſo, mature conſideratum, & cum alijs communicatũ fuiſſe declaretur: qua de re latius ſupra diſſeruimus, cum de differentia inter conſenſum, & conſilium Cardinalium ageretur, [a] quò lectorem reijcimus. [a] In quaſt. 3.

Nos igitur inter tot Doctorum varietates, & diſceptationes, non ſolum neceſſe nihil eſſe arbitramur grauiſſimorum Doctorum ſententias hoc loco condemnare, ſed etiam otioſum prorſus, atque inutile id eſſe exiſtimamus: quandoquidem, quidquid olim iure cõmuni conſtitutum, ac receptum fuerit, ſatis eſt hodie tum Romanæ Curiæ ſtilo, tum expreſſo Apoſtolico decreto rem aliter ſe habere,
B & idcirco non quod olim, ſed quod hodie paſſim obſeruatur, attendendum eſſe.

Qvapropter ad alterum caput accedimus, quod vſu quodam, & Curiæ ſtilo inſtitutum videmus, ſiquidem in pleriſque ſummorum Pontificum Conſtitutionibus illud legimus contineri, ſe eas de Venerabilium Fratrum conſilio, & aſſenſu decernere. Itẽ nouimus ſuperioribus temporibus multos ex ampliſſimo Cardinaliũ ordine, qui, cum Conſiſtorio intereſſe non potuiſſent, domi deinde Bullis iam decretis, nominis ſubſcriptionẽ addiderunt. Viciſſim etiam animaduertimus, Bullas multas publice extare, quæ de con-
C ſilio, non de aſſenſu Fratrum editæ leguntur, nec eas tantum, quæ ad beneficiorum collationes, aut priuilegia, ſeu communia quædam negotia pertinent; verum etiam quæ officiorum publicorum inſtitutiones, Religionum confirmationes, bonorum alienationes, & alia huiuſmodi, quæ grauiſſima ſunt, continent. Nouimus etiam in ſacro Cardinalium Collegio non defuiſſe diuerſis temporibus Cardinales ſummæ auctoritatis, qui quoties Conſiſtorio non interfuerunt, quamuis quod geſtum ibi fuerat, probarent, ſubſcribere tamen Bullas, niſi expreſſe iubente ſummo Pontifice, recuſarunt.

Amplivs, cum oblatus nobis fuiſſet vetus liber ſcriptus in
D mẽbranis, qui inſcribitur Quinternus Cancellariæ, & cuſtoditur in Cancellaria Apoſtolica, in quo explicatur modus, quem tenere debent Cardinales, tum Epiſcopi, tum Presbyteri, & Diaconi cũ ſubſcribunt: nihil tamen inuenimus hac de re in alterutram partem definitum, quantumuis variæ ibi Conſtitutiones promiſcue contineãtur, vſque ad Ioannis XXII. Clementis VI. & aliorum Pontificũ recentiorum ætatem. Itaque quod ad ſtylum antiquum pertinet, hoc alijs vſu peritioribus dijudicandum relinquemus, præſertim cũ magni non referat quid antiquo vſu curiæ obſeruatum fuerit, cum hodie ex Sixti V. decreto aliud inueniatur conſtitutum.

TERTIUM igitur est caput, quod ad nouissimum SIXTI A
a Die 4. Iulij 1586. V. decretum pertinet,[a] quo cauetur, vt negotio a maiori parte Cardinalium in consistorio approbato, cæteri licet a Consistorio, & ab Vrbe absentes fuerint, quando res gesta est, subscribere tamen teneantur, dummodo præsentes sint in Vrbe, tempore, quo Bulla subscribenda erit. Quo loco anxie disputandum non videtur, quo iure, aut titulo Cardinalibus hæc obligatio potuerit iniungi, cũ de Principis auctoritate differere nefas videatur, [b] & præceptum hoc iustũ censeatur, præsertim cum & leges caueant id referendum esse ad vniuersos, quod a pluribus probatur, [c] & æquitas idem suadeat, vt in Collegio tranquillitas retineatur. B

b l 2. C. de crimin. sacril.

c Abb cap. ex pa. te nn. 3 de concess. preb.

NEC obstat quod in contrarium obijciebatur, absentes scilicet non esse in subscriptione admittendos, sicuti nec ad ius suffragij admittuntur; Nam respondetur, disparem valde eorum esse rationẽ, cum absens ideo non ferat suffragium in Consistorio, quoniam ibi res tractantur examinandæ, & excutiendæ, auditis omnium rationibus, & collatis simul, ac perpensis singulorum sententijs, & fundamentis, sicut aliàs quadam similitudine de diuino officio a Canonicis in Choro recitando diximus: Sed absens, si ferat suffragium, illud feret, vt segregatus ab alijs, & modo quodam secreto. Idcircoq. absenti merito interdicitur ius suffragandi in Consistorio, quia cum C sit absens, non dat consilium tamquam membrum Consistorij: At vero subscribens, quia approbat id, quod ab alijs in Cõsistorio fuit consultum, & receptum, atque hęret maiori parti Cardinalium tamquam pars illius Collegij, agitq. & operatur, eo tempore magis induens voluntatem communem, quàm propriam sequens, quod ante faciebat: propterea licet aliàs fuerit absens, si tamen subscriptionis tempore est præsens, potest, & debet subscribere.

Et si quis vrgeret, non videri summum Pontificem compellere inuitum aliquem posse ad subscribendam Bullam, saltem illam, quã subscribens vere non probat, cum omnis voluntas libera sit, actusq. D vi, aut metu factus tamquam inuoluntarius iure reprobetur; [d] Respondetur, quòd cum voluntas Cardinalis in subscribendo habeat se tamquam pars totius Consistorij, non dicitur inuoluntarie factum a Cardinali, quando subscribens conformat se ad voluntatem maioris partis Collegij, cuius ipse portio habetur. Quod secus est in ijs negotijs, quæ nondum deliberata sunt, quo tempore scilicet examinantur, atque in consultatione versantur; tunc enim diximus, numquam licere Cardinali, dum res in eo conflictu est, aduersus conscientiam suam respondere: nam ibi petitur sigillatim a

d c. ad aures. de eo quod met. caus.

quolibet

A quolibet Cardinali, vt, ſicut ſentit, ita dicat; at in ſubſcriptione præcipitur omnibus, vt, ſicut a maiori parte probatur, ita probent. Quapropter voluntariè, ſimpliciter loquendo, ſubſcribunt voluntate cõmuni, per quam vnus conficitur Senatus, quamuis voluntate priuata dici poſſint, inuoluntariè ſecundum quid id facere, quoniam tãquam ſingulares, fuerunt ab alijs diuiſi in ſententia dicenda, ſed nũc conſiderantur in ſubſcribendo non amplius ſeiuncti, ſed coniuncti vno corpore. Quòd ſi maior pars ab eo, quod in Bulla proponitur, diſſentire inueniatur, nec propria ipſius Cardinalis poſſit ſententia obtinere, tunc in ſuperiori quæſtione iam diximus id, quod Papa B ſtatuit & decernit, Cardinalis ſubſcriptione in ſignum miniſterij, & ſubmiſſionis roborandum eſſe: non enim præſumimus ſubſcriptionem illius rei peti, quæ euidenter, ac intrinſecus ſit mala. Cui addimus, quòd cum fugiendus ſit perplexitatis ſtatus, ideo Cardinalis deponere debet conſcientiam in ſubſcribendo vt ſubditus, quam non potuit deponere in conſulendo, prout Conſiliarius [a].

[a] Siluest. verbo conſcientia q. 2. & 4.

PARS V. QVAEST. XI.

C De Congregationibus Cardinalium pro rebus conſultandis: ac de Conſiliarijs minoribus, cæteriſque in iiſdem Congregationibus obſeruandis.

QVAEST. XLVIII.

MAGNA fuit olim a maioribus noſtris ratione inſtitutum, vt præter Conſiſtoria, ad quæ vniuerſi Cardinales conuenire debent, Congregationes quædam Cardinalium frequenter habeD rentur, & pro rerum grauitate, & varietate, quæ ad Sedem Apoſtolicam deferuntur, ſummus ipſe Pontifex, qui clauum adminiſtrationis tenet, certas veluti claſſes Cardinalium conſtitutas haberet, quibus proprias negotiorum tractationes, cauſarumque difficultates, ipſius auctoritate cognoſcendas, & definiendas, ſiue etiam examinandas tantum, & ad eum deinde referendas, pro ſingulari ſua ſapientia diſtribueret. Quod inſtitutum præ cæteris a SIXTO V. fel. record. ſancitum, & ab alijs deinceps confirmatum, & vſu receptum fuit [b].

[b] In Bulla conſtit. 76.

Quamobrem agentibus nobis de Cardinaliū consultationibus, conuenire maxime visum est, post illa iam a nobis tractata de sacro Cōsistorio, antequam opus absoluamus, nonnulla etiam de his Cardinalium Congregationibus attingere: quandoquidem hæ tāquam filiæ, vt ita dicamus, Consistorij sunt, & ab eo veluti fonte promanantes non omnino ei dissimiles, nec prorsus diuersæ iudicantur. A

TRIA igitur illa potissimum sunt, quæ in hoc Congregationum genere magnopere consideranda videntur. Primum ad summum Pontificem attinet. Secundum ad Cardinales. Tertium ad negotiorum ipsorum expeditionem

QVOD ad summum Pontificem attinet, perspicuum est, quo ille frequentius, ac studiosius Cardinalium suorum, qui sunt tamquam nobilissima membra ipsi, vti Ecclesiæ capiti, cohærentia, curā suscipit, eosq. pro rerum emergentium vsu, proprijs quotidie exercere muneribus contendit, vt eorundem opera publice vtilior, atq; officiosior reddatur, eo magis ipsius summi Pontificis maiestatem, vigilantiam, pastoralemq. solicitudinem patefieri. Celebre fuit illud apud ueteres dictum, in familia bene instituta neminem vacare officio debere; quod nos ad Cardinales non transferimus, quasi illorum quisquam uacuus sit hoc officio & quidem graui, quo tenetur fideliter in Consistorio sententiam dicere. Verum animaduertentes, non nisi constitutis diebus, hoc eis incumbere, non satis videtur hæc functio uiris industrijs, atque omni uirtutum genere præstantibus: sed præterea eorum dignitas exposcit, ut alijs curis, ac ministeriis applicentur, quibus eorum ingenium, ac solertia magis enitescat. Notum est, solere homines talem de Principibus opinionē concipere, quales viderint mores, & studia illorum esse, quorum familiaritate & colloquio Principes ipsos delectari animaduertunt. Hinc legimus, olim Reges Iudæorum, dū res illius populi uigebant, sibi Prophetas in consilium adhibentes, ac cum ijs libentissime studia sua communicantes, maiori semper apud populum existimatione floruisse: Eodem modo quoties perspiciunt homines summū Pontificem, non solum erga Cardinalium ordinem bene affectum, atque animatum, sed etiam illos, qui in eodem Collegio vitæ sanctitate, rerum usu, atque incorruptæ ueritatis opinione præcellunt, eò Papæ chariores esse, tumq; illos uariis Cōgregationibus inserere, tum priuatis suis congressibus, familiaribusq. colloquijs libenter adhibere; crescit hoc ipso summi Pontificis auctoritas, atque existimatio: quemadmodum ex altera parte, si forte animaduerteret populus, Cardinales non grauibus, serijsq. negotijs perpetuo occupari, B C D

miraretur

A miraretur potius, atque ingemiſceret, agrum adeo frugibus feren-
dis pinguem, ac fœcundum, tamquam incultum fere negligi, atque
obtorpeſcere.

CVM igitur multiplex fructus harum Congregationum ſe ſum-
mo Pontifici liquido oſtendat, ſuperuacaneum eſt adijcere, illum,
quo magis ſolicitum ſe declarabit cognoſcendi, qua diligentia, ac
labore a Cardinalibus hi conuentus frequententur, quo progreſſu
peragantur, & cupidum ſimul perficiendi, ſi quid in ijs auctoritate
ſua ſupplendum deſideretur; eo maiorem prouidentiæ ſuæ, atque
vigilantiæ ſignificationem in aliorum animis relicturum eſſe. Ve-
B rum quod præcipue in his Congregationibus obſeruari, & in quod
omnium oculi intendi ſolent, illud eſt, ut in his certus Cardinalium
delectus, ac congruens perſonarum cum rebus, quæ agendæ ſunt,
proportio adhibeatur; quamuis enim dubitandum non ſit, omnes
Cardinales ingenij acie, & induſtria præſtare, mirum tamen non
eſt alterum altero varijs muneribus aptiorem eſſe, nullamq; ideo in-
ferri alijs iniuriam, ſi in ijs rebus gerendis, quibus inſtructiores non-
nulli videntur, cæteris quandoque anteponantur. Quemadmodum
enim agricola notat terræ ſolum, quod frugibus ferendis, aut viti-
bus, aut hortis, ſiue pomarijs, aut ſiluis aptius ſit, ut eo vberiores
C fructus percipiat; ſic ſummus Pontifex ingenijs Cardinalium ſuo-
rum, moribus, ac ſtudijs diligenter animaduerſis, exiſtimandus eſt
pro eximia ſua circumſpectione, eos deinde illis tantum negotiorũ
tractationibus applicaturum eſſe, quos magis idoneos perſpexerit.
Nam ut architectus, omnium fabrorum operis, ac miniſterijs, quæ
ad ædificium neceſſariæ ſunt, ſapienter vti nouit: ſic Papa Cardina-
lium, quæ præcipua ipſius ſunt inſtrumenta, facultatem, atque in-
duſtriam, opportune maxime ad ea conferre putandus eſt, unde pu-
blica totius Eccleſiæ ſalus, qui potiſſimus eſt omnium ſummi Pon-
tificis finis, poſſit adiuuari.

D NVNC ad Cardinales ipſos deſcendamus, qui ad varia negotia
explicanda in Congregationes iſtas cooptantur. Quemadmodum
enim Sol non ſolum ipſe lucet, verumetiam ſtellis lumen imperti-
tur, quo & cœlum ornant, & illuminant orbem vniuerſum; ſic ſum-
mus Pontifex non ſuis decretis modo Eccleſiam per ſe ipſe docet,
& moderatur; verumetiam ita Cardinales ſua tum auctoritate ful-
cit, tum poteſtate auget, ut ſociatis laboribus facile omnes diffi-
cultatum nodos diſſoluant, & negotiorum fluctus componant.
Qaapropter quo pluribus ſe muneribus a Papa implicari, ac ab om-
ni prorſus otio remotos, quantum eorum valetudinis ratio patitur,

se magis exerceri, ac destineri perspicient, eo maiores summo Pontifici gratias habendas, secumq. praeclarius agi existimare debent, cum satis sciant, Cardinalatus gradum, alioquin amplissimum, nullum tamen illis uerae laudis decus parere, sed occasionem tantum promerendae laudis offerre, si eam nancisci, cū facultas datur, agnouerint, vnde laetari summopere debebunt, cum in has Congregationes Apostolicae sedis auctoritate adsciti, testandae magis doctrinę, probitatis, indefessiq. laboris sui studium oblatum sibi esse nouerint. A

In primis vero, cum ea, quae tractanda occurrunt, magnas saepe difficultates contineant, & ideo opinionum quoque discrepantium varietates pariant; curandum id ab eis erit, vt non tantum cognitionem habeant illarum rerum, quae tractandae sunt, sed etiam parati, atque optime instructi ad Congregationes accedant. Itaq. non satis erit ea, de quibus est futura disputatio, mente solum, & cogitatione percurrere, sed oportebit etiam, antequam ad Congregationē se conferant, libros euoluere, Auctoresq. perlegere, qui ad rem pertinere videntur, scripta ea, quibus documenta, iuraq. omnia vtriusq; partis continentur, diligenter expendere, & tandem ita se gerere, ut quantum dignitate, & auctoritate reliquos Consiliarios minores, de quibus modo agendum erit, superant, tantum doctrina, & rerum illarum, de quibus agitur, scientia & cognitione eosdem antecellant. Quid enim alienius, quàm illos, qui praesunt, & qui lumen alijs debent praeferre, ab alijs lumen accipere? B C

Posthaec cum dies Congregationis aduenerit, meminisse oportebit, unicuique Cardinalium constituto tempore ad classem suam conueniendum esse, nec facile committendum, nisi necessarium se obijciat impedimentum, ut ab alijs Collegis ad diem, atque horam indictam desideretur, etiam si de his rebus agendum sit, quae ab eo non ita graues, aut fortasse non probandae iudicentur; nam cum hoc ad vocationis suae officium pertineat, quod sibi a Deo, atque illius in terris Vicario fuit assignatum, tantum abest, ut illud aut praetermittere, aut tamquam rem exiguam, siue reijciendam aspernari debeat, ut caetera omnia, quae ad illum non pertinent, hoc negotio posteriora ducere, & hoc ipsum quod functionis suae quasi proprium est, tamquam magnum ad obtinendam salutem immortalem instrumentum plurimi semper debeat aestimare. licet enim aliquando fortasse parui momenti esse videatur, tamen nihil leue dici potest, quod ad vitam perducit aeternam, [a] quodve a summo Pontifice iniungitur, & ad status rationem spectat. [b] D

a S Aug li 4. de doctr. Christiana c. 18.
b Fulgos cons. 104. Tiraq de reb exig. in 2. part. casu 55.

Qua de re exempla nobis varia à sanctis Patribus relicta fuerūt, quibus

A quibus docemur, multos extitisse, qui vulgaria quædam munia, & quandoque sordida exercentes, quia tamen ea pure, atque integre, tamquam status sui officia administrabant, magnis Eremorum cultoribus prælati fuerunt.[a] Vnde S. Nazianzenus hoc ordine ait cuncta a Deo creata contineri, vt vnusquisque assignatum sibi officium omni ex parte complectatur:[b] & S. Basilius docet, nullo pacto negligentes esse oportere eos, qui Deo placere cupiunt, in ijs cognoscendis, & præstandis, quæ officij eorum sunt,[c] fideliter enim aiunt, eos Deo seruire, qui illa, quæ conditioni eorum congrua sunt, libenter faciunt, vicissimq. illos longe aberrare, qui conditionis suæ fun-
B ctiones contemnunt, nec bonam in eis fidem ostendunt.[d]

Magnvm igitur illud bene constituti animi, atque in Ecclesiastica disciplina confirmati iudicium habendum erit, cum, præter ea, quæ sine graui crimine omitti non possunt, singula etiam, quæ sibi vt Cardinali, & non alijs incumbunt, accurate obeunda, nec vmquam intermittenda, quantum in eo erit, omnino proponet. Ille itaque re vera sapiens Cardinalis erit, suiq. gradus, ac dignitatis retinens, qui numquam a Consistorijs, nec publicis, nec priuatis, nisi iusta ex causa aberit; qui ad sacrorum solemnia, quas Capellas vocant, se libenter conferet, qui rogatus sententiam semper fideliter
C pronunciabit; qui numquam Congregationes omittet; numquam quæcumque alia extraordinaria munera sibi a Papa iniuncta intermittet; aut quæ Cardinalium propria sint, effugiet.

Post hæc, quę ad summum Pontificem, & Cardinales in his Congregationibus pertinent, superest, vt de rebus ipsis agamus, quæ in ijs tractandæ sunt; qui præcipuus scopus est, ac finis harum Congregationum; videlicet, ut per eas publicę in negotijs conficiendis vtilitati consulatur. Nam, cum ad Sedem Apostolicam, tamquam Ecclesiarum omnium caput, ac vniuersorum populorum matrem, totiusq. Christiani orbis perfugium, non solum fidei, religio-
D nisq. negotia, sed etiam grauissimarum aliarum rerum difficultates, ac dubitationes deferantur, congruens aliqua ratio visa fuit patribus nostris ineunda, qua populorum necessitatibus, quibuscunque liceret subsidijs, & facilius, & commodius prospiceretur. Est enim Sedes Apostolica uelut arbor illa, quam apud Danielem vidit Assyriorum rex Nabuchodonosor, ad cuius ramos aues conuolabant, & in cuius vmbra reliqua omnia animalia conquiescebant.[e]

Qvare, vt antea diximus, cum ad perennem illum Cõsistorij fontem cõsultationes omnes grauiores soleant cõfluere, visum fuit, inde has priuatas Congregationes, tamquam aquæductus quosdam, deriuare,

a In vit. SS. Patrum, lib. 1. c. 61. Plutarc. in Politic. dũ loquitur de Epaminonda.
b S. Greg. Nazian. in serm. de moder. in disput serm. post princ.
c S. Basil. in moral. reg. 9.
d Theophylac. in epist. ad Romanos c. 12.
e Dan. 4.

deriuare, in quibus alia, atque alia negotia tractarentur, quæ vt eo A
plenius, ac felicius ad exitum perducerentur, curatum est, eas alijs extrinsecus præsidijs muniri, qui Consiliarij minores appellati fuerunt, quos solet vnaquęque Congregatio, in celeberrimo confluentium in hanc Vrbem eruditorum hominum conuentu, varijs ex nationibus pro eorum pręstantia seligere, sibiq. ex eiusdem SIXTI V. Pontificis constitutione aggregare. Quod quidem ex veteri œcumenicorum Conciliorum instituto deductum fuisse videtur: quandoquidem legimus in antiquis Concilijs nō solum Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, qui ius suffragii definitiui habebant, ad ea conuenisse, sed etiam persæpe Presbyteros, Sacerdotes, & Diaconos adhibitos fuisse, qui sententiam consultiuam dicebant, ac Patrum maiorum deliberationes, consilijs, studijsq. suis iuuabant: recensq. adhuc est memoria sacrosancti Concilij Tridentini, ad quod ex Italia, Germania, Gallia, Flandria, Hispania, Lusitania, Polonia, alijsq. diuersi Prouincijs, quamplures eximij admodum, & selectissimi tum sacrę Theologiæ, tum iuris Pontificij, ac Cæsarei, tum aliarum scientiarum peritissimi Doctores, a Regibus, & Principibus missi fuerūt, qui tamquā leuioris armaturæ milites, Episcopis disputando præcurrebant, atque difficultatū nodos, quæstionumq. obscuritates, quæ in Concilio definiendę erant, ingenij sui acumine, doctrinæq. præstantia, magna facundia, ac subtilitate explicabant, aditumq. alijs ad veritatem, vel explicandam, uel constabiliendam aperiebant: quos etiā nos ipsi sæpius, magna omniū, qui tum aderant, laude, ac fructu disserentes audiuimus. Sic ergo & in his Congregationibus solēt aliunde excellentes uiri, summa rerum disputandarum vtilitate adhiberi. quorum mentionem libenter facimus, propterea quòd habet Vrbs Roma magnam hanc opportunitatem, vt ad eam ex omnibus Gentibus, & Nationibus viri permulti, tum probitate, tum multiplici rerum cognitione, tum alijs virtutibus insignes, confluant, quorū opera atque industria frequenter vti, sicuti maxime rebus publicis expedit, sic eorum inopiæ, & necessitatis eam omnino haberi rationem, quam illorum virtus postulat, æquissimum plane est, atque omni rationi consentaneum. Quod si Concilium Tridētinum tantopere de seminarijs clericorū erigendis laborasse videmus, propter spem futurę vtilitatis, quanto magis subueniendum ijs videtur, quos, non spes, sed fructus ipse exornat? & præsertim, quia sic natura animis etiā excellentibus insitū videtur, vt præmijs excitentur, atque ad suscipiendos labores, muneribus propositis alacriores reddantur, quod patet ex Abraham, qui cum Deo loquens, aperte dicebat: *Domine Deus, quid*

(Margin letters: B, C, D)

A *quid dabis mihi?* [a] & S.Petrus in Euangelio: *Quid ergo erit nobis?* [b]

a Genes. 15.
b Matth. 19.
S. Aug. ser. 3. de verb. Dom.

QVAPROPTER, vt ad rem nostram reuertamur, cum hę Cardinalium Congregationes, publicaq. negotia, quæ ibi geruntur, ex horum minorum Consiliariorum opera, labore, atque eruditione plurimum valeant subleuari, id nullo pacto omittendum putamus, ab vnaquaque classe, seu illorum præfectis, in hoc diligenter inuigilandum, vt, qui sunt probitate, doctrina, vsu rerum, ac iudicio aptiores, non solum sæculares, sed etiam regulares secernantur, ac catalogo breuiter adscripti, prout etiam illorum se opera, assiduitas, ac eruditio ostenderit, patrocinium eorundem a Congregatione suscipiatur, congruens eorum virtutis testimonium summo Pon-
B tifici reddatur, ac debiti illorum meritis honorum gradus, ijs non petentibus, procurentur. Vicissim vero illorum partes erunt, ad ea, quæ in Congregationibus tractanda se offerent, diligentissime seipsos comparare, neque vllo modo ea, quæ mente improbant, verbis probare, nec Cardinalibus assentari, aut in hanc, siue illam opinionem alicuius gratiæ aucupandæ causa propendere; tum contentiones vitare, omnemq. ostentationis, aut obstinationis suspicionem auertere, & tandem, si negotiũ huiusmodi erit, vt non debeat diuulgari, secreto silentio, quod consiliorum est quasi thesaurus, custodire, ac taciturnitate comprimere; fidelesq. se tum erga Congregatio-
C nem, tum singulos illius Cardinales, vt decet, præbere.

POSTREMO, quod ad has Congregationes pertinet, si quis quærat, an eadem loquendi, respondendive ratio in ijs obseruanda sit, quæ solet in Consistorio, an alia, & qualis; Dicimus, si absolute respondendum sit, eandem sane retinendam. Nam semper pro veritate, pro iustitia, pro bono publico, pro ædificatione populorum, pro pace, & Sedis Apostolicæ auctoritate sententia dicenda erit. Si distinctius aliquid addendum; solent quædam in Congregationibus amplius permitti. Non enim, vt in Consistorio Cardinales, postquam suam sententiam protulerunt, regulari-
D ter amplius non loquuntur; ita in Congregationibus fieri oportet: nam certum est, non dicendæ sententiæ causa tantum illos conuenire; sed præcipue, vt veritas ingeniorum congressu, & vario rationum acumine eluceat, & tandem, quid certius, aut probabilius sit, appareat. Quare, cum multa ex improuiso interdum occurrere soleant, multaque argumenta subito veniant in mentem, quibus propria sententia confirmatur, & contraria labefactatur, certe non est absurdum, iterum, atque iterum, & sæpius ad disputationem reuerti, & quasi in certamen descendere; dummodo non more adolescentum,

tum, clamoribus, & vocis contentione, vt in gymnasijs fieri solet, **A** sed modestia, & grauitate, vt viros prudentes deces, omnes vtantur: vix enim sine aliqua disputatione, quid verius sit, aliquando percipi potest. Nam quemadmodum faber, cum ferramenta aliqua fabricatur, non semel, aut iterum, sed multis crebrisq. ictibus eandem incudem tundit: eodem modo res abditas & obscuras non satis est semel leuiter attingere, sed oportet sæpissime ad easdem redire, ipsasq. in disceptationem vocare. Possumus id confirmare multis exemplis ex varijs Concilijs depromptis, in quibus hæc cõsuetudo viguit, hocq. more vsi sunt Patres ad hæreticos conuincendos: prout constat ex Synodo Constantinopolitana sub Flauiano, in qua primum Eutyches **B** damnatus est, cuius acta in prima actione Cõcilij Chalced. continẽtur. Itẽ ex sexta generali Synodo, quæ contra Monothelitas est habita, in qua post longã disputationem Macarius Patriarcha Antiochenus hæreticus, cum mordicus hęresim Monothelitarum teneret, nulloq. modo Ecclesiæ catholicæ assentiri vellet, in conspectu totius Concilij damnatus est. [a] Tum etiam ex Concilio Florentino, in quo præsente toto Concilio, in ipsismet sessionibus Patres Latini a Concilio destinati, cum Græcis, de processione Spiritus sancti acerrime disputarunt. Possemus item alias Synodos, in medium proferre, ex quibus apparet hanc consuetudinem in Concilijs extitisse: sed in **C** re aperta non videtur amplius commorandum.

a Actione, siue sessione 8.

Postremo, cum ea, quæ in his Congregationibus concluduntur, sint summo Pontifici referenda, ut suprema illius auctoritate definiantur, dubitandum non est, antequam hæc illi veluti a Congregatione probata, ac veritati consentanea, exponantur, oportere maxime, vt omnia quàm diligentissime excutiantur, ac disputationum **D** & argumentorum pondere, ac concursu, eadem ab omni errorum suspicione liberentur.

PARS

An rationes, quæ ſingulæ ad excuſandum Cardinalem a debito conſulendi munere non ſufficiunt, plures ſimul coniunctæ ſuffragentur.

B

EX his hactenus diſſeruimus, quamuis cõſtare ſatis exiſtimemus, nullam ex illis cauſis quæ validiores videri poterant, ſufficere ad retrahendos Cardinales a pronũcianda, quã debent, in ſacro Conſiſtorio libere ſentẽtiã; attamen, quia dubitari adhuc poſſet, ſi plures ex illis rationibus ſimul coeant, an in vnũ collectæ poſſint ſuffragari; ideo hoc quoq; caput minime prætermittendũ eſſe diximus. Non enim nouũ eſt, immo frequens ſatis, ac vſu perſpectum, multa reperiri, quæ diſiũctim id nequeunt efficere, quod ſimul iuncta facile præſtant: nam, vt dicit Scriptura, *Funiculus triplex, difficile rũpitur*,[a] & moles, quæ vnius opera loco moueri nequit, a multis ſimul in eã incũbentibus euellitur, & ſupplicationes, quæ Principi offeruntur, varijs tũ rationibus, tũ argumẽtis veſtiri, & numeri ſolent, quòd ijs multiplicatis facilius cõcedentis animũ pertrahi poſſe exiſtimamus. quod & ab Oratoribus, Iuriſconſultis, alijsq. iudicio præſtantibus viris obſeruari notum eſt, cum ad permouendos iudices, aut flectendos auditores ſiue ad ſuadendum amicis id, quod cupiunt, non vno tantum probationis genere, ſed multiplici teſtium, ac documentorum copia vti ſolent; quippe qui ſæpe experti ſint, quæ infirmiora per ſe videri potuiſſent, eadem coaceruata plurimam vim habere, & ex circumiacẽtibus ſparſim adminiculis, & coniecturis cauſas alioquin iacẽtes, & deſtitutas erigi, ad ſuperiores euadere. Eodem modo, quãuis vna, vel altera ratio non ſufficiat ad liberandum a culpa Cardinalem, ſi officio ſuo aliquando deſit; ſi tamen vel multæ ſimul, vel omnes eodem tempore concurrant, reddere poterunt illum ab omni peccato omiſſionis, ſeu commiſſionis in dando conſilio immunem.

QVAEST XLIX.

C

D

[a] *Eccleſ. 4. c. 1. de treug. & pace.*

VERVM, quia viciſſim nouimus ea, quæ in ſpecie ſua nõ ſunt perfecta,

re fecta, nec alijs adiuncta validitatem adipisci, [a] & peccata, quæ venialia sunt, multitudine non effici mortalia, [b] & alia multa in hanc partem afferri posse, quæ totum hoc argumentum valde implicitum, difficileq. reddunt. Ideo omissis varijs Doct. disputationibus, quæ ad rem nostram non ita pertinent, [c] illud nos tantum hic tractandum duximus, quod proprium huius loci videtur, vt de natura istarum rationum, & sigillatim & coniunctim, tum de illarum pondere disseramus: sic enim colligemus vel non posse eas omnes copulari, cum inter se maxime repugnent; vel si aliquæ iungantur simul, nihil tamen plus roboris inde ad excusandum Cardinalem a proprio libere & fideliter consulendi munere accedere. A B

a l spadonem §. qui iura ff de excus. tut. & glo. c. quorundam. 23. distinct.
b S. Tho. 1.2. q.88. artic. 4. Siluest. in verbo peccatum q.4.
c Abb. & Fel. c cum causam de prebat.

Qvod ad primum attinet multas scilicet ex illis excusationibus esse, quæ nullo pacto coagmentari possunt, eo quòd tendunt ad diuersa, & quasi repugnantem habeat naturam, sic ostenditur: quoniam excusationes singulæ supra commemoratæ ad tria potissimũ capita redigi omnes possunt: quædam enim eò pertinent, vt suadere conentur licere quandoque Cardinali in Consistorium non accedere, vt se a dicendi onere, & periculo eximat. Aliæ eo referuntur, vt non prohibeant Cardinalem in Consistorium venire, sed suadere contendant licere ei ibidem nihil loqui, & capite tantum annuere. Tertiæ ad id spectant, vt doceant ita respõsionem a Cardinale temperari posse, vt rem propositam verbis probare videatur: sed tamen interiore animi sensu eam non sequatur. C

Qvamvis igitur vnus sit omnium harum excusationum finis, nempe licere interdum Cardinali etiam rogato sententiam, suum iuste consulendi officium prætermittere; quia tamen hæc a tribus præcipue causis, seu principijs proficiscuntur, quæ congrue nequeunt simul conuenire, cum aliud sit non venire in Consistorium, aliud venire quidem, sed tacere: aliud venire, atque aduersus officium loqui. Ideo, cum in diuersa obiecta præfatæ excusationes tendant, non possunt simul omnes commisceri, vt Iurisperiti dicere solent. [d] D

d Nicolaus de Neapol. & Bal. in l spadonem, § qui iura ff de excus. tut.

Et quia obijci posset, hæc tria capita licet inter se non cohæreant, ex causis tamen varijs proficisci, quæ aliquando inter se possunt conuenire; idcirco ad tollendas difficultates, & vt manifestum reddatur, adeo varios gradus esse rationum, tum certarum, tum probabilium, tum minus probabilium, tum aliarum ad rem conuincendam, vt nec multæ simul iunctæ valeant semper; est aduertendum, in his rebus moralibus, quæ ex humana ratione vel iudicio pendent, varios, diuersosque reperiri probabilitatis, &

firmi-

A firmitatis gradus : nonnumquam enim rationes occurrunt certæ,
& perspicuæ, quæ huiusmodi sunt, vt rem ante oculos proponere
videantur,mensq. ipsa statim cohuincatur : vt si quis Rex, qui mi-
nimum opibus, & auctoritate valeret, & cuius regnum exiguis fi-
nibus contineretur, suis tantum viribus vellet inferre bellum alteri
Regi maximo, & potentissimo,quem omnes finitimi timerent, &
magni facerent : certe si res hæc in consultationem veniret,constat
aperte ex ipsa imbecillitate Principis, qui agit de bello inferendo,ra
tiones euidétes & perspicuas colligi posse, quæ illum omnino a pro
posito deterrerent.[a] Aliæ sunt rationes probabiles,quæ in duas par- [a] Luc. 14.
tes diuidi possunt; aliæ enim sunt probabiles sua vi,& natura : vt
B probabile est, exercitum, in quo est maior militum numerus, in
quo sunt plures veterani, maior tormentorum bellicorum copia ,
duces rei militaris peritiores, victoriam reportaturum : aliæ autem
rationes sunt probabiles huic aut illi homini, cum tamen ex se
nullam fere aut leuem habeant probabilitatem : & de his infra
agemus.

Hæ igitur rationes, quæ sua natura sunt probabiles,non habent
tantum pondus, quantum superiores illæ: non enim conuincunt ,
licet mentem ipsam plerumque alliciant, & impellant. Cum au-
tem res, quæ in controuersiam vocatur, est obscura, & difficilis ,
C suntq; de ea contrariæ sententiæ,fit aliquando,vt tam pares non nu
mero,sed probabilitate ex vtraque parte rationes occurrát,vt quem-
admodum in libra, cum pondera paria in lancibus ponuntur, sta-
tera neque huc, neque illuc inclinat:ita mens ipsa in neutram par-
tem propendeat. Cum autem res est in hoc statu, fatemur, si ad
alteram partem aliæ,atque aliæ rationes æque probabiles accedant,
fieri posse, vt mens in illam omnino feratur. Atque hæc est causa ,
cur homines prudentes & ingeniosi, cum in aliquo negotio graui
versantur (vt supra dicebatur) siue suadere, siue dissuadere velint,
multas rationes in medium proferant : sæpissime enim vsu veni-
D re solet, vt qui vna, aut altera ratione non flectuntur , multis con-
iunctis ita commoueantur, vt non solum cedant , & dent ma- [b] Nauarr. in
nus, verum etiam earum quasi pondere quodam ita obruantur, Manual c.27.
vt repugnare nullo modo possint. Itaque certum est, rationes nu 286. et c.1.
probabiles (præsertim , si par est in illis probabilitas) cum multæ de treg. & pa-
sunt,maioris esse momenti, non quidem ad rei euidentiam osten- ce glo in c fin.
dendam, sed ad facilius Auditoris animum in illam partem incli- de pœnis.dist.
nandum.[b] 1.Siluest.verb. opinio quæst.2. Medina in 1. 2. q. 19.

ALIQVANDO vero rationes,quæ in mediũ adducuntur neq;

suni

ſunt euidentes, neque probabiles, de quibus hactenus dictum eſt, A ſed ita leues & infirmæ, vt facili negotio, ſi diligenter conſiderentur, dilui poſſint. Hæ autem, licet complures coniungantur, vix minimi momenti inſtar poterunt obtinere: vt ſi quis, exempli cauſa, eo die luderet pila, quo Eccleſia legem ieiunandi Chriſtianis imponit: ſane, ſi ipſe exiſtimaret, ſe ſolutum eſſe hac lege, laboris cauſa, quem ſuſcipit in illo ludo, hæc ratio leuiſſima eſſet: fingamus modo hunc eundem alias cauſas addere, vt ſi diceret tunc vrgere calorem æſtiuum, aut ſe vexari fame: certe, cum hæ item ſint leues, licet cum prima coniungantur, adhuc nullam habebunt probabilitatem. Quemadmodum enim, ſi quiſpiam nummos adulterinos B habeat, & illis velit emere fundum, aut domum, fieri non poteſt, vt, tametſi multi ſimul congeſti ſint, pretium iuſtum perſoluat, quia pecunia illa, ſi æſtimatur tamquam pecunia, nullius eſt pretij: eodem modo argumenta hæc leuia, de quibus eſt ſermo, cum ſingula improbabilia ſint, etiam ſi complura coniungantur, nullum habebunt robur, aut firmamentum: deeſt enim illis probabilitas, quæ eſt velut in pecunia ſignum Regium: aut in ſigillo figura, quæ in cera imprimitur, eſt (inquam) vis, & pondus, quo niti debent. Itaque rationes probabiles, & veræ, quamuis non ſint euidentes, ſunt velut nummi boni: &, quemadmodum pluris æſtmãtur multi C nummi, quàm pauci, ſi ſunt eiuſdem ponderis, & metalli: eodem modo plus conuincunt mentem plura argumenta, quàm pauciora, ſi omnia æque ſunt probabilia. At veru rationes improbabiles, & apparentes, ſunt velut nummi adulterini, qui huiuſmodi ſunt, vt, ſiue multi, ſiue pauci, quatenus nummi, nullius ſint momenti: licet autem aliquibus videantur probabiles, vt ſupra eſt dictum: hoc nihil prohibet, quominus improbabiles haberi debeant; quemadmodum ijdem nummi, quamuis a nonnullis probentur, nihilominus ſunt inter adulterinos numerandi. Quare, ſicut dux, qui vellet expugnare arcem muris firmiſſimis cinctam, & nollet vti tormen- D tis æneis, neque globis ferreis quibus hac noſtra ætate duces rei militaris peritiſſimi muros demoliri ſolent ſed vteretur teſtis fictilibus, aut globis ex luto confectis, operã profecto perderet, numquamq. licet dies & noctes mœnia verberaret, illa euertere poſſet: eodem modo, ſi quis perſuadere vult aliquid Reipublicæ conducere, vel nocere, aut peccatum eſſe, vel non eſſe, idemq. adducit argumenta infirma & leuia, etiam ſi alia, atque alia adiungat, tantum aberit, præcipue ſi apud viros prudentes, & eruditos negotium agitur, vt id probet, quod probare deſiderat, vt immo periculum ſit, ne illis,

A lis, quo plures rationes afferat, plus afferat faſtidij.

H i s ita conſtitutis, facile colligi reſponſio poterit ad id, quod in vniuerſum quærebatur, num rationes, quæ ſingulæ nõ ſufficiunt, plures ſimul coniunctæ ſuffragentur: certe, ſi loquimur de rationibus euidentibus; illæ quidem omnem ſcrupulum, & dubitationem a conſcientia tollunt; immo non ſunt plures ad excuſandum a culpa neceſſariæ; ſed una ſola ſufficit, ueluti, ſi Cardinalis ita ægrotat, ut vi morbi cogatur decumbere in lecto: aut ſi aſſideat patri, aut alteri ualde coniuncto conſanguineo iamiam morienti: aut ſi funeris cauſa alicuius eorum domi detineretur; aut quibuſdam alijs cauB ſis, adeo iuſtis, atque honeſtis impediretur, ut de iuſtitia, & honeſtate earum eo tempore, & occaſione nulli prudenti viro ſit dubitandum.

S i autem loquimur de rationibus probabilibus, certum eſt, plures maiorem vim habere, quàm vnam, & aliquando plures euellere omnino ſcrupulum, qui fortaſſe reſideret, ſi vna tantum Cardinalis niteretur: vt, ſi ipſe ægrotat, non tamen grauiter, probabile eſt, non obſtringi obligatione accedendi ad Conſiſtorium: ſed dubitat adhuc, quia morbus non eſt grauis: habet tamen aliam excuſationem, quia confecit eiſdem diebus iter longum, & venit nocte proC xima defeſſus, iam hæ duæ cauſæ ſimul coniunctæ nullum locum dubitationi relinquunt. At vero, ſi rationes fere improbabiles ſunt, & leues, quales ſunt illæ, de quibus in ſuperioribus quæſtionibus eſt diſputatum, quaſque ad tria quaſi capita redigi poſſe diximus, profecto, tametſi plures ſint, & ſimul coaleſcant, excuſare tamen Cardinalem a culpa non ſufficient. Nam, cum ſatis, ſuperq. probatum iam fuerit, Cardinalium munus in Eccleſia Dei fuiſſe inſtitutum, ut eſſent adminiſtri, Conſiliarij, atque adiutores Papæ, atque idem operas quodammodo ſuas, fidem, aſſiduitatem, induſtriam, conſilium, ac ſolicitudinem etiam cum iuramento obſtrinD xiſſe, eosq. viciſſim ab Apoſtolica Sede non ſolum ſublimi dignitate ornatos, ſed ad eam honorifice ſuſtinendam etiam fructibus Eccleſiaſticis, multisq. priuilegijs, & prærogatiuis auctos, & cumulatos fuiſſe; facile hinc erit agnoſcere, non licere Cardinalibus hoc conſulendi, fideliterq. loquendi munus ſibi a ſummo Pontifice aſſignatum intermittere, niſi cum grauis aliqua cauſa, & omnino iuſta ſeſe offert, & impedit. quod fundamentum cum altis admodum ſit radicibus innixum, ſtat immotum aduerſus omnium fallaciarum turbines, & tamquam radians ſol ignibus, omnes tum primi, tum ſecundi, ac tertij capitis nebulas diſijcit, & repellit, cum

priuatæ sint illæ rationes, & solum apparentes, quas anteuertere A
semper debet officium, conscientia, ueritas, obligatio, & iustitia.

ET, si obijciatur durum nimis, absurdumq. videri, non minus in culpa eum esse, qui mendacem forte (quamuis id debere accidere non sit existimandum) iniustamq; sententiam in Consistorio protulerit, ac eum, qui uarijs præeuntibus excusationibus, licet non omnino iustis, ab officio interdum abduci passus fuerit; Respondemus, quòd, sicuti illi, qui Consiliarij officio non plene respondent, non immunes a culpa sunt, ita eorum, qui aberrant, non æquales sunt gradus, sed alij plus, alij minus delinquunt; alij peccato mortali, alij veniali obstringuntur; alij leniore, alij grauiore culpa implicantur, secundum ea, quæ aliàs a nobis copiosius B
tractata sunt. [a]

a In quæst.36. & sequent.

NON obstat igitur, quod initio obijciebatur, multa scilicet simul iuncta posse proficere, quæ separatim non prodessent. Nam respondemus, id verum non esse de leuibus, & apparentibus rationibus; immo, quando susceptum officium certa obligatione, iustitiæq. vinculo nititur ad bonum publicum iuuandum, quale est Cardinalium in Consistorio munus, tunc illud adeo firmum, immobileq. reddi, vt, quoties publica vtilitas postulet, nullis contrarijs conatibus, aut machinis, siue paucioribus, siue pluribus, possit expugnari.

PARS

A PARS V. QVAEST. XIII.

An inter varias Doctorum opiniones sit illa tamquam benignior amplectenda, quę admittit excusationes, seu difficultates: ne consilium detur: an alia, quæ eas reijcit.

B

QVOD nouissimo hoc loco aggredimur, superuacaneum ei forte videri poterit, qui superiores omnes quæstiones a nobis tractatas sigillatim fuerit persequutus. nam, cum ex ijs facile ei fuerit cognoscere, omnia, quæ præcipue grauia, aut difficilia in præsenti materia existimari poterant, suo loco satis, ni fallimur, examinata, & declarata fuisse, intelliget etiam quemadmodum expurgata semita, erutisque de via lapidibus, ac cæmentis, in quæ offendi poterat, planum, apertumq. iter relinquitur, ita vt alio non sit opus auxilio: sic in re nostra reiectis, quæ aduersari videbantur, rationibus, elisisque contrarijs argumentis, secum statuet, nihil esse, cur amplius quæratur, quænam inter uarias Doctorum opiniones sit præferenda. QVAEST. L.

C

ATTAMEN, quoniam moralis materia non certa demonstratione, sed probabilitate potius nititur, atque ab ijs rebus, quæ ut plurimum accidunt, pendere solet, hincq. ea, quæ illius regulis diffiniuntur, non omnes prorsus euellunt disputationes, quæ in posterum ex alijs, atque aliis circumstantiis possent emergere; Idcirco post singulos casus antea examinatos, & quantum satis visum fuit declaratos, & diffinitos, cum adhuc uestigia aliqua difficultatum, nouis superuenientibus causis, exoriri posse videantur; visum fuit nobis, ad caliginem omnem prorsus disijciendam, hanc nouissimam quæstionem attexere, quæ omnium fibras disceptationum, quantum nobis licuit, & rei natura patitur, possit amputare.

D

NAM & in aliis iuris controuersiis receptum est, ut, cum multa sæpe emergant, quæ legibus comprehendi non potuerunt, ad generales quasdam regulas recurratur, ex quibus, an materia odiosa sit,

vel fauorabilis, an benigniore, seu duriore interpretatione sit amplectenda, colligi solet, indeq. quid sentiendum, aut in quam partem magis inclinandum, facilius deliberari. Quapropter, ut nos quoque, quantum materia nostra patitur, huic parti prospiceremus, duximus hoc ipsum argumentum extremo hoc capite mature examinandum esse, idq. duplici uia, ac ratione, vt dilucidius innotescat. Primum quidem, in genere, atque in vniuersum, nullo certo facto proposito, sed tantum re ipsa in abstracto, vt aiunt, considerata; deinde, descendendo ad particulares casus. A

Primo igitur loco videndum est, an inter varias Doctorum opiniones, quæ de sacri Consistorij Consultationibus exoriri possunt, illa sententia, quæ excusationes probat, sit benignior, ita vt in dubio sit amplectenda. Quo loco, cum Dubium dicimus, non illud accipimus, quod aliquorum tantum opinione nititur, si hæc opinio voluntate potius, & placito eorum muniatur, sed quod certa, & graui auctoritate, & probabili ratione fulcitur: [a] non enim, cum cœperint nonnulli sententiam aliquam aduersus alios sequi, statim illam ambiguam, aut controuersam reddunt, sed liberanda est vis causæ, an vtrinque probabiles habeat rationes, siue auctoritates, aut alia quædam, ex quibus Doctore rei statum dubium constitui affirmarunt. [b] qua de re fusius supra egimus. [c] B C

Adnotandum præterea, quasdam esse causas, quæ suapte natura propensionem quandam hominum, & fauorem exposcere uidentur, ita ut in dubio de illis sit bene sentiendum, &, quoad eius fieri potest, eis largius, & benignius sit tribuendum, talis est causa iuramenti, matrimonij, testamenti, dotis, libertatis, religionis, & aliarum similium. Aliæ sunt causæ, quæ odiosæ potius censentur, qualis est materia vsurarum, publicanorum, simoniæ, hæresis. Sunt aliæ deinde inter has mediæ, quæ nullum præsumptum, aut fauorem, aut odium secum ducunt, quales sunt regulariter omnes, quæ a iuris communis diffinitionibus pendent. D

His positis, cum quæramus in re nostra in vniuersum, an opinio illa, quæ defert excusationibus, de quibus agimus, sit eiusmodi, vt tamquam fauorabilis in dubio sit amplectenda, an potius inter alias classes sit reponenda; posset fortasse aliquibus videri, respondendum esse iuxta regulam, quæ ait: in dubio delictum non præsumi, & vnumquemque talem censendum, qui culpa careat: [d] & propterea hoc loco interpretationem eam esse recipiendam, quæ crimen excludit: nam, cum hic occurrat causa misericordiæ, & iustitiæ, constat leges in misericordiæ potius, quàm iustitiæ partes inclinare.

[a] Caiet in Sũma verb. opinio.

[b] Matesil. tract. de eleẽ. opin Nauarr. in Man c. 27. nu 284. & seq. Siluest in Sũma verb. Opinio. q. 2 Dec. c. licet causam. de probat. nu. 205.

[c] Diximus in quæst. 32.

[d] c. 2 de reg. iur. l. merito. ff pro soc.

A clinare.[a] cum & regula iuris sit notissima, ad absoluendum potius, quàm condemnandum, prontiores iudices esse debere. Et denique, quia cum benignior hæc sit interpretatior videtur proculdubio inter perso nas Ecclesiasticas recipienda, & fouenda esse.

VERUM his minime obstantibus, contrariam sententiam, videlicet in dubio has excusationes potius reijciendas esse, nos veriorem esse existimamus. eamq. tum in foro exteriori, tum in foro interiori longe iustiorem esse.

NAM quod ad forum exterius attinet, cum Cardinales constituti fuerint, vt Reipublicæ Christianæ consulant, & Pontificis Maximi sint adintores, certe ex officij ipsius natura, & instituto patet B quidquid ab ipsis in communem vtilitatem proficisci potest, id esse roborandum, & amplificandum; contra vero quòd commodum hoc auertere potest, id esse comprimendnm. Quare cum Cardinalium excusationes, quibus a dãdo libero, & fideli cõsilio se tueri posse videntur ex genere suo non iuuare, sed detrimentum potius afferre soleant, dubitandum non est, cum ex altera parte publica vtilitas, ex altera vero priuatum ipsius Consiliarij, aut alterius commodum occurrit, commune bonum etiam in foro exteriore priuato esse anteferendum.

C QVOD vero ad forum conscientiæ pertinet, notum illud generaliter est, aliter in dubio de rebus, aliter de hominibus iudicandũ,[b] cum de rebus censendum sit, prout re vera existunt, siquidem bonum, & malum quoad eas minime ab extrinseco consideratur, quibus nihil nocet qualitercumque de ipsis iudicetur. At cum non de rebus, sed de hominibus, nimirum de actionibus, siue de factis ipsorum hominum agitur, ita in his versari debemus, vt si re vera dubitationem habent, & animus in his dijudicandis in contrarias partes distrahitur, semper in tutiorem partem, si ex alterius partis electione periculum peccati imminet, iuxta sanctorum Patrum sentẽ-D tiam iudicemus.[c] Quare in casu nostro, cum non sit dubitatio de persona, sed re ipsa, nempe de consilio perperam dato aut etiam indebite ab eo, qui dare debebat, prætermisso: quorum vtrumque suapte natura malum est, ideo non relinquitur locus benigniori, aut seueriori interpretationi, sed pendet hoc ab ipsa iustitiæ lege, quę huiusmodi actum damnat, cum res sit iudicanda secundum quod ẽst.[d] Vnde ait S. Augustinus: *Pie, & iuste ille viuit, qui rerum integer est æstimator*, in neutram partem declinando.[e]

Et si obijceret quisquam, actiones hominum, cum sint dubiæ,

X 3 in

[a] *Aug. de Ancon q. 26. ar. 6.*

[b] S. Tho. 2. 2 q. 60. art 4 in resp. ad 2. & 3.

[c] *S Aug hom. 50. & in lib. de vera, & falsa pœnitent. c. 17 glos c. iuuenis de sponsal. & c. 1. de scrutin*

[d] *S. Tho. d. artic. 4. ad 2. & ibi Caiet. ad 2. & 3.*

[e] *S. Aug li 1. de doct. Christ. c. 27.*

in meliorem partem esse interpretandas; Dicimus, ita rem se habere, si sint facta aliena, & nobis ignota; non enim debemus de proximis temere iudicare; sed hoc loco non loquimur de iudicandis actionibus alienis, sed de iudicio, quod quisque de rebus suis facere debet in fore interiore: quas, vbi dubium est de peccato, in tutiorem partem interpretari debemus, vt a pœnæ spiritualis periculo longius arceamur: [a] sapientis enim est cum beato Iob dicere: *Verebar omnia opera mea.* [b] A

[a] *Felin cap in præsentia de probat nu. 14.*
[b] *Iob 9.*

POST superiores difficultates a nobis in vniuersum tractatas, nunc super est altera quæstionis huius explicandæ ratio, quando ad particulares casus descenderetur, ac quid in dubio de ijs pronunciandum foret, quæreretur, si quando vtrinque probabiles rationes se offerrent. Verum quoniam prolixa nimis, & molesta forte earum rerum videri posset repetitio, quæ a nobis in operis huius decursu (quamuis ad alium finem tractata fuerint) propterea mediã viam eligentes, vt in proximũ superiori capite omnes fere hos casus, qui frequentius accidere solent, tripartita ratione complexi sumus, a quibus vniuersa omnia pendere posse videntur. B

HORVM primum ad eos pertinet, qui sententiam rogati, cum eam libere proferre recusent, eligunt potius in Consistorium non accedere. Secundum eorum est, qui cum in Consistorio præsentes sint, decernunt tamen magis silentium tenere. Tertium illorum, qui ad interrogata respondent, sed non omnino vt sentiunt, loquuntur. C

DE primis ergo, cum multiplices afferri possint excusationes, ne in Consistorium veniant; multæ etiam rationes vt veniant: censemus nos tantum abesse, vt excusationes præualere debeant, vt immo nulla in hac re dubitatio sit ponenda: nam cum munus Cardinalis, vt sæpius diximus, inter cetera in eo præcipue versetur, vt summo Pontifici adsistat, atque illum consilio suo iuuet, nullus videbitur ambigendi locus relinqui, eos scilicet, qui accersiti se coram Principe non sistunt, exceptis casibus iustis, & perspicuis aliàs a nobis declaratis, nullum idoneum excusationis suæ ad Consistorium non accedendi perfugium habere, sicuti & milites, qui imperatorem in Castra exeuntem non comitarentur, nisi euidentem, iureque probatam causam ostenderent, culpa non carerent. D

LICET autẽ casus illi a nobis propositi sint, qui videntur frequentius occurrere posse, tamen cum hæc res sit moralis, & sæpe ea contingere soleant, quæ nemini vmquam in mentem venerunt,

non

A non negamus fieri aliquando poſſe, vt aliqua fortaſſe eueniant, in quibus pares ſint, aut grauiores cauſæ, atque ita præter eas, quas ſupra commemorauimus, occurrant forte aliæ iuſto, & legitimæ excuſationes; ſicut etiam fieri poteſt, vt illæ excuſationes, quę ſemper fere legitimæ exiſtimantur, nonnumquam iuſtæ non ſint; ſed teneatur Conſiliarius, licet itinere ſit defeſſus, aut licet ægrotet, dum modo morbo grauiſſimo non laboret, ſui conſilij copiam facere: immo, quamuis morbus ſit grauiſſimus, in eo ſtatu Reſpublica poteſt eſſe, vt etiam in lecto infirmitate detentus, obligetur Cardinalis communi vtilitati potius quàm propriæ ſaluti conſulere. Fin-
B gamus enim cogitatione, hoſtes modo ad vrbem aduentare, aut illam obſeſſam iam tenere, vt contingit, quo tempore pręfuit Eccleſiæ Gregorius III. Stephanus II. aliàs III. Gregorius VII. & alij Pontifices, qui vexati fuerunt a Longobardis, a Germanis, & ab alijs Nationibus: vel Saracenos vrbi ipſi iam iminere, vt Leone IIII. Eccleſiam adminiſtrante: vel quia non de ſunt exempla recentiora, fingamus exercitum Gallorum ad vrbem iam iamq. accedere, vt Alexandro VI. Pontifice Maximo, cum Carolus VIII. Regnum Neapolitanum ſubegit; fingamus (inquam) illud in diſceptationem vocari, num oporteat Gallis aditum intercludi: An
C ſi tunc Cardinalis aliquis conſilio, induſtria, aut auctoritate proſpicere Reipublicæ poſſit, vlla excuſatione eo tempore vtetur? an impedietur tunc, aut funere patris, aut negotio vllo grauiſſimo, aut podagræ doloribus, aut quocumque alio morbo, dummodo vires ſuppetant, & mens vigeat, quominus ſuam omnem operam, & diligentiam ponat in tuenda Republica, & in Pontificis dignitate conſeruanda? Cum enim tunc Reſpublica in maximo diſcrimine verſetur, certum eſt, maiorem habendam eſſe rationem publicæ ſalutis, quàm priuati detrimenti, quod imminet Conſiliario.
D Quare quemadmodum miles, etiam, cum ſummum periculum impendet, non poteſt deſerere locum ſibi commiſſum, eodem modo Conſiliarius non poteſt deeſſe officio, quantumuis adducatur in vitæ diſcrimen, ſi ea ratione conſtet, Rempublicam periculo liberari poſſe. Extant exempla Imperatorum, & Regum clariſſimorum, qui cum eodem tempore ægrotarent, quo bellum gerebant, numquam eam ob cauſam ſuo muneri defuerunt. Et, vt alios omittam, quos commemorare longum eſſet, extat exemplum Caroli V. Imperatoris Maximi, & potentiſſimi, qui, cum plerumque quo tempore bella adminiſtrabat, podagræ doloribus ex-

cruciaretur, numquam eam ob causam vlla in re præstantissimi du- A
cis officium prætermisit. Itaque (vt rem hanc totam breui complectamur) illud certum est, excusationes, de quibus supra fuit disputatum, & quas diximus iustas, & legitimas, tunc habere locum liberandi a culpa Cardinalem, cum negotia quotidiana, aut paulo grauiora ad Senatum deferuntur: at vero, si occurrunt res maximi ponderis, quibus, aut salus, aut dignitas Reipublicæ continetur; tunc vix est iustæ excusationi locus, præsertim si Consiliarius tantum valet prudentia, & auctoritate, vt magnam spem in eius consilio, & industria omnes collocare soleant. Quare, quemadmodum cum bellum non est graue, neque vehemens, nullus cogitur nomen B
dare in militiam, sed milites mercede conducuntur: at vero cum instat bellum domesticum, & periculosum, vt cum expugnatur aliqua vrbs, tunc nullus se excusat, neque habet militiæ vacationem; sed omnes ciues coguntur pro salute communi arma capere; immo cum summum periculum instat, etiam fœminæ, & pueri hostes propulsant, telaq. & lapides in ipsos iaciunt, aut saltem ipsis propugnatoribus arma, & cibos afferunt, vulnera obligant, & alia, quæ necessaria sunt, singulari diligentia subministrant: eodem modo Consiliarij cum negotia, quæ occurrunt, non sunt maximi ponderis, C
sane si iustas illas excusationes habeant, de quibus locuti sumus, abesse sine culpa a Consistorio poterunt: at vero, cum negotia sunt grauissima, maximaq. vtilitas potest ex consilio Senatoris propter ipsius sapientiam in Rempublicam redundare, difficile iusta reperietur excusatio, quæ non accedentem in Consistorium ad consilium dandum a peccato immunem reddat, dummodo, ut ante dixi, vires aliquo modo suppetant, & mens vigeat: quamuis danda est opera, vt quàm minimo Senatoris incommodo, eius consilium exquiratur. Atque hæc de primis, qui dicunt se excusationes iustas habere, quo minus in Consistorium veniant.

De secundis vero, quid opus est multa disserere? nam si Cardi- D
nalis est dare consilium, & consilium sine verbis manifestari non potest, & amplius clarum est, tum magis loquendo, quàm tacendo, Reipublicæ consulere posse; nemo vtique sapiens vir umquam negabit, eum, qui sententiam suam, cum res postulat, fideliter in Consistorio proferat, non ualde commendandum esse; & uicissim, qui silentium teneat, nisi iusta, claraq. admodum causa appareat, iuxta alias a nobis tradita, accusandum esse.

De tertijs denique, qui, cum uere res propositas non probent,

curare

A curare tamen nituntur, vt loquendo assentiri videantur, nihil laborandum putamus quacumque specie, seu colore, etiam in Principis reuerentiam, seu obsequium se id facere contendant: cum Consiliarius numquam à fide, & proprio officio discedere debeat; & quemadmodum Medicus nihil in gratiam ægroti vmquam agit, si id sanitati repugnare posse animaduertat; sic Consiliarius id vnum præ omnibus intueri debet, vt eius suffragia ad Principis honorem, Reipublicæq. vtilitatem propetuo dirigantur.

B His itaque explicatis, non obstat quod initio dicebatur, delictum non esse in dubio præsumendũ, & misericordiæ potius, quàm iustitiæ esse adhærendum; Nam respondemus, si negotium inter priuatas personas ageretur, posset fortasse his rationibus locus esse, At, cum de vtilitate publica disceptetur, non est tanta habenda ratio vnius, aut alterius, quando eorum officium est suspectum, vt bonum illud commune deseratur. Quod proculdubio sequitur quando ceteri Consiliarij vident eorum exmpla, qui in Consistorio non loquuntur aut aliter loquuntur, quàm oportet, omnino argui, & improbari.

C Quod si quis replicaret, non propterea lædi commune bonum, si Consiliarius vnus aliquando ex probabili, vt sibi videtur, causa, a dicendo abstineat; propterea quòd in Senatu non desunt multi alij, qui publicam vtilitatem tuebuntur; Respondemus, vnumquemque, qui munus suscepit, debere de se ipso cogitare, an illi satisfaciat, non autem de alijs quid sint acturi, cum scriptum sit: *Attende tibi.* Quid enim, si reliqui idem facerent, & commune bonum ab omnibus destitutum inueniretur? Plane sicut miles, qui locus suum deserit, exauctoratur, ac pœna plectitur, licet reliqui milites in officio, & ordine maneant; sic non D est excusandus Consiliarius, qui consilium non præbet, eo quòd ceteri illud administrare possint; Immo eo magis in culpa videtur, quo plura præ oculis habet aliorum exempla, quæ debuit imitari.

Non obstat etiam quod dicebatur de benigniori interpretatione, quam leges amplecti solent; Nam dicimus, non semper benignius illud habendum, quod extrinsecus lenius, aut mitius esse videatur, sed quod in commune sit vtilius, & per se magis iustum; nisi quis velit quædam medicamenta, quæ gustui amara sunt, tamquam asperiora reijcere; & alia, quæ suauia videntur,

& læ-

& lædunt tamquam benigniora amplecti; cum immo vera, laudabilisq. benignitas ab eius solido effectu, non a fugaci specie, sit dijudicanda; &, vt ille dixit, *Nulla remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciant dolorem, quàm quæ sunt salutaria.* [a] A

[a] *Cic. in epist. ad Octau.*

QVIBVS ad huius capitis, & omnium nobis propositarum quæstionum finem, nos peruenisse agnoscimus, gratia, & benignitate DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, cui honor & gloria in sæculum: Amen.

FINIS QVINTAE PARTIS.

CON-

CONCLVSIO TOTIVS OPERIS.

Quæ præcipue necessaria Cardinali videantur, vt consulendi munus, prout oportet, exerceat.

Hæc Conclusio, quoniam est instar Compendij plurimarum præcedentium quæstionum: atque alia multa ad totam disputationem terminandam complectitur: Ideo ad clariorem eius explicationem, placuit illam in aliquot membra partiri.

I. *Non sufficere Cardinalem recta consulere, sed oportere etiam recte consulere, vt muneri suo satisfaciat: & hæc plurimum inter se differre.*

II. *De fine, qui Cardinali Consiliario præcipuè propositus esse debet.*

III. *Cardinali, vt cum fructu consulat, auctoritate potissimum opus esse: atque ad eam comparandam, & exercendam permulta requiri.*

IIII. *Tria Cardinali ad recta, recteq. consulendum inprimis esse necessaria: Rerum peritiam: Beneuolentiam: Loquendi libertatem.*

V. *De alijs pertinentib. ad Consistorialia Consilia. Primo, de Summo Pontifice, qui Consistorio*

præsidet

præsidet.

Secundo, de triplici Cardinalium, qui Consistorio adsistunt, ordine, atque officio.

Tertio, de obseruandis a Cardinali, quando indicitur Consistorium.

Quarto, quando in Consistorium conuenitur.

Quinto, cum Summus Pontifex causas consultandas proponit.

Sexto, cum sententias in Consistorio exquirere incipit.

Septimo, cum locus obuenit Cardinali ad consilium suum proferendum.

Octauo, post dictas sententias ab omnibus Cardinalibus, quid obseruandum.

Nono, dimisso consilio, quid reliquum sit.

Decimo, quæ partes sint veri Cardinalis in tota eius vita ex Sancto Bernardo.

Non ſufficere Cardinalem recta conſulere, ſed oportere etiam recte conſulere, vt muneri ſuo ſatisfaciat: & hæc plurimum inter ſe differre.

B EA, quæ ſuperioribus quæſtionibus a nobis diſputata fuerunt, vt plurimum ad illa pertinent, quæ conſultationem bonum ex ſuo genere reddunt, dum amouent timores, aſſentationes, ſuſpiciones, atque alia impedimenta, ex quibus dicẽdi veritas, fides, libertas, in quibus iuſta Conſiliarij actio conſiſtit, peruerti ſolet. Quoniam autem in humanis actionibus duo coniunctim requiruntur, vt veræ virtutis laudem obtineant: alterum, vt id, quod geritur, rectum ſit: alterũ vt recte geratur, ſic enim Deus in Deuteronomio pręceperat: *Quod*
C *iuſtum eſt, iuſte proſequeris, vt viuas.*[a] Et Seneca ait: *Non in facto laus eſt, ſed in eo quemadmodum fiat*: propterea cum bonum Conſiliarium vtrumque præſtare oporteat, vt ſcilicet recta conſulat, & recte conſulat: nos poſtquam de priore ſatis egimus, nunc ſupereſt, vt de ſecundo, quæ neceſſaria ſint, ſubijciamus: quod breuitati ſtudentes, Paucis capitibus complecti curabimus, vt ita perfecta Conſiliarij functio, qualis eſſe debeat, omnibus euidenter demõſtretur. Nec id quidem eorum auctorum more, qui de Republica, de Rege, de Oratore, de Architecto, aut de alijs huiuſmodi tractantes, ideam
D potius quandam illorum munerum expreſiſſe cenſentur, quã quòd tales eos effici poſſe exiſtimarent. [b] Nos enim ſingula, quæ in Conſiliario, prout infra requiruntur, ita neceſſaria ducimus, vt ſi ijs careat, non ſolum integrum Conſiliarij munus non præſtet, ſed etiam ſummo rerum arbitro, omnipotentique Deo rationem reddere teneatur, qui vocationem ſuam pro dignitate non impleat, cum ea omnia, quæ ad munus iſtud recte obeundum exiguntur, vſu ipſo exercere, non ſit ſupra humanas vires, ſed liceat vnicuique id conſequi, cæleſti gratia auxiliante, quam Deus petenti largiri ſolet, modo ille vocationi ſuæ reſpondere ex animo cupiat, atque laborẽ non refugiat.

[a] Deut. 16.

[b] Cic. in li. 1. de Orat. & in epiſt. 1. ad Q. Frat. lib. 1.

I N hoc igitur priori Conclusionis membro, tria erunt videnda. A
Primum, quid recta consulere, & recte consulere inter se differant. Secundum vtrum hoc posterius præstet illi priori. Tertium, quare vtrumque ex his debeat a Consiliario impleri.

Q V O D primum animaduertendum est, aliquos conatos fuisse distinguere inter hæc verba, *rite, recte*, seu *iuste*, quasi alterum ad ordinem rei, alterum ad factum, siue ad causæ merita esset referendum: [a] sed quoniam non solet hæc differentia iure plane obseruari, sed potius videmus hæc verba promiscue accipi,[b] ideo hoc omisso, cum hic non agatur de differentia trium illorum verborum, sed an hæc duo *recta facere*, & *recte facere*: seu *iusta iudicare*, & *iuste iudicare* B
discrepent inter se: propterea dicimus non solum hæc inter se vere differre, sed etiam legem humanam a lege diuina in his distinguendis multum discrepare: siquidem lex humana respicit tantum actus exteriores, & secundum eos res dijudicat, cum occulta mentis non introspiciat;[c] lex vero diuina animum principaliter, & propositum agentis intuetur, tum alias multas circumstantias, quæ ad legem humanam non pertinent.[d] Ideo si secundum legem humanam loquamur, illa in administranda iustitia, aut aliqua alia actione gerenda, duo tantum considerat, quæ sunt causa, & modus, id scilicet, quod factum est, & modum, quo illud factum est: & C
secundum hanc legem ille iusta iudicat, qui secundum merita causæ, ac ius partis pronunciat: at vero quia in iudicijs, modus etiam in procedendo, & certus ordo, & tela, vt vocant, iudiciaria retinenda est,[e] hoc pertinere ad modum lex humana dicit, idque esse iuste pronunciare; ita vt qui vtrumque obseruat, tam in re ipsa, quã in modo, idest tam in meritis causæ, quam in ordine iudiciario, ille tamquam omnem iustitiæ rationem complexus, dicatur, & iusta, & iuste iudicare.

Q V O D vero pertinet ad legem moralem, seu diuinam secundũ Theologos, & Philosophos, certum est, ad debitum iustitiæ munus D
tria requiri, nempe voluntatem, causam, & modum, siue ordinem:[f] principaliter enim lex diuina voluntatem considerat, & interrogat magis cor quam manum,[g] nec tam intuetur quæ fiunt, quàm quo animo fiunt.[h] Vnde hoc iure dicetur ille iusta iudicasse, qui certo animi proposito secũdum factum & merita, iustitiam amplexus est.

Q V O D modum vero, & ordinem, quamuis & hic ordo a lege humana requiratur, aliter tamen ab illa, aliter ab hac accipitur. Nam cum humana lex modum, seu ordinem obseruari requirat in iudicãdo, qui ab eadem lege fuit præfinitus;[i] tunc dicitur iuste iudex iudicasse,

[a] Glosſ. 2 de inoffic testam. & in Auth de hered & falcid § exhæredatos, in verb. iuste. & in ca. ea quæ, de re iud in verb iuste. & in l. 3. C de bon vacan lib 10. verb rite.

[b] l. 3. § l iuste possidet nu 7. & 8 ff de acq. possess. & l lecta si cert pet. nu. 16.

[c] c 1. § porro 21 Ecclesiæ beneficia cap erubescant 32 dist.

[d] S Tho. 1. 2. q. 100. art. 9.

[e] In rubr & tit. C de sententiis ex breuic. Glo & Bar. in l prolatam C. de sent & interl.

[f] c. Episcopus. §. si vero 1. q. 3 & S Tho. 1. 2. q. 1. art. 4 & 2. 2. q 60. art 2

[g] c si quid inuenisti. 4 q. 5.

[h] c. 1. in fine. 15. q. 6.

[i] d. l prolatã.

A dicasse, cum eum ordinem obseruauit: At lex diuina, modum, & ordinem requirit obseruari, qui a virtute secundum rationem præscribitur.[a] Et quoniam multiplex hic modus est, & bonum ex integra causa consistit,[b] ideo quoties aliqua ex debitis circumstantijs abest, dicitur iudex non iuste secundum hanc legem iudicasse, immo peccasse, arguetur q. iniustitiæ; [c] siquidem ad bonam actionem reddendam quadruplex bonitas requiritur. Prima videlicet secundum genus. Secunda secundum speciem. Tertia secundum circumstantias. Quarta secundum finem: quarum si vel vna desit, actio illa tamquam a virtute deficiens, non potest integre bona appellari.[d]

B Et si quis obijceret, etiam secundum leges humanas inspici maxime animum agentis, cum dici soleat, propositum, & voluntatem distinguere maleficia,[e] & iure ciuili attendatur potius causa facti, quam factum ipsum,[f] & notum sit non solum in delictis, sed etiam in contractibus, in testamentis, in priuilegijs, & in alijs omnibus actionibus præcipue considerari voluntate, quæ omnibus in rebus debet dominari; [g] Respondemus, inspici quidem voluntatem iure ciuili non propter se, quia cogitationis pœnam nemo patitur,[h] sed quatenus respicit causam, seu materiam, aut factum ipsum, de quo agitur, ad cognoscendum quid, aut quale illud sit. Vnde lex humana quærit animum, vt iudicet factum: at in lege
C diuina factum inquiritur, vt animus dignoscatur; adeo quòd in lege diuina factum habet quasi rationem medij, & animus habet rationem finis: in lege vero humana contrarium est: nam animus inuestigatur ad distinguendum factum, cum aliàs de penitus occultis non iudicet Ecclesia.[i]

Hinc ad secundum accedendo, si quæratur vtrum ex his duobus dicatur præstantius, an recta facere, aut recte facere; Respondemus, hic quoque distinguendum inter legem humanam, & diuinam: nam secundum legem humanam, cum fieri possit, prout præfati sumus, quòd vnus iudex iusta iudicet quoad causam, sed iniuste quoad ordinem: & contra, quod alter iudex iudicet iniusta quoad causam, sed iuste quoad ordinem; dubium non est ex hac humana lege regulariter potiorem illum habendum esse, qui iusta quámuis iniuste iudicauerit, quàm illum, qui iniusta, quamuis iuste definierit: quoniá qui iusta iudicat, satisfacit iustitiæ in eo, quod præcipuum est, dum tribuit vnicuique quod suum est: & quamuis iniuste iudicet, tamen in eo tantum peccat, quod modum, & ordinem iudicij non seruat, sed non ideo ius partis lædit, quo præcipue nititur iustitia legis: & propterea non dicitur facere litem suam.[k]

a S. Tho 2.2. q 141 artic 6. Ari, l 2 Ethic. cap 6.

b Dion Areopag c 4 de diuin nom.

c S Antonin. in par 3. tit 9. c 1. §. 1. Sot in 4 dist. 22 q. 1. art 3.

d S Tho. 1.2. q 18. art 4 in corp. & ad 3. circa fin.

e l qui iniuria de furt.

f l. verum. la 2. de furt. Glo. in c. dilectus. de rescript.

g Tiraquel l. si vmquã uerbo libertis nu. 41. 52. & seq.

h l cogitationis. de pœn.

i c. sicut tuis in fi de simon. Glo c. litteras. verb tolerare. de restit. spol.

K Paris de Puteo, in tract. de sindic. §. index num. 5.

NON negamus tamen contingere posse casum, in quo non obseruato modo, & ordine iudiciario, lex pœnam iudici imponat, veluti cum damnum aliquod inde est alteri ex litigatoribus illatum, nam illud a iudice mandat sarciendum: [a] quod eo fit, quia lex ipsa nequaquam patitur ius alterius indebite lædi. [b] Verum vbi non adfuit litigatoris damnũ, quod regulariter accidere non solet, quando iudex iusta iudicat, licet iniuste; tunc nullam infligit pœnam iudicanti, nec omissionem illam ordinis non seruati, magnifacit, quia legislatori satis est ius nullius violari, & quod ad merita causæ attinet, iustitiam integre obseruatam fuisse. [c] Quę tamen aliquot recipiunt a iurisperitis distinctiones, ad quas lectorem allegamus, cum eas non sit locus huc transferendi. [d] B

QVOD si hoc idem secundum legem diuinam consideretur, videlicet quid satius, dignius ve sit, an iusta facere, vel iuste facere; Respondetur, longe præstabilius esse iuste facere, quàm iusta facere, cum in faciendo iusta, nihil aliud, quàm materia, & opus ipsum externum spectetur, quocumque modo fiat: [e] in altero vero non solum animus ipse, & voluntas facientis, sed etiam multæ circumstantiæ concurrant obseruandæ, & in primis optimus finis, tum fides, diligentia, constantia, & alia complura, quibus non adhibitis, opus ipsum imperfectum, & mancum redditur: immo tale quandoque euadit, quod ipsi operanti apud cælestem iudicem, perniciem, & supplicium affert; qui, vt diximus, ex proposito cuiusque, & fine res faciendi, easdem præcipue metitur, & eas vel probat, vel improbat, & consequenter agentem vel plectit, vel remunerat: [f] quemadmodum si quis Ecclesiam ingrederetur, quod bonum opus est, sed nefario proposito, vt alium percuteret, vel furtum faceret, aut colloquia cum amicis impura misceret: [g] vtique quamuis opus bonum, & rectum quoad genus ipsum, & obiectum rei faceret, quia tamen non recte faceret, ille non præmium, sed pœnam mereretur. Hinc dicunt Theologi, reperiri aliquãdo actum virtutis sine virtute, quod est, quando aliquis facit opus iustum, sed non iuste, quia tunc virtus materialiter tantum, vt aiunt, non formaliter in eo opere deprehenditur. [h] C D

EX quo sequitur, difficultatem non leuem versari in re iuste faciẽnda, aut in alijs operibus bonis bene agendis, eo quòd ad opus virtutis recte faciendum, complura in operante requiruntur, quòd sciens, quòd eligens, quòd ad finem rectum, & quædam alia ab eo adhibeantur, ab Aristotele, sancto Thoma, atque alijs declarata. [i] In alijs vero non eadem ita exiguntur: siquidem multi sunt, qui plura

[a] Alex. l. 1. §. hæc autẽ. Quod quisque iuris. nu. 3. & 4.
[b] Paris. in d. tract. verb sẽtentia. nu 4.
[c] Paris. in d. tract. uerb executio nu 1. & seq. Ias. Dec. et alij in l penul. C. de pact.
[d] In Reg. Diuers. in uerb. iudex. 363. & Menoch de arbit iud quæst. casu 341. & seq.
[e] S. Tho. 2. 2. q 32. artic. 1. ad 1.
[f] c. vide quãtum 1. q. 1.
[g] c. odi cũ gl. uerb. sed suas 34. q. 1.
[h] S. Tho. 1. 2. q. 96. art. 3. ad 2. et 2. 2. q. 32. art. 1 ad 1.
[i] Arist. 2. Ethi. c. 4. S. Th. 1. 2. q. 100. arti 9. Aegid. de Regim. Princ. lib. 5 c 5.

A plura bona,& iusta agunt natura quadam,aut casu, aut non ea omnino deliberatione,quam oporteret,quæ hominis potius actiones, quam humanæ dicuntur, [a] nec perfectam virtutis rationem attingunt, cuius est non tantum bona operari,sed ipsum etiam operantem bonum reddere, [b] quod ex actionibus tum iustis,tum iuste factis subsequi solet. [c]

Et si quis opponeret etiam secundum humanam legem iniustum dici solere iudicem,qui delinquit in pronunciando, siue in eo quod pertinet ad merita causæ siue quod pertinet ad modum, & ordinem in procedendo,quamuis eius sententia non semper sit nul-
B la,vel irrita; [d] Respondetur,hoc diuersum esse ab eo, quod in præsenti agitur; quęrebatur enim vtrum sit præstantius iusta facere, vel iuste facere; conclusumq. fuit secundum legem humanam plus esse iusta facere,quam iuste facere:Cæterum quod iudex, qui in altero ex his delinquit,siue iniusta, siue iniuste faciendo,iniustus tamen semper ipse dici possit,minime mirum videri debet,cum iustū, & bonum dicatur,quod ex integra causa consistit. Et ideo iudex, si non omnes iustitiæ partes impleat,sed in hac,vel illa re deficiat, nō poterit proprie,& absolute nomē iusti iudicis obtinere .Vnde Theophylactus dicit: *Non continuo,si quis prophetat propheta dicitur,*
C *sed si quis propheta,ille & prophetat,sicut neque omnis,qui medicinam parat,medicus: neque iustus,iustum quiddam faciens,sed qui iuste facit* [e], iuxta illud: *Iuste quod iustum est,persequeris.* [f]

Itaque hanc secundam huiusce membri partem concludendo,dicendum est,ex duobus propositis, quod est recta facere, & recte facere,longe præstantius, ac difficilius hoc posterius esse,quod est recte facere,altero illo priore,quod est recta facere : Nam, vt ait Aristoteles, [g] aliquid est ea agere, quæ iustus agit, verum ea agere illo modo,quo iustus agit,longe est maius:hincq. vulgare illud fluxit,Deum aduerbia magis quam verba remunerare.[h] Quæ commu-
D nis est probatorum virorum sententia.[i]

Ex his infertur ad tertium supra positum, quare vtrumque ex gis debeat a Consiliario impleri:quod quidem ex ijs, quæ modo dicta fuerunt,perspicuum relinqui videtur; & eo magis, quia sicut Cardinalitius status versatur non imperfectione acquirenda,sed acquisita; [k] ita actio consilij ab eo dandi,quæ est huius dignitatis propria,debet virtutem omnino redolere: Verum nulla actio potest dici cum virtute coniuncta, nisi recta per se sit,& recte exerceatur, vt supra ostendimus, & etiam ex sacro Tridentino Concilio colli-

Y gitur,

a S Tho. 1.2. q.1.
b Ethic.2 c 6. S.Tho. 1. 2.q. 55 art 3.
c S Tho.2.2. q.58.art.3.
d S Antonin. par.3 tit. 9. c. 1.§.1.
e Theophylact. in S.Io c. 11.
f Deut. 16.
g Arist. 2. Ethic.c.4.
h Glos.cap.1. verb qualitas de collus. deteg.
i Aegid lib.1. de regim prin. c. 5. Granat. fer. 6. post. cineres conc 1. par.2. in prin.
k Aug de Anton q.102.art. 1.

gitur, quod loquens de matrimonio ait, rem esse sanctam, & sancte A
tractandam, [a] ideo sequitur vtrumque ex his necessario Cardinali incumbere, ad hoc vt rectus, & bonus Consiliarius dici possit.

a Sess. 24. de reform. matr. c. 10.

ACCEDIT, quia Cardinalis munus, cum in Ecclesia Dei sit perfectissimum, exigit, vt sicuti primo Ecclesiæ militantis capiti, qui Papa est, ipse est peculiari officio in terris coniunctus; ita vltimo eiusdem Ecclesiæ fini, qui Deus est, possit esse in cælo gloriose vnitus. Quid enim prodest magna moliri? quid fortia aggredi? quid vtilia curare? quid aduersa omnia superare? quid muneri suscepto non deesse, ac publicæ saluti consulere, nisi etiam æternæ saluti tuæ consulas? [b] Cum autem hunc finem homo assequi minime possit; B
nisi diuini auxilij munere earumque actionum ope, quæ bonæ sint, tum ex obiecto (vt aiunt) tum ex circumstantijs, ita vt omnia vndequaque absoluta existant; sequitur, Cardinalem & recta consulere, & recte consulere debere; ita vt recta agendo, munus susceptum impleat, & recte operando diuinam gratiam promereatur. Quod & S. Basilius multis rationibus, atque exemplis prosequutus est. [c]

b De hoc latius in sequen. Membr.

c S. Basil sermone 2. de baptis. c. 8.

SECVNDVM MEMRRVM. C

De fine, qui Cardinali Consiliario præcipue propositus esse debet.

D

POSTQVAM intelleximus, non satis esse Cardinali recta consulere, sed amplius requiri, vt recte consulat: dubitari hinc potest, quænam sint illa, quæ potissimum ad recte consulendum exigantur: Et quoniam finis dicitur prima bonitatis causa, cum sonet, vt aiunt, non solum quid vltimum, sed etiam quid optimum; [d] & qui tollit finem, dicatur tollere omne bonum, [e] cum finis, & bonum conuertantur. [f] Idcirco cum hominis etiam sit agere propter finem; [g] nos exordiendum hinc duximus, vt videamus quem finem debeat

d 1 Ethi c. 7.
e Lib 2. Metaphys tex. 8.
f Aegid li. 1. de regim prin. c. 5.
g S. Tho. 1. 2. q. 1.

debeat sibi Consiliarius, vt recte consulat, præstituere; Nam si finis in moralibus rationem principij habet, & prima rerum causa dicitur, [a] necessarium profecto erit Cardinals in munere hoc suo cũ dignitate obeundo, id primum sibi in mente proponere, quorsum ad Cardinalitiam dignitatem assumptus, & quã ob causam ad hoc officium fuerit in Ecclesia Dei delectus, & tandem quem finem debeat in dandis consilijs præ oculis habere, vt recte suo munere fungatur.

A

[a] S.Tho. 1.2. q 8.art.2 Aristot. 7. Ethic. c.8.

AD hæc igitur excutienda animaduertendum in primis illud est Cardinalem dupliciter posse considerari sicuti & quemlibet alium hominem. [b] Primum, quatenus particeps est rationis, ad imaginem & similitudinem Dei factus: quod ei cum alijs vniuersis hominib. commune est. Secundo, quatenus ad hunc vitæ statum a Deo vocatus fuit, & ei hoc munus assignatum, ut Cardinalis esset, & consulendi functionem exerceret: sicuti alijs hominibus, Episcopis, Doctoribus, Magistratibus, Patribus familias, & ceteris peculiaria fuerunt munia a Deo constituta, vt quisque digne ambulet vocatione, qua vocatus fuit.[c]

B

[b] S.Tho. 1.2. q.63.art.1.

[c] Ephes 4.

PRAETEREA considerandum est, finem dupliciter accipi posse [d], uno modo pro eo, qui vltimus est, & nobilissimus, & ad quem omnes hominum actiones referendæ sunt, qui Deus est, ut cum eo coniungamur, & æterna felicitate post hanc peregrinationem in cælesti patria perfruamur: & hic cõs est vniuersis hominibus, quotquot hac luce perfruuntur, quibus assiduo curandum, & in uigilandum est, ut uitijs fugatis, virtutibusq. apprehensis, ad Deum bonorum omnium fontem perueniant. Alio modo sumitur finis pro eo, qui medius est, seu secundarius, seu finis sub fine uocatur; & hic multiplex, & diuersus est, pro vario vitæ genere, hominumq. statu, cum alius sit Medici, quatenus Medicus est, alius Architecti, alius Agricolæ, alius Monachi, & alius Cardinalis finis.

C

[d] S.Tho. 1.2. q.1.art.7.

AT vero nos in præsentia, cum multis modis finis sumatur, multasq. distinctiones Theologi afferant, varieq. de illo disceptare soleant, [e] omissis illorum disputationibus, & opinionibus, id tantum attingemus, quod rei nostræ magis accommodatum in præsenti esse duximus: propterea hunc medium finem considerari adhuc posse bifariam dicimus: Vno modo coniunctim, videlicet prout refertur, & ordinatur ad vltimum finem, quæ relatio, siue ordo omnibus actionibus uniuersali quadam ratione communis esse debet: Alio modo considerari potest seiunctim, siue per se, uidelicet, ut proprius est, & particularis unicuiusque functionis, Nam cum sin-

D

[e] S.Thom & Medin 1.2.q. 1. per totam. Nauar in Manual prælud. 4. & in comẽt. de finibus homin act.

guli vitę Christianæ status ita inter homines fuerint a Deo distributi, vt vnusquisque suo officio fideliter seruiens, & debitum vocationis suæ munus exoluens, Deo placere possit, pertinet sane hic finis ad quoscumque homines, qui functionem, & ministerium illis legitime assignatum ex charitate exequentes, debitam a Deo retributionem erunt accepturi, & quamuis huiusmodi retributio non ad hunc finem medium, sed ad vltimum, qui est gloria, pertinere videatur; attamen solet Christianus homo sic in hoc medio versari, vt interim vltimum etiam respiciat, quærens per hunc medium finē ad vltimum illum peruenire. Vnde Apostolus ad seruos loquens dicebat: *Serui obedite dominis vestris carnalibus non ad oculum seruientes, sed vt serui Christi, scientes quod vnusquisque quodcumque fecerit, hoc recipiet a domino.*[a] Et alibi, *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem.*[b] A B

a Ephes 6.

b C.loss 3.

Hic autem finis, quem dicimus medium, & secundarium, non negamus alia ratione seiunctim tamquam proprium, ac singularem cuiusque ministerij considerari posse, quatenus scilicet quisque proprio quodam labore, & animi contentione in munere sibi assignato occupatur, quod ab alijs diuersum est, qui alia munia obeunt, sicuti de pictore loquecutes, dicimus illius finem esse alterius imaginē repræsentare, & militis pugnare, & agricolæ agrum colere, & præceptoris studiosos docere. C

Si ergo finis hoc modo sumatur, cum quæritur quis sit Cardinalis finis, quatenus Consiliarius est, diligenter perpendere oportet (ne quisquam ambiguitate decipiatur) officium Cardinalis, & finem Cardinalis distingui maxime inter se, cum officium ad media pertineat,[c] quibus finem assequimur, finis vero in operis absolutione consistat: sicuti igitur agricolæ officium est terram colere; finis vero, fruges percipere; & Medici officium est congrua ratione morbo mederi, finis vero ægrotum sanare; sic dicunt multi officiū Cardinalis esse, recte consulere, omni fide, & synceritate; finem vero esse id, quod sentit, Principi, & alijs Senatoribus persuadere; & propterea satis Cardinalem officio suo facere, cum congruenter loquitur, quāuis finē, qui est vtilia persuadere, non adipiscatur, cum finis assecutio non sit in hominis potestate, quemadmodum & de Oratore dicitur, cuius est officium apte tantum dicere ad persuadendum. D

c Cicer. de inuent lib. 1. in princ.

Hinc colligunt, Cardinalem, qui consulendi officium fideliter exercere tenetur, debere simul & finem illius quacumq; possit ratione curare, quemadmodum Medicus licet sanitatem pręstare non

tenea-

A teneatur, cum in ejus non sit facultate, tenetur tamen rationes omnes illas excogitare, & adhibere, quibus sanitas tutius, & felicius possit subsequi. Pariter ergo & Cardinalis nihil debebit prætermittere, quominus id, quod ipse honestum, & bono publico salutare putat, id tum Principi, tum alijs Senatoribus persuadere, atque in eorum animis omnino defigere moliatur.

Nos tamen finem Cardinalis, quatenus Consiliarius est, illum proprium esse potius arbitraremur, vt boni publici vtilitatem, & Christiani nominis incrementum promoueat. In hoc enim versari, in hoc elaborare, in hoc industriam suam exercere, atque huc B consilia sua dirigere debet, vt totius Ecclesiæ bonum augeatur, idq. bonum a summo Pontifice per eius consilium non solum dignoscatur, sed etiam ad effectum, salutaremq. exitum perducatur.

Et licet finis operis regulariter possit esse diuersus a fine operantis,[a] sicuti ædificationes finis est domus, & ædificatoris finis quandoque est lucrũ: & picturæ finis est repræsentare imaginẽ alterius, pictoris vero finis poterit esse quæstus. Attamen in Cardinali Consiliario secus est, qui cum teneatur recta, & recte cõsulere, debet etiã vtrumque finem & operis & operantis ita coniungere, vt publicam vtilitatem in consulendo respiciat, & Deo placere studeat, C nihilq. moliri audeat, quod illius præceptis repugnare videatur, sperans simul per has sanctas cogitationes suas, per hac salubria consilia, per hanc piam solicitudinem, assiduosq. labores, fore vt cælesti Deo placeat, atque æternam illius gratiam valeat adipisci.

[a] S. Tho. 2a 2æ q. 14. artic. 6. ad 1.

D

TERTIVM MEMBRVM. A

Ad consulendum, auctoritate maxime opus esse, & ad eam comparandam, atque exercendam permulta requiri.

SEQVITVR post finem explicatũ, vt videamus, B
quid primũ ad recte consulendũ sit Consiliario enitendum, quæve ad extruendum operis huius ædificiũ fundamenta sint iacienda; Ad quod respondemus, ex Philosophorũ, aliorumq. grauissimorũ virorũ sententia, consilij explicandi vim, non tã in argumentorũ pondere, sermonis industria, pronunciandi ratione, aliove corporis motu, & gestu consistere, quam a dicentis auctoritate pendere: ideoq. in hoc præcipue elaborandũ, vt qui alijs dicendo vult fidẽ facere, ea apud illos sit existimatione, vt illi pauca etiã pronuncianti multa facile credant: nã, vt Aristoteles docet, vir- C
tus, & mores maxime faciunt ad persuadendum.[a] Et Cicero, Scauri orationẽ sapientis hominis cõmendans, ait: *Grauitas summa, & naturalis quædã inerat auctoritas, vt nõ causam, sed vt testimoniũ dicere putares quod ad Senatoriã sententiã aptũ maxime videbatur.*[b] Hinc legimus,[c] cum quidam apud Lacedæmonios vitæ suspicione laborans consilium satis vtile, atque honestum dedisset, surrexisse alium tamquam disciplinæ publicæ magistrum, qui eandem sententiam ab alio probati nominis pronunciari mandauit, quæ statim a ceteris recepta fuit. Et rursus, cum quidam homo intemperans sententiam commodam dixisset, eam populus reiecit, Ephori autem eam alteri seni probato dicendam dederunt, tamquam D
ex sordido vase in syncerum eam diffundentes, *Tantum*, inquit Plutarchus, *momenti habet in Republica persuasio de ingenio hominis concepta.*[d] Et sanctus Ambrosius in accipiẽdis cõsilijs plurimũ valere inquit vitæ probitatem, & virtutum prærogatiuã, *Quis enim*, inquit, *in cœno fontẽ requirat? quis de turbida aqua potũ petat? quis vtilẽ iudicet causæ, alienæ, quẽ videt inutilẽ vitæ suæ?*[e] *quomodo enim eũ potes imitari consilio superiorẽ, quẽ videas inferiorẽ moribus?*[f] Itaque Regibus quoque ipsis, qui potentia præcellunt, magnam

a Arist. lib. 1. Rhetor. c. 2. & lib. 2. c. 1.

b Cic. de clar. orat.

c Aul Gell. lib. 18. c. 3.

d Plutarch in lib. precept. Reipubl gerend.

e S. Ambros. lib. 2. de offic. c. 12.

f Idem S. Ambros c. 8.

A apud alios ex illorum virtutis, & ſapientiæ opinione accedere, plane conſtat: cuncti enim, vt Oſorius eleganter ſcribit, [a] libenter ſe ad nutum, & imperium illius applicant, quem exiſtimant acute perſpicere quid illis ipſis, qui eius conſilio, & voluntati parent, vtile futurum ſit: vt enim ægroti ſapienti medico, vt vectores ſapienti nauclero, vt milites ſapienti Imperatori; ſic omnes ſubditi ſapienti Regi obediunt: & quidquid ille præſcripſerit, diligenter exequuntur.

[a] Oſor. lib. 6. de Reg. inſtit

QVOCIRCA quamuis nos de Cardinalibus Conſiliarijs loquamur, qui, cũ meritorum laude, ac virtutum opinione publice vi-
B gere cenſeantur, non videntur alia auctoritatis acceſſione indigere: Attamen, quia inter Cardinales quoque varij pro ſingulorũ ætate, rerum vſu, ſcientia, munerumq. adminiſtratione, gradus exiſtimationis haberi ſolent, noluimus prætermittere illum, qui ex animo publice prodeſſe, & alios in ſuam ſententiam trahere exoptat, in eo in primis laborare debere, vt præclaro vitæ ſuæ exemplo, Chriſtianarumq. virtutum choro, eiuſmodi in aliorum mentibus probitatis ſuæ fundamenta iacta tueatur, quæ ſermonem præueniant, & fidem ſibi, antequàm loquatur, iuſte comparare incipiant.

NEC vero ſatis eſt Cardinali Conſiliario hæc ſola probitatis, at-
C que innocentiæ apud alios exiſtimatio, quàm Gentiles quidã auctores ad bene perſuadendum ſufficere dixerunt, [b] ſed opus eſt, cum talem prorſus re ipſa exiſtere, videlicet bonum ac iuſtum. [c]

[b] Ariſt. Rhet. lib 1 c 2.

QVOD ſi præterea quæratur, quibus nam præcipue rationibus hæc veræ, ſolidæq. exiſtimationis auctoritas poſſit comparari; Reſpondebit fortaſſe quiſpiam quod modo attigimus, id ſcilicet religione, vitæ anteactæ puritate, integritate, conſtantiaq. acquiri. Hoc autẽ plane non negamus: verum dicimus, hoc ipſum non proprium, ac ſingulare Cardinalium præſidium in conſulendo futurũ eſſe, cũ ceteris quoque omnibus, qui dicendo aliquid obtinere cupiunt, id
D commune eſſe agnoſcamus: Nam & concionatores, publici profeſſores, aduocati, patresfamilias, parochi, magiſtratus, rei ad iudicium delati, omnesq. gratiam a Præfectis impetrare, aut pœnam auertere cupientes, hoc maxime morum & probitatis pondere, ſi ſapiunt, ſeip ſos munire, & cauſam ſuam adiuuare ſolent; ita vt hoc auctoritatis-præſidium omnibus, qui publice, vel priuatim dicturi ſunt, ad fidem faciendam, maxime opem afferre non ſit dubitandum.

[c] S. Chryſoſt. hom. 40. in S. Matth Quintil. lib 12 c. 1. Aegid. lib. 3. de R g princ. c 18 & lib. 1. cap. 5.

QVARE præter hoc, quod omnibus aliquid flagitantibus, aut procurantibus quodam modo commune eſſe ſolet, afferendum ali-

quid aliud videtur, vnde ipsi Cardinales magis excitari ad industriam suam exercendam debeant, vt hoc Consiliarij munus eo fructuosius,& felicius possint obire. A

Illud autem est, vt ante omnia bonum illud, quod alijs volunt persuadere, id sibi primum in animo defigant: nam cum Christiana disciplina nos non aliorum more loqui permittat,qui tamquam histriones terrent alios dicendo,sed ipsi nihil timent,dolere suadent alijs,& ridet intus eorum conscientia: commmendant reformationē morum,& ipsi nihil minus cupiunt; immo cum eadem disciplina, vt ait sanctus Chrysostomus, [a] præcipiat,nihil quemquam ab eo diuersum loqui quod intus sentit: & si suadet alijs, ipse iam sit persuasus, & omne quod loquitur, interius didicisse,gustasse, & experimento probasse debeat: propterea Cardinales,quo sublimiore in gradu sunt positi, eo magis hoc ipsum præstare oportet, vt cum ad id, quod bonum est,& Ecclesiæ catholicæ vtile suadendum accedunt, ipsi eiusdem boni amore sint inflāmati. Ad quod præstandum habent illi peculiaria multa adiumenta, quæ alijs non æque suppetunt,ideoq. eo arctius obstringuntur. Nam præterea, quæ a sanctis Patribus,alijsq. eruditis viris literis mandata fuerunt,quibus Cardinalis ingenium, ac spiritus alacritas plurimum ad id, quod agimus,potest accendi.[b] Sunt quædam alia proprpria,atque adeo coniuncta eidem Cardinali,vt cum hæc quotidie ante oculos illius versentur, illam aliunde admoneri vix necessarium esse arbitremur: sicuti enim,qui copiosum domi thesaurum habet, frustra foris diuitias quærit:sic purpura, qua Cardinalis induitur,sacer, pileus, galerus,totusq. Cardinalitius amictus,nil aliud est quàm assiduus muneris illius, rerumq. gerendarum monitor, & interpellator: quemadmodum enim Deus cum mandata populo dedisset, voluit prætterea ea varijs signis in ipsis etiam vestimentorum fimbrijs repræsentari,ne mandatorum obliuioni excusatio vlla relinqueretur, dicens: *Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulus palliorū, ponentes in eis vitas hyacinthinas, quas cū viderint, recordētur omniū mandatorū Domini:* [c] Sic Cardinalitius habitus sanguineū referens colorē,omniaq.eius insignia,nil aliud,quàm veluti symbola quædā,debitā ab eo fidem,religionem,iustitiam,publicæq. rei zelum,vsque ad ipsam sanguinis effusionem cōmemorant.

[a] *S. Chrysost. in hom. 43. in Matth.*

B

[b] *Petrus Damian. in serm. de dignit Roman. Eccles. S Bernard. de consider lib.4. August Valer. Card. Veron. in lib. Cardinalis. et Papiē in varijs epist.*

C

D

[c] *Num. 15. & Deut. 22.*

Post hæc nominis huius Cardinalis appellatio,quo ille se insignitum agnoscit, ac sacrosancta ordinis eiusdē institutio, cui se adscriptum videt, debet illum sine dubio singulis in horas acerrime stimulare, nō dico ad singularem tantum morum excellentiam

A ſentiam, ac perennem innocentis vitæ diſciplinam, ſed etiam præcipue ad hoc ipſum, quod publice profitetur conſulendi munus fideliſſime, ac rectiſſime exercendum. Si enim Dux ille, cum recordabatur ſe Lacedæmonem eſſe, mirifice ſtatim ad dimicandum, & pericula omnia quantumuis grauia ſubeunda vehementer incitari ſolebat: quonam modo ille, qui ſe S. R. E. Cardinalem eſſe videt, cōtinere ſe poteſt, quin ad ea, quæ ſunt præcipua gradus huius tam excelſi munia, totus exardeſcat? Nullum ſane poſt hominum memoriam collegium cuiuſuis ordinis quocumque in loco, aut quouis tempore vmquam in vniuerſo terrarum orbe extitiſſe legimus, quod
B adeo paucis conſtans Collegis, tam multos ſanctitate, miraculis, multiplici ſcientia, animi magnitudine vitæ integritate, rerumq. gerendarum gloria protulerit; quales in ſacro Cardinalium cœtu floruiſſe, auctorum monumenta teſtantur. Nam ex quo tempore ius deligendi ſummum Pontificem ad ſolum Cardinalium ordinem fuit delatum, vſque ad Sixti IIII. aut circiter ætatem; ipſorum Cardinalium Collegium ſingulis ætatibus vix triginta numerum attigiſſe comperiemus;[a] & tamen incredibile dictu eſt, ex tam modico ſemine multiplices adeo, ac proceras, generoſasq. & fructibus fœcundas arbores exilijſſe, quæ omnes Gentes, & Nationes virtutum
C ſuarum fructu repleuerint. Quot enim ex Cardinalium ordine miraculis illuſtres? quot in Sanctorum numerum relati? quod ſcientiarum omniū genere clariſſimi? quot virginitatis laurea inſignes? quot ſacrarum religionum inſtitutores? quod uitæ exemplo, cultus auſteritate, ſæculi contemptu, Eccleſiaſticæq. diſciplinæ zelo admirabiles? quot rerum pro Dei gloria geſtarum bello, paceq. magnitudine, non ſolum eximij, ſed hoſtibus etiam tremendi? quot Regijs virtutibus adeo præcellentes, vt publica ſic vtilitate expoſcēte, a ſacro Galero ad ampliſſimas populorū adminiſtrationes immortali eorum cum gloria fuerint vocati?[b] Nec ex Italia ſolum, ſed ex
D Gallia, Germania, Hiſpania, Luſitania, Sarmatia, Aphrica, Græcia, Scythia, India, atque vniuerſis terrarum angulis adeo frequenter hi prodiere, ut eorum memoria, cum apud permultos auctores[c] ſit valde celebris, ſuperuacaneum ſit, eam a nobis repeti, præſertim cum illam nuper uir doctrina, & Chriſtiana pietate præſtans ſuis Commentarijs teſtatam reliquerit.[d]

Nec vero quiſquam nobis objiciat, prioribus forte ſæculis aliquos in eodem Cardinalitio cœtu extitiſſe, qui non æqualem ſuperioribus exemplis vitam egerint, atque a uirtutum ſplendore interdum degenerarint; Nos enim non omnes Angelicam fuiſſe perfectionem

a Onufr. Panuin. de Epiſc. tit & Diacon. Card. fol. 60.

b Prout fuit Henric. Card. ad Regnū Luſit anno 1578. & Ferdinand. Medices ad magnum Hetruriæ Ducatū anno 1587. qui adhuc ſuperſtes & florentiſſimus uiuit.

c Pau. Corteſ. de Card lib. 1. c vlt. Hieron. Garimber. Epiſc. Galeſ de fact memorabil. Pontif & Card. Onufr. Panuin de Cardin. P Alphōſ. Ciacōn. de Pōtif et Card. & cōplures in lib. Hiſt. General. S. Dominici par 1. lib 3. c 39 et in lib de orig. Relig. S. Franc. fol 77.

d Tho. Bozz. de ſign. Eccle. to. 1 lib. 6 c. 8. & lib. 9 ſ. 5 & lib. 11. c. 6.

ctionem adeptos profitemur, sed donec viatores fuerunt, quis miretur potuisse aliquos humanæ imbecillitatis miserias experiri? varijs siquidem sacrarum litterarum exemplis docemur, etiam eos, qui a Deo ipso electi fuerunt, vt alijs præessent, miserabiliter aliquando lapsos fuisse: sic enim Sauli,[a] sic Salomoni accidisse videmus:[b] sic Nicolaum legimus[c] inter septem Diaconos Spiritu sancto plenos a fide postea defecisse: sic in Apostolico ipso Senatu (tremendo quidem omnibus exemplo, sed summa Dei prouidentia) Iudæ contigisse nouimus, vt omnes perpetuò timere, sibiq. ipsis diffidere discát; Nam, vt sancti Ambrosius, & Gregorius affirmant, Permittit quandoque Deus, eos, qui sapientiores, aut sanctiores vidētur, misere prolabi, vt cęteri humiliores, & cautiores reddantur, siue vt aliorū imbecillitatis misereri discant;[d] siue vt maiori spiritu ac feruore ad pęnitentiam resipiscant, quod in Petro Apostolorum Principe, Christiq. ipsius Vicario declaratum fuisse constat. Quare si & in posterum etiā permitteret Deus, aliquos ex Senatorio nostro ordine infirmitatis humanę labe quapiam præ cęteris interdum vexari, sapientięq. normam prætergredi, non est, cur quisquam Collegij dignitatem in discrimen adduci, aut ex aliquorum licentia, atque erratis, reliquorum decus, ac splendorem vlla ex parte obscurari putet. B

a 1 Reg. 11. 22-31.
b 3. Reg. 11.
c Act. 6. & Apocal 2.
d S. Ambros serm 47 de fide Petr.. S. Gregor. homil. 21. in Euang. & S Aug lib. 3. de doctr. Christiana cap 22. cap cōsiderandum, & ca. fidelior. 50 dist. S. August. de Agone Christian. c. 30.

VT igitur ad propositum reuertamur, quicumque se huius Senatorij ordinis membrum, & collegam intuetur, non indiget extrinsecus alijs rationibus, seu argumentis, quibus ad recte consulendū, & Christianæ Reipublicæ bonum adiuuandum erudiatur. Habet si quidem ante oculos innumera fratrum suorum exempla, in quorum vestigijs idem insistens, facile ei erit ad eandem cum illis gloriæ laudem peruenire. C

VERVMTAMEN vt ad rem propius accedamus, si quis quærat quodnam præcipuum, potissimumq. sit caput, huius auctoritatis a Consiliario exercendæ; Respondemus, primarium huius (vt ita dicamus) consultorij ædificij lapidem, illum omnino esse, vt Cardinalis certo sciat, sibiq. plane persuadeat, amplissimum hunc dignitatis gradum, non sine diuino instinctu, atque afflatu in sancta eius Ecclesia institutum fuisse, ad summum Pontificem, ac Christianam Rempublicam adiuuandam. Nam sicut in corpore humano membra omnia miro ordine ab æterna Sapientia fuerunt distributa, & sua oculis, manibus, auribus, ac reliquis omnibus peculiaris functio assignata, vt singula corporis incolumitati inseruirent: sic Christus Dominus in mystico Ecclesiæ suæ corpore varios status, atque officia pro temporum ratione constituit: alios enim Prophetas, alios D

Aposto-

A Apostolos, alios Euangelistas, tum alios Cardinales, alios Episcopos, alios Parochos esse voluit, exigens a singulis vt propria munia ad sanctæ Ecclesiæ, cuius caput est summus Pontifex, vtilitatem, ac dignitatem exerceant.

QVAPROPTER, cum Cardinalitius gradus inter cætera eius officia, cōsilij potissimum causa fuerit institutus, vt summus Romanus Pontifex in administratione vniuersalis Ecclesiæ, illius fide, prudentia, ac sedulitate adiuuetur, duo hinc sequuntur, quæ Cardinalis in mente sua defixa perpetuo tenere debet. Primum est, hunc ipsum honoris gradum, quo se ornatum intuetur, nullis suis meritis, seu B nobilitati, aut humanis suffragijs esse adscribendum, sed vni Deo acceptum ferendum, atque adeo ad diuini potissimum nominis gloriã esse transigendum. Nam sicuti fructus agri, & vineæ non cultori, aut villico, sed illius Domino debetur: sic dignitatis huius commoda, & priuilegia ad eius præcipue institutorem, & patronum esse deferenda, iustitiæ ratio suadet.

ALTERVM est, vt postquam ad boni publici, & Christianæ religionis incrementum, fuit Consiliarius institutus, proindeq. hoc munus suscipiendo, ad id potissimum se ipsum obstrinxit, ideo in hoc ipso omnem suam industriam, & solicitudinem in primis adC hibendam putet. Nam quemadmodum is, qui militem a nobilitate, a diuitijs, a doctrina, moribusve commendaret, virtutem uero bellicam, & fortitudinem, quæ in milite præcipue spectanda est, prætermitteret, ridiculum se præberet: sic Cardinalium munus cum in dandis recte & fideliter consiliis in primis versetur, persuadere sibi omnino vnusquisque debet, quamcumque laudē, quæ sibi aliunde, aut a prudentia, aut ab eruditione, aut a generis splendore, aut a vitæ integritate, aut ob magnarum rerum vsum tribui posset, valde minui, & obscurari, si hac vna careat recte consulendi sapientia, atD que optimorum morum, quam profitetur ingenuitate.

QVINIMMO sicut in olympicis ludis non pulchrior, non ornatior, non sapientior, non nobilior, præmium ferebat, sed qui acrius pugnabat, quoniam ad certandum non ad alia declaranda athletæ erant conuocati: sic cum in Christiana militia peculiarem Cardinali locum, & munus, in quo se exerceat, Deus assignauerit, verendum est quo tempore villicationis suæ ratio ei erit reddenda, ne succumbat, si hoc consulendi officium cumulate non expleuisse inuentus fuerit, & tamquam inutilis operarius, qui talentum sibi creditum absconderit, a facie Domini sui (quod absit) reijciatur.

His

His ita positis, & tamquam radicibus in Consiliarij animo alte defixis, quamuis certum sit, ad reliqua, quæ ad dandum consilium spectant, cumulate præstanda, satis inde aditum patefieri; tamen, ut eo plenius si quando necesse esset, hinc Consiliarius ea haurire possit, quæ nos præcipuè obseruanda in consilio recte dando esse ducimus, placuit nunc Sanctorum Patrum uestigia sequentes, nonnulla adiungere, quibus optima Cardinalis voluntas, ac studium bene de Christiana Republica merendi, ac Deo seruiendi, nō mediocriter dirigi possit, & adiuuari. A

QVARTVM MEMBRVM. B

Tria Cardinali ad recta, recteque consulendum, esse necessaria: Rerum peritiam: Beneuolentiam: Loquendi libertatem.

INTER multa, quæ a varijs auctoribus de consilio ferendo scripta esse cognouimus, cum quędam ad ea pertineant, quæ sub consilio non cadunt,[a] quædam ad ea, quæ in consilio fugienda sunt, & quædam ad alia quæ, in rebus consultandis opportuna uideantur.[b] Nos ea quærentes, quæ consilij vim rectamq. eius moderationem, maxime adiuuare possunt, ac breuitati seruientes, ex præclaris multorum sententijs, eam potissimum, quæ a S. Gregorio Nazianzeno prodita est, excerpsimus, qui tria recenset, quæ bonum Consiliarium reddunt: his enim paucis, si accurate eorum vis expendatur, integra, ac perfecta Consiliarij functio continetur. C

a Arist. 3. Ethic. cap. 3 & lib. 6 c. 9.

b Greg. Nyss. siue Nemesius lib. 5. de Homine c. 5. Damascen. lib. 2. de orthod fid. c. 22. S. Greg. lib. 2. Moral. c. 36. S. Tho. 1. 2 q. 14. per tot et 2. 2. q 51. & seq. Aegid de Regim. Princip lib 3. c. 17. & seq.

ILLE igitur in carminibus, quæ inscribuntur, περὶ ἀρετῆς siue περὶ ταπεινοφροσύνης, σωφροσύνης καὶ ἐγκρατείας, sermonem ad hunc modum instituit: D

Τριῶν γὰρ ὄντων, ὡς λέγουσιν οἱ πάλαι,
 Οἷς τὸν ἀγαθὸν σύμβουλον ὁπλίσθαι χρεών.
 Ἐμπειρίας τε, φιλίας τε, καὶ παῤῥησίας
 Τούτων ἂν οὐδὲν ἡμῖν δεύροις ἐνδέον.
Ἐμπειρίας μὲν εἰς τοσοῦτον ἤλασα,
 Ὅσον περ εἰκὸς τοὺς πονήσαντας μακρὰ
 Χρόνῳ τε προσλαλήσαντας σοφῶν βίβλοις

θυρ-

A Θεοπνεύστων δογμάτων λόγοις πηγὴ
Γλυκεῖα σώφροσί τ' ἀρυσίμω.
Ὧν καὶ βάθος τὶ μικρὸν ἐξηντλήσαμεν.
Τοῦ δευτέρου δ' ὢν εἶπον εὐνοίας λέγω
Πίστις μεγίστη. ταῦτα γάρ σοι βούλομαι.
Ἃ πρόσθ' ἐμαυτῷ φίλτατε παρήνεγκα
Ἡνίκα λογισμοὶ κινδύνοις συνέδραμον
Πικρᾶς θαλάσσης. οἷς συνήφθην πρὸς θεόν.
B Φόβος γὰρ ἀρχὴ πολλάκις σωτηρίας:
Παῤῥησίας δὲ μὴ λάβοις πεῖραν ποτὲ
Μήτ' οὖν ἐμῆς μήτε τούτων σοὶ ξένων
Ἀλλ' οὐδὲ λήψῃ τοῖς ἐμοῖς πεισθεὶς λόγοις,
Ἔστι γὰρ αἴνων, οὐ ψόγων ἐπάξιος.

Quorum carminum hic in ſumma eſt ſenſus: Tria eſſe, quemadmodum veteres dicunt, quæ bonum Conſiliarium reddunt: Rerum peritiam: Beneuolentiam: & Libertatem loquendi.

C Horvm igitur ſingula perſequentes, vt eo clarius explicentur, illud in primis animaduertendum ducimus, hoc S. Nazianzeni tanquam axioma, cum multis ſapientum ſententijs, & pronunciatis, alijs de rebus prolatis, facile conuenire. Illi enim tradiderunt,[a] humanas actiones, vt a nobis feliciter perficiantur, tria requirere, quorum primum eſt, Scire, tum Velle, tum Posse, hincq. dicebat Baldus,[b] quod & alij Doctores ſæpe vſurpare ſolent, tria eſſe, quæ regunt omnem humanum actum, ſcientiam, voluntatem, & potentiam. Primum enim præcedit intellectus, qui res inueſtigando, earum cognitionem aſſequitur: Poſt ſurgit voluntas, quæ præcedente hoc lumine excitata, fertur amore, quaſi proprio pondere D in rem cognitam: Inde cum eam poſſidere concupiſcat, ſuccedit poteſtatis vis, quæ impedimenta ſubmouet, ita vt quod cognitum, ac dilectum eſt, prompte adipiſci homo valeat.

a Plat. in Gorgia poſt med. Ariſt lib. 5. Polit. c. 9.

b Baldus in l. multum. C ſi quis alter. uel ſib.

Hæc tria in Conſiliario exigi, S. Nazianzenus quāuis alio loquendi more vtens, oſtendit: Primumq. exorditur a rerum cognitione, duplicem illam ſcientiam complectens, quæ ſpeculatiua, & quæ practica dicitur, vt infra declarabitur. Secundo beneuolentiam, ſeu charitatem nominat, quæ ad voluntatem refertur bene faciendi, ac iuuandi cupidam. Tertium addit, libertatem loquendi, non quòd hæc proprie ſit potentia illa, quæ ſublatis impedimētis exequitur, quod

quod cupit, sed quia sicuti post conceptum salubriter fœtum, ac post uterum ferendi laborem, restat tantum, vt partus feliciter in lucem edatur, sic & Consiliarius post rem bene, matureq. examinatã, post accensam illius ad commoda publica voluntatem, nihil aliud reliquum habet, quàm vt omni trepidatione, aut periculi suspicione fugata, aperte, & fideliter animi sui sensum in publicum emittat: A

quod quidem per dicendi libertatem facile assequetur.

a Aristot. in Rhetor. lib. 2. cap. 1.

CONGRVVNT præterea eadem S. Nazianzeni verba cũ ijs, quæ alij sapientes tradiderunt, [a] dicentes, tria requiri in homine, ut fides illius verbis adhibeatur, quæ sunt prudentia, beneuolentia, & virtus: Prudentia, vt res bene intelligat, earumq. vsum, ac peritiam teneat: homines enim facile credunt ijs, qui res optime perspectas habent. Secundo, beneuolentia, quoniam illis etiam credi solet, qui nos diligunt, & nobis prodesse cupiunt. Tertio, virtus, quoniã ab ijs quoque facile persuademur, quos bonos esse, & nullatenus mentiri existimamus: quæ tria etiam hic a S. Nazianzeno commemorantur. Nam primo scientiæ mentionem facit, qua res dignoscuntur: tum beneuolentiæ, per quam alijs prodesse quæritur: demum libertatis loquendi, quæ id efficit maxime, vt inducantur homines nobis ad credendum, quippe, qui vbi vident virum aperte loquentem, & nihil prorsus abscondentem, aut simulantem, facile sibi persuadent illum, & uirtutem re ipsa colere, & eandem verbis extrinsecus profiteri. B C

RERVM PERITIA.

HIS igitur ita præmissis, nunc primum illud aggredimur, quod S. Nazianzenus a Consiliario exigit, nimirum cognitionem, seu peritiam earum rerũ, ad quas tractãdas est accessurus; & quamuis vtatur verbo, ἐμπειρίας, quod experientiam potius sonat, attamen in sequentibus carminibus, quæ supra attulimus, apparet, cum latius extẽdere hoc nomen, cum loquatur de eo, qui in sapientum libris, & orationibus, & diuinis dogmatibus versatus est, quod ad speculationem pertinet: & propterea nos, rerum peritiã diximus, quæ vtramque scientiæ partem, tam contemplando, quàm experiendo, complectitur. D

Inquit ergo hanc peritiam esse Consiliario necessariam: quoniam si quisque artifex instrumenta nosse debet, quibus est vsurus, & mercator irridendus esset, qui quale sit plumbum, quale aurum, quale vitrum, aut margarita non distingueret; sic frustra Consiliarij nomen sumit, qui in rebus gerendis hospes est, & peregrinus: vnde veteres dicebant, caput esse ad consilium de Republica dandum, nosse Rempublicam, [b] cum nemo de ijs rebus sapienter differere, aut alijs rectum dare consilium possit, quas non nouit, & tritum illud est, Sulpitio olim vitio datũ fuisse, quòd ius ciuile ignoraret, in quo versabatur.

b Cic. lib. 2. de orat.

A ſabatur. [a] Nã, vt ille ſcripſit, *Sicut ſi quis grammaticũ ſe profeſſus, barbare loqueretur: aut ſi abſurde caneret is, qui ſe haberi vellet muſicum, eo turpior eſſet, quo in eo ipſo peccaret, cuius ſcientiam profitetur:* ſic Cardinalis in dandi conſilij ratione peccans, hoc turpior erit, quòd in officio, cuius magiſter eſſe debet, labitur, artemq. Conſiliarij profeſſus, in conſulendo delinquit.

Atqve hoc quidem adeo neceſſarium eſſe nemo nõ videt, ut qui huius cognitionis expers eſt, alienum potius locum occupare cenſeatur, ita vt muneris huius minus recte, legitimeq. peracti rationem Deo reddere teneatur, cum ſinguli ea nota habere debeant, quæ ad eorum ſtatum, vel officium pertinent: vnde Apoſtolus Co-
B rinthios monebat; *Videte vocationem veſtram.* [b] alioquin peccant peccato, quod ex ignorantia oritur: quam Theologi vincibilem & craſſam appellant, quia ſcire quilibet tenetur, quod officij ſui eſt, & ſi neſcit, & exercet illud, [c] dicitur actum committere præſumptionis, ſeu vanæ gloriæ. [d] Quòd ſi quis quærat, qua ratione poſſit ſe Conſiliarius ad hæc cognoſcenda comparare, vt ſe idoneum muneri ſuo reddat; Reſpondemus primo, exemplum Salomonis imitandum, qui ad gubernationem populi acceſſurus, ante omnia a Deo opem ad exequendum officium ſuum poſtulauit, mirificeq. ideo illi placuit; [e] nam, vt ait S. Iacobus: *Omne datũ optimũ, & omne donũ per-*
C *fectũ deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum;* [f] Vnde Dauid tã ſæpe Deum rogabat, vt illi ſenſum aperiret, dicens; *Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectũ.* [g] Et: *Emitte lucẽ tuam, & veritatem tuam.* [h] Et illud: *Illumina oculos meos;* [i] Et Tobias: *Omni tempore benedic Deum, & petas ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant: ipſe enim dirigit conſilium hominis;* [k] Et Salomon ſæpe: *Dominus dat ſapientiã, & ex ore eius prudentia, & ſcientia;* [l] quam ſcientiã Deus largiri illis ſolet, qui mentẽ gerũt caſtã, & diuini nominis zelo accẽſam, non ſua quærẽtes, ſed quæ illius ſunt.

D Posthaec, quoniam hoc diuinum lumen non dormientib. ſed vigilantibus, & laborãtibus infundi ſolet: propterea nõ omittẽdum eſt, duplicem hanc eſſe rerum cognitionem, qua Conſiliarium prędictum eſſe oportet, alteram, quę ſpeculando, meditando, legẽdo, diſſerẽdo acquiritur, qua res in vniuerſum quoad eorum naturas, qđ aiunt in abſtracto, indicantur. Et hæc quo plenius, ſubtiliusq. inueſtigatur, eo purior, firmior, & diffuſa magis ſe nobis oſtẽdere ſolet: ille enim dicitur peritiam rerũ ſpeculando acquirere, qui eas penitus perſpectas habet, & præſertim nouit ad quẽ finẽ a Deo fuerint hęc, quæ conſpicimus, creata: ad quẽ vſum diuitiæ, honores, magiſtratus, potentia,

a l. 2 ff de origin. iur. Cic. 2. Tuſcul.
b 1. Cor. 1.
c S. Tho. 1. 2. q. 76. artic. 1. & 2.
d S. Tho 2. 2. q. 130. & q. 132. & Nauar. in c inter verba, nu. 18. 11 q. 3.
e 3 Reg. 3.
f Iacob 1.
g Pſalm 73. & 125.
h Pſal 42.
i Pſal. 12.
k Tob. 4.
l Prouer. 2.

potentia, filij, familiæ, studiaq., ac alia huiusmodi instituta: siquidē A
Gentiles, ac Philosophi, & si multa nouerint, non tamen perfectè, & integre illorum notitiam sunt adepti, quia finem, ad quem præcipue ea essent condita, prorsus ignorabant: sicut si quis ingrediens officinam multis eam, ac præclaris instrumētis refertam videret, sed quorsum illa fabrefacta essent, nesciret non sane inde erudiretur, sed illius potius mens confunderetur. Altera deinde est cognitio, quæ singulares rerum circumstantias, & contingentia varia in humanis actionibus considerat quæ, πρακτικὴ, quòd ipso perficitur actu, appellatur: & hæc reb. administrandis, populorumq. gubernationi maxime prodesse solet. Vtramque igitur necessariā esse minime est dubitandum. B & vt ad particularia quædā descendamus, quæ magis vtilia esse solent: cum Cardinalis non solum sit Consiliarius Pontificis Maximi, quatenus Pontifex est, verumetiam quatenus est Princeps, ideo duo erūt præcipue rerum genera, in quibus ipse defigere studiū suum debebit: Aliæ, quæ pertinent ad dandum cōsilium, vt summo Pontifici; aliæ ad dandum consilium, vt principi. In primo enim genere, lectionem sacrarum Scripturarum, Constitutiones summorum Pontificum, sacrosancta Consilia, Patrum decreta, vitas Sanctorum, Ecclesiasticā historiam, Libros de Ritibus sacris: iuris Pōtificij monumenta: Exempla clarorum virorum, aliaq. huiusmodi C multa nota habere non prætermittet: In alio, ea, quæ spectant ad Ditionem ipsius Pontificis, & præsertim quinque illa capita rerum ab auctoribus commemorata, [a] quibus, vt plurimum, consultationes publicæ contineri solent; de bello, & pace: de vectigalibus: de annona: de legibus: de præsidio militum, & de alijs huiusmodi, vnde Reipublicæ vtilitas paratur, & augetur, quibusq. Consiliarij Regum instructi esse solent, diligenter scrutari, atque euoluere studebit, ac potiora quædam in proprios commentarios referre, vt tamquam pretiosam supellectilem ad manum paratam habeat, quam, cum vsus uenerit, statim depromere queat. Quin Aulicos nō D nullos selectiores viros, omni doctrinę genere ornatos, rerumq. vsu peritiores, interdum in familiaribus colloquijs secum adhibere curabit; unde multa ad rem pertinentia, nec litteris mandata, plenius poterit haurire. In summaq. id secum statutum habeat Cardinalis, adeo sibi multiplicem, hanc rerum cognitionem esse necessariā, ut ideo a Doctoribus dicantur Cardinales in sacro Cōsistorio locū cælestium Cherubim obtinere, quod nomen [c] exponitur scientiæ plenitudo, seu multitudo, [b] quia scire illi debent omnia, quæ ad optimā Ecclesiæ militantis gubernationē, cuius ipsi sunt cardines, pertinēt. [c]

[a] Arist. 1. Rhetor. c. 4.

[b] S. Hierony. epist. 103. ad Paulin

[c] Cassan Catal glor. mūd. in 4 par in 1. conside. versi. quidam sunt.

SECVN-

A SECVNDVM, QVOD S. NAZIANZENO requiritur, cũ ad voluntatis affectionem pertineat, antequam de eo loquamur, illud prænotandum censuimus, Græce hanc appellari ab eo φιλίαν, quæ accipi solet pro amicitia, deinde cum idem sanctus hoc verbum latius explicat in carminibus sequentibus, appellat εὐνοίας, quod est beneuolentia, dicens, τοῦ δ' αὖτε πρῶτου δ' ἂν εἶπον εὐνοίας, λέγω, πίστις μάλιστα: interpres vero Iacobus Bilius vir valde eruditus, vertit charitatem, ac bis idem verbum repetit, ductus forte ex verbis sequentibus eiusdem Sãcti, qui loquens de hoc amore per varia pericula, ait: οἷς συνέτρεφον πρὸς θεόν· φίλος γὰρ ἀρχὴ πολλάκις σωτηρίας. hoc enim proprie conuenire vide
B tur charitati, quæ nos iungit Deo. Quapropter, cum hæc tria verba, Amicitia, Beneuolentia, Charitas, si strictim accipiantur, partim aliquid inter se cõmune habeant, partim inter se differant; [a] Nos hoc loco ad mentem potius sancti respicientes, simulq. horum verborũ vim coniungentes, sumimus hunc ipsum mentis affectum pro volũtatis studio cum virtute coniunctæ, illos non solum externis bonis, sed etiam spiritualibus iuuandi, quibus consilia dantur: quæ quidem affectio magnam secum preclarissimarum rerum cohortem ducit.

BENEVOLENTIA.

[a] S.Tho 2.2. q.23.art.3.& q.27.art.2.

IN primis enim ea oĩa excludit, quæ puro, synceroq. amori aduersantur, ne scilicet aliquis vmquam quidquam Reipublicæ noxiũ,
C aut quod dedecus afferre possit, siue quod minus honestum, aut iustũ aliqua spe gratiæ, aut ambitionis adductus, siue periculi metu deterritus, vel quocumq. proprij amoris velo ob cæcatus, consulere audeat: vnde olim apud Athenienses quoties aduocabatur concio, legimus, præconem maxima voce, horrendisq. verbis dirum exitium illi, atque eius posteritati imprecari solitum, qui malum, perfidumq. consilium Reipublicæ dedisset. Et quamuis hoc nequitiæ genus a sacrosancto Consistorio nostro omnino exulet, quia tamen certus esse nemo potest, futuris quoque temporibus illud ab omni prorsus horũ
D malorum periculo immune extiturũ, ideo memorandum duximus, Cardinalis partes esse, cum ad sententiam dicendam accessurus est, hoc sibi primum in animo statuere, Deumq. vehementer orare, ne sibi quidquam excidat, quod publicæ causæ nocere possit.

DEINDE vero excitatur ex hoc studioso voluntatis affectu, strenua quædam alia in illius corde cogitatio, quantas scilicet Deo gratias habere debeat, qui talem ei statum, & vocationem largitus fuerit, qua tantum possit, & publico commodo, & sibi ipsi proficere, ideoq. præsentem occasionem tamquam diuinitus ad cælestem gratiam promerendã oblata, summo animi ardore amplectendã statuet.

PRAETEREA summã hinc etiã sibi apud alios existimatio-

nem, ac mutuam beneuolentiam accessuram prospiciet, qui videntes commune bonum, publicaeq. rei vtilitatem, tum veritatis puritatem, religionis sanctitatem, fidei, pietatis, ac conscientiae laudem sibi prae alijs omnibus rebus potiorem esse, seq. honestatis, & dignitatis studiũ cuicumque politicae prudentiae, iniustaeve vtilitatis studio anteferre, facile illius exemplo ad virtutem poterunt excitari, atque ad Christianae Reipublicae propagationem eò vehementius accendi. A

SED qui praecipuus beneuolentiae huius fructus in consulendo dignoscetur, ille proculdubio erit, si animi sui studium eò intendat, vt eius consilia Deo placeant, & quidquid ille dicendo, hortando, suadẽdove locuturus est, id cum sancto Dei beneplacito, quod charitatis proprium est, conueniat. Sic enim cumulatus illius cogitationi se fructus exhibebit, vbi consilio suo non solum diuini nominis gloriae, ac sanctae Ecclesiae dignitati, sed propriae etiam salutis commodo, atque aeternae suae felicitati prospici posse sentiet. B

QVORSVM enim tot incommodis & periculis se exponere? quorsum Consistorij subsellia terrere? quorsum die ac nocte laborare? quorsum omnes cogitationis, industriae suae neruos, dicendo, monendo, clamandoq. consumere? nisi altius haec ascendant, ut aeterno Patri, qui omnia intuetur, accepta sint, ab eodemq. caelestem illius gratiam consequantur? Dicebat Auctor, quamuis Gentilis, & verę lucis expers, cum de contemplatione rerum, quae supra nos sunt, loqueretur: *Nisi ad haec admitterer, non fuerat operępretiũ nasci, quid.n. erat, cur in numero viuentium me positum esse gauderẽ? an vt cibos, & potiones percolarem? vt hoc corpus casurũ, ac fluidum, periturumq. nisi subinde impleatur farcirẽ, & viuerẽ aegri minister, ut mortem timerem, cui omnes nascimur? Detrahe hoc inaestimabile bonum, non est vita tanti, vt sudem, & aestuem. O quàm cõtempta res est homo, nisi supra humana se erexerit.* [a] C

a Senec. lib. 1. Natural. quaestion. c. 1.

MVLTO ergo magis hęc Christiana beneuolentia, seu potius charitas, Consiliarij pectus accendere debebit, ut non ea tantũ, quę ante oculos versantur, & ad publicam dignitatem attinẽt, auide amplectatur, sed etiam in atria Dei altissimi penetret, indeq. copiosum gratiae suę imbrem, ad omnes cogitationes, sermones, actionesq. suas irrigandas, feliciter hauriat? Ob id enim Theologi hanc Dei dilectionem, seu charitatem, non solum finem praeceptorum, [b] sed & aliarum omnium virtutum formam esse dixerunt, [c] eo quòd sine illa, virtutes omnes valde imperfectę, & inanes, ac *tãquam aes sonãs, & cymbalum tinniens*, vt ait Apostolus, [d] cẽseantur. Quapropter. cũ illius vis, ac praestãtia in omnibus humanis actionib. exigatur, ut D

b 1. Timot. 1.
c S Tho. 2. 2. q. 65 art. 2.
d 1. Cor. 13.

A ſcilicet Deo placeant, hominemq. Deo gratum reddant, non opus eſt pluribus laborare, vt oſtendamus Conſiliarium quoque, huc primum uerborum, ac ſuffragiorum ſuorum uela dirigere debere, ut quę ab eo ſunt alijs perſuadenda, in Dei gloriam, Eccleſiæ catholicæ incrementum, propriæq. animæ ſalutem cedant. Quod quidem aſſequi diuina gratia adiuuante non eſt difficile, cum ea ſit vis beneuolentiæ, & dilectionis, ut hominem uertat in rem dilectam, iuxta præclarum illud ſancti Auguſtini elogium, cum dixit: *Terram diligis, terra eris: Deum diligis, quid dicā? Deus eris. Non audeo dicere ex me; Scripturā audiamus.*[a] *Ego dixi, Dij eſtis, & filij Altiſſimi oēs.*[b] a *S. Auguſt. in epiſt. S. Ioan. tract. 2. in fi.* b *Pſal 81.*

B NUNC AD TERTIUM a S. Nazianzeno requiſitū accedamus, quod eſt de loquēdi libertate, de qua cōplura iam a nobis aliàs dicta fuerunt.[c] Verū ea eſt huius uirtutis amplitudo, atque in conſilijs dandis neceſsitas, ut uix umquam ſatis de ea dici poſſit. Quid enim prodeſt Conſiliario, rerum cognitione, illarumq. uſu excellere, tum ſalutaria ſtudia, accenſumq. bene operandi affectum intus enutrire, ſi, cum tempus illius depromendi aduenit, animi alacritas deficit, & trepidatio, aut ſuſpicio, ſeu aliud quoduis obſiſtit impedimentum, quo minus aperte, ſynceręq. id profiteatur, quod mente iam cōceperat? ſicut enim ſi nauis, ex littore ſoluens, ſecundiſq. uen
LIBERTAS LOQVENDI.
c *In quaeſt. 38*

C tis ſcopulos, & uada tranſiliens, tandem in conſpectu portus euertitur, merceſq. fluctibus abſorbentur fruſtra nautæ laborarunt, inutiliterq. tempus inſumpſerunt: & ſicuti mulier, quæ fœtum initio concepit, & uſque ad legitimum pariendi tempus in utero incolumem educauit, ſi eadem, cum tempus pariendi aduenit, aut nullum, aut non integrum partum, ſed abortiuum eiecit, digna eſt potius, cuius calamitatis alij miſereantur, quàm ut illi quiſquam gratuletur: ſic ſane Conſiliarius, qui dicendi libertatem tamquam neceſſarium muneris ſui exercendi inſtrumentū, opportune, cum tempus inſtat, non protulerit, omnem ſuam operam uidetur perdidiſſe,

D ſimiliſq. eſt militi, qui galea, enſeq. accinctus, atque omni apparatus bellico inſtructus, cum in aciem deſcendendum eſt, enſem non educit ex uagina, & tamquam vultum hoſtis formidans, cum eo congredi uereretur.

HAEC ideo a nobis paulo latius afferuntur, quia, hac dicendi libertate ſublata, inanis prorſus, & otioſa actio Conſiliarij redditur. Percurrat autem ipſe cogitatione id, quod in Euangelio legitur, nullam excuſationem illorum acceptam fuiſſe, qui ad cœnam fuerant inuitati, cum alter ſe uillam emiſſe: alter ſibi iuga boum quinque probanda eſſe: alius ſe uxorem duxiſſe diceret:[d] quæ omnes excu- d *Luc. 14.*

Z 2 ſationes

sationes tamquam leues reiectæ fuerunt, quia Domini iussio maioris erat momenti. Itaque cum Papa iubet Consiliarium sententiam suam proferre, quod sane non est Atlanticum Mare transilire, aut sumptis pennis in cœlum volare, non debet ille hoc ipsum, quod sui muneris proprium est, facile prætermittere: immo illud sibi persuadere, difficile admodum esse vllo alio honoris gradu, aut virtutis nomine, aut ornamenti titulo, existimationem suam in Consistorio tueri, si huius ingenuæ dicendæ facultatis sit expers. Nam sicut aliud est, esse bonum virum, aliud esse bonum ciuem;[a] vt veteres dicebant: sic poterit quidem Cardinalis boni Sacerdotis, boni Antistitis, & boni Prælati nomen, & officium sustinere, sed non boni Cardinalis si in eo deficiat, quod præcipuum Cardinalis esse debet in consilijs libere, & syncere dandis. A B

[a] Arist. 3. Polit. c. 3.

VERVM amplius, cum Cardinalitius gradus nihil aliud plane sit quàm dignitas, & officium quoddam virtutis splendore, atque auctoritate eminens in Ecclesia Dei, institutum ad Sedis Apostolicæ, cõmunisq. boni vtilitatem tuendam, & prouehendam, ut aliàs diximus; consequens erit, quemcumque ad hanc vocationem accersitum, eam cogitationem sibi in animo defixam perpetuo custodire debere, ut boni publici sit fidelis minister, diligens curator, & assiduus defensor. Quod quidem, si libertate in dicendo careat, præstare nequaquam poterit. C

CVM verò tam preclarę virtutis declarandę precipuus locus soleat sacrum Consistorium existimari, in eoq. multiplices causę plerumque possint se obijcere, quę Consiliarium languidiorem, ac timidiorem reddant, ne omnino loquatur quod sentit, neve inter luminaria magna adscitus, cum sententia sua fulgorem emittat, quibus cęteri, ut oportet, illustrentur; idcirco præter alia aduersus complura, & frequentiora impedimenta superius declarata, cogitauimus, cum multa adhuc possint superesse, breuiter regulam aliquam generatim perstringere, qua tot incommodis, quæ libertati consulendi aduersantur, occurri possit. D

ET vt radix tam noxij morbi penitus euellatur, non erit ab re inquirere, quid tandem illud sit, quod ab hac generosa loquendi libertate, in timidiorē quandam verecundiam, seu intempestiuum silentium pertrahere homines soleat.

ID autem ex duplici, ni fallimur, potissimum causa proficiscitur, quarum altera est, communis quædam humanitatis nostrę imbecillitas: altera est, nimius sui ipsius amor. Prima euidens esse solet in omni fere hominum genere, quibus aliquid sermone persuadendum,

admo-

A admonendum, corrigendumve incumbit, ſiue ſint magiſtratus, ſiue Concionatores, ſiue præceptores, ſeu patresfamilias, aut alij huiuſmodi, quos quidem, ſi quid dicendo proficere cupiunt, longe ab ijs erratis abeſſe oportet, quę ab alijs quærunt propulſare, [a] ne alioquin eis obijciatur, *Medice cura teipſum*: [b] ſic & Conſiliarios quando continget de diſciplina Eccleſiaſtica reſtituenda in Conſiſtorio agi, dubium non eſt, omni illarum rerum ſuſpicione vacare debere, quas in alijs emendari publica vtilitas expoſcet.

[a] S. Greg. Nazian. in Apolog. de fuga. Plutarc. in lib. de diſcrimine adulat. & amici prope fin.

[b] Luc. 4.

Et quamuis exiſtimandum ſit, Senatorum noſtrorum grauitatē, atq. amplitudinem vulgaribus aliorū culpis minime ſubiectā eſſe, ab B ipſorumq. moribus exempla potius in alios deriuari debere; Attamē, vt eò arctius & illi ad veterē diſciplinam, tamquā ad ſaxum adhæreſcant, & poſteri noſtri hæc maxime retinenda, & obſeruāda eſſe intelligant, libet modo verba Proſperi viri ſancti in mediū afferre, ex quibus quilibet perſpicere poteſt, quàm neceſſaria ſit Cōſiliario grauitas morū, integritasq. vitæ. Ait itaq. Proſper: *Sumptuoſis dapibus crudus non poteſt abſtinentiam laudare, quam calcat. Vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non poteſt diſsuadere pecuniæ. Inimicitiarum tenax non valebit animos diſſidentium ſacerdotali trāquillitate componere. Iuſtitiam prædicare iudicibus erubeſcit,* C *quam ipſe perſonæ potentis fauore corrumpit. Nec defendit oppreſſos, ſi perſonas aut honorat, aut deſpicit. Et quidquid boni non facit, aut mali committit, nec iubebit fieri, nec vetabit, quia neceſſariam docendi auctoritatem contrarietate ſuæ actionis, aut amittit, aut minuit.* [c] Hæc Proſper. Si autem ad illius verba nobis modo addere noſtra licet; quæro ego, ſi quando morū corruptio (quod Deus auertat) futuris tēporibus redargui in Senatu poſtularet, Quonā modo ſimplicitas, modeſtia, & frugalitas tantopere a Lateranēſi, & Tridentino Concilio in Eccleſiaſticis Præſulibus cōmendāta, ab eo poterit Conſiliario perſuaderi, cuius tūc ædes exquiſito nimio ſplendore ful D gerent, menſaq. lauto quotidie apparatu redundaret? Quomodo aduerſus inanem ambitionis faſtū ageret ille, quem in captanda Magnatum gratia, nouisq. quotidie curandis obſequijs, nunquam conquieſcere omnes perſpicerent? Quomodo ad pietatis opera exercenda, pauperesq. ſubleuandos poterit ille ſermonē ſuum conuertere, qui auro coaceruando, opibusque accumulandis totus incumberet? Quomodo ut publicę turpitudini ac fœditati legibus occurratur, ille ſe acrē oſtendet, qui intemperantię ſuſpicione laboraret? Quomodo nimiū illū erga propinquos carnis affectū, quē multorū malorum in Eccleſia Seminariū Tridentinum Concilium uocat, deteſtari ille po-

[c] Proſp. lib. 1. de vit. contēpl. cap. 5.

terit, qui consanguineos redditibus Ecclesiasticis ultra quam oportet, amplificare, atque augere non desereret? Quomodo denique cætera vitia publica, ille intrepido, fidentiq. animo damnare audebit, atque verborum iacula in facinorosos libere contorquere, qui antea pectus suum, iustitiæ, honestatis, innocentiæ, ac sanctimoniæ, religionisq. lorica vndique tectum, atque armatum esse non contenderit? A

ALTERA est causa non ita euidens, sed occultior, quæ nimius sui ipsius amor dicitur, qui adeò altas, subtilesq. in cordis nostri penetralibus, radices affixas habere solet, vt vix dignosci, nedum euelli possit, cum recti, & honesti specie, ut plurimum nobis imponat, B & nisi eius insidiæ diligenter obseruentur, incautos opprimat, & captiuos ducat. Quod ergo ad consilia danda pertinet, facile illi erit eius laqueos deprehendere, si animaduertet, an aliter priuatim, aliter in Consistorio aliquando loquatur. Nam in familiaribus sermonibus, vbi de rebus publicis: de Principum petitionibus: de vectigalibus minuendis: de morũ reformatione: de luxu Præsulum moderando agitur, si se ipsum non solum pium, ac iustum, sed etiam maxime strenuum, atque in commune bonum ardentem sentiet: quando vero occasio postulabit, vt de ijsdem rebus in Consistorio palam tractetur, cognoscet se potius frigere, nec se, eundem amplius, C qui antea sibi videbatur, plane esse, nec pristinam illam animi magnitudinem, ac loquendi fiduciam retinere: hoc certe non obscurum erit argumentum; se proprij amoris retibus implicitum, & imperfectorum hominum more, aliquid humani pati, & quia in hoc regno mundi alijs antecellere cupit, quærere idcirco, ne alijs displiceat, a quibus gratiam, auctoritatem, & commoda expectat. Duo enim, vt memoriæ preditũ est, Tortores sunt humanæ vitæ, amor, & timor, ille studio obtinendi, hic metu amittendi. Vnde quo ampliora quis appetit, eò timidior ne spe excidat, redditur: Si vero nihil sperat, nihil metuit, sublato hoc amoris immodici nexu, omnis D illico trepidatio conquiescit, & securitas summa æquabilem illius & mentem, & linguam perpetuò reddit, & comitatur.

QVAPROPTER agnita huius morbi radice, vnde tam præclaræ virtuti os obstruitur, & tamquam laqueis constricta ne se proferat, oppressa detinetur, ille, qui eam his vinculis exoluere, atque in libertatem vindicare optabit, facile id cõsequi poterit, si, quemadmodum aiunt medici, contraria contrarijs esse curanda, sic ille antequàm loquendi dies veniat, operam dederit, ut toti huic dæmonis familiæ, quæ in eius penetralia inuadere tentauit, nuncium remittat, ac illius

loco

A loco, modestiæ, continentiæ, disciplinæ, ac iustitiæ comitatum, in pectoris sui arcana introducat, quibus sociatus, alium se ostendere incipiet; quem omnes mirentur. Ad quod placet Ethnici hominis verba, quamuis ad alium finem prolata, afferre, vt hinc quoque Consiliarius agnoscat, quantum veræ virtutis opinio, animis fructum parere soleat. Inquit igitur: *Si hominem uideris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa fęlicem: in medijs tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex æquo Deos; non subibit te veneratio eius? non dices: ista res maior est, altiorq. quàm vt credi similis huic, in quo est, corpusculo possit? Vis istuc*
B *diuina descendit, animum excellentem, moderatum, omnia tamquã minora transeuntem, quidquid timemus, optamusq. ridentem, cælestis potentia agitat: non potest res tanta, sine adminiculo numinis stare. Itaq; maiore sui parte illic est, unde descendit. Quemadmodũ radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt, vnde mittuntur; Sic animus magnus & sacer, & in hoc demißus, ut propius diuina nossemus, conuersatur quidem nobiscũ, sed hæret origini suæ. Illinc pendet, illuc spectat, ac nititur, nostris tamquam melior interest.* [a]

VNDE concludamus, sicuti nihil est, quod magis homines in alicuius admirationem conuertat, quàm solida veræ probitatis, atque
C innocentiæ significatio; sic nihil ęque fiduciam dicendi munire, atque ad loquendum vires addere solet, quàm eadem virtutis, atquę integritatis cõscientia, quorum vtrumque S. Ioannes Baptista exemplo suo declarauit, (quod etsi aliàs attigerimus, eò tamen libentius hoc loco memorandum duximus, quod hoc ipso die, dum hęc scriberemus, sacra decollationis eiusdẽ sancti memoria celebraretur [b]) quem Herodes quàmuis alienigena, & corruptis moribus Princeps, quia tamen eum virum iustum, & sanctum sciebat, non solum libere loquentem libenter audiebat, & audito eo multa faciebat, sed etiam metuebat. [c] Vicissim vero sanctus Dei zelo accensus, ac uitæ inte-
D gritate accinctus, nihil uerebatur verba salutis, licet corpori suo noxia tamquam flammam ignis aduersus illius vitia euomere, vnde celebrem apud homines laudem, & immortalem apud Deum gloriam est adeptus. Quare merito S. Nazianzenus hanc Consiliario virtutem, quæ libertas loquendi vocatur, ut illi summopere necessarium adscripsit.

a Seneca epistola 41.

b Die 29. Augusti 1592.

c Marc. 6.

QVINTVM MEMBRVM. A

De alijs pertinentibus ad Consistorialia Consilia.

QVAE superius dicta sunt, cum fere omnia ad Consiliarij munus pro dignitate instituendum, B
atque ad præparandam illius mentem pertineãt, vt hisce argumentis, atque animaduersionibus tamqnam athleta, ad palæstram strenue, fortiterque possit se accingere; superest nunc, ut ad finem ipsius operis accedentes, cætera huic functioni exercendæ necessaria, ex Christianæ prudentiæ regulis, vsuq; rerum frequenti, ac veterum Patrum disciplina potissimum desumpta, in vnumq. collecta, oculis Cardinalis subijciamus, ut quæ sibi in dandis summo Pontifici consilijs, diligenter obseruanda erunt, compendio hic comprehensa, uno ei conspectu liceat intueri, hincq. totam hanc C
consultandi actionem, eò præclarius, ac salubrius possit obire.

QVOD igitur in rebus magnis gerendis, & præcipue Ecclesiasticis in primis propositum esse cuique debet, vt de eo quod illi aggrediendum est, alte, magnificeq. sentiat, idq. tamquam gloriosum, Deoq. acceptũ opus, mente concipiat; hoc potissimum in Cardinalis Consiliarij animo, cum in Cõsistorium ad danda consilia accedit, constanter constituendum erit.

ET vt aptius, atque alacrius ad hanc Consiliarij muneris dignitatem, & necessariam in Ecclesia Dei functionem intelligendam, & contemplandam excitetur, partes illius erunt, in eam secum cogita D
tionem sæpe descendere, quid sibi velit hæc tam præclara Cõsistorialis actio, cur tanto honore, ac celebritate a maioribus nostris semper fuerit obseruata, & quem præcipue vsum vniuersæ Ecclesiæ Dei soleat afferre. Ex hac enim meditatione, cum oculos in cælum attollere incipiet, atque vniuersam hanc mundi machinam Dei opificio conditam intuens, per hæc visibilia, ad ea, quæ inuisibilia sunt mente conabitur ascendere; facile ei erit diuino illustrant lumine agnoscere, pulcherrimam hanc rerum Ecclesiasticarum administrationem, quæ tam miro ordine, sapientia, at que æquabilitate a summo

mo

A mo Pontifice vna cum eius Conſiliarijs, atque adminiſtris Cardinalibus exercētur, eximia æterni Spiritus prouidentia, ad quandam cæleſtis Hierarchiæ ſimilitudine, inſtitutam fuiſſe.

Et quamuis ea, quæ ſupra nos ſunt, & quæ ad diuinam gubernationem pertinent, nequeant ab hominibus humana aliqua ratione ſatis explicari, aut comprendi, iuxta illud Iob: *Num quid noſti ordinē cœli, & pones rationē eius in terra?*[a] Vnde de cæleſtibus rebus potius negādo quid non ſint, quàm affirmando quid ſint, certius a nobis tractari poteſt, vt ait S. Dionyſius. [b] & nulla ſimilitudo, aut deſcriptio, niſi admodum diſſimiliter, atque obſcure poteſt his ac-
B commodari; attamen, quia diuinæ placuit benignitati nobis per ſanctos ſuos nota quædā facere ſub ijs tamen imaginis, & figuris, quas corporeus noſter ſenſus capere poteſt, vt per hęc ſimulacra, adumbratasq. formas ad diuina aliquo modo conteplanda, intellectus noſter carnis vinculis conſtrictus, attolli, & excitari poſſit;[c] propterea cæleſtis illa Angelorū Hierarchia varijs nobis ſignis, ac modis per Prophetas, & Apoſtolos fuit deſignata, cum legamus apud Iſaiam *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & plena erat domus a maieſtate eius.*[d] Et S. Paulus ait. *Chriſtum conſtitutum ad dexteram Patris in cæleſtibus ſupra omnem Principa-*
C *tum, & Poteſtatem, & Virtutem, & dominationem.*[e] Et in Apocalypſi: *Sedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens, & in circuitu ſedis, ſedilia viginti quattuor.*[f] atque alia huiuſmodi multa, ex quibus viri ſancti glorioſam illam, admirabilemq. cæleſtium ſpiritum Hierarchiam varijs ordinibus, officijs, ac poteſtatibus diſtinctam, nobis monumentis ſuis declaratum reliquerunt.[g]

Ad cuius ſimilitudinem alteram Hierarchiam, quæ Eccleſiaſtica dicitur, nobis pariter expreſſerunt, quæ ad cæleſtis ſimilitudinem varijs ipſa quoque ordinibus, gradibus, officijs, ac poteſtatibus continetur.[h] Quæ quidem tametſi viſibilis eſt, quia tamen latiſſime pa-
D tet in tota vniuerſali Eccleſia, nec certo vllo loco vndequaque comprehendi videtur, ideo viſum aliquando fuit viris ſanctis, atque alijs eruditis, non incommode hanc Hierarchiæ imaginem, pro varijs Eccleſiaſticorum ordinum functionibus, quæ alijs atque alijs in locis, ſacro, ſolemniq. ritu exercentur, poſſe deſignari. Nam ſanctus Ignatius eam conſtare innuit Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris ordinatim ſimul iunctis:[i] Alij in Oecumenica Synodo, vbi ſunt Legati Papæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Presbyteri repræſentari dicunt: Alij in ſolemni etiam proceſſionis celebritate, ad quam Eccleſiaſtici ordines omnes conueniunt: Alij

in alijs

a Iob. 38.

b S Dionyſ. li. de cæleſti Hierarch. c. 2. S. Tho. & Caiet. in 2. par q. 12.

c Dion. d. c. 2. & 3.

d Iſaia 6.

e Epheſ 1. & Coloſſ. 1.

f Apoc. 4. & 7.

g S. Dion. c. 2. S Greg homil. 34 S. Bernar. lib de conſid. ad Eugenium. S Tho. in 1. q. 108 art 8.

h Dion. lib de Eccleſiaſt. Hierarch. S. Antonin. in 3. par. tit. 22. c. 1. & ſeq Caſſ. Catalog. glor. mund. in par. 4.

i S Ignat epiſtola ad Philadelph & ad Smyrnen.

in alijs rite dispositis ministrorum Ecclesiasticorum societatibus, A
seu etiam peregrinationibus, tandem referri tradunt. Et has quidem similitudines non omnino exactè, ac perfectè congruere confitentur, sed speciem saltem aliquam nobis effingere, ac describere, qua veram Hierarchiam comprehendamus, subdentes, inter has nullam esse, quæ præstantius, ac proximius illam nobis repræsentet, quã Romana Ecclesia, cuius caput est Summus Pontifex, & præsertim in Consistorio, de quo agimus, vbi ille tamquam summus Sacerdos, & Hierarcha præsidet, adiunctis sibi Cardinalibus triplicis ordinis videlicet Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, qui primarios Ecclesiasticos ordines referunt.[a] In quem locum, cum vna conueniant B
ad res pro vniuersalis Ecclesiæ administratione deliberandas, actiones etiam Hierarchicas ibidem exercent, quibus Christiani orbis status purgetur, illuminetur, & perficiatur,[b] quod alijs in locis adeo plene, ac frequenter præstari non solet.

VNDE quemadmodum Deus rerum omnium Conditor, & cuius nutu cuncta geruntur, cum cælum, & terram impleat,[c] omniaq. virtute sua contineat, ac dicatur vbique esse per essentiam, præsentiam, & potentiam:[d] traditur tamen in diuinis scripturis proprium habere domicilium suum in cælo: tum quod ea sit nobilissima mundi pars, atque amplitudine alijs præstet locis:[e] tum quod ibi singu- C
lari præsentia sui ipsius manifeste se, ac sua consilia Beatis, qui ipso fruuntur communicet; & propterea Hierarchiam quoque cælestem ibidem cum constituere Doctores dicere solent:[f] sic videtur Summus Pontifex, cuius auctoritas in omnes Christiani orbis regiones diffunditur, quippe, qui vicem Dei gerat in terris,[g] in Consistorio tamen ipso, quod proprium eius tribunal, ac sedes est, & in quo nõ modo præsentia singulari adest, sed etiam intima pectoris sui consilia manifestat, & quo Cardinales omnes tamquam eius membra, ac filij primi gradus, ac Principes aliorum omnium Ecclesiasticorũ conueniunt, & de negotijs ad optimum totius Ecclesiæ statũ agũt, D
dicitur quodammodo (si ita loqui licet) imaginem quandam Hierarchiæ illius cælestis ibi referre.[h]

ET quamuis hoc Consistorium dupliciter haberi soleat: alterũ publice quod omnibus patet: alterum secreto, quo Cardinales tantũ conueniunt, prout omnibus perspicuum est; Nos tamen quoniam tractatio nostra ad eas consultationes pertinet, quæ in priuato Cõsistorio haberi solẽt; ideo de eo tantum in præsenti agentes, dicimus speciem hanc Hierarchiæ hinc non incongruenter apparere, tum ratione summi Pontificis, qui ei cum eximia sua præsidet auctoritate,

tum

a Eug in IIII. in Bulla relata Iacobac in lib. 1. de Cõcil. num. 252. Bernard. Guido in Chron. in princ. Martin Polon. in Chronic. in ti. de Pont. Rom. pag 21. Turrecrem li. 2. de Ecclesia. cap. 113. Cassan. Catalog glor. par. 4. consid. 7. Viguer. in suis Instit. c. 3. § 2. vers. 7.

b Turrecrem. & Viguer. vbi sup. Manfred. tract de Cardinalib. S. R. E. cap 4.

c Hier. 23.

d S Tho in 1. par q 8. art. 3.

e Catechism. Rom in explic. Domin. orat. vers Qui es in cælis.

f Dion Areopag. in loco cit.

g c quanto de transl Episc.

h Eugenius in d. Bulla.

A tum ratione Cardinalium, qui alias Ecclaſiaſticas perſona, vt modo diximus, repræſentát, & Hierarchicas actiones ibidem exercent. Quod tamen nō ſubtiliter, & ſtrictim iuxta Doctorum ſcholaſticorum quæſtiones, ac propias ſacramenti ordinis functiones accipi mus, ſed moralis potius ratione, ac latiore quadam diſciplina, pro ut alij etiam Doctores haſce Hierarchicas actiones ad ea, quæ moribus hominum expiandis, exornandis, ac perficiendis congruunt, ac commodare ſolent,[a] ita vt propoſito noſtro inſeruiant.

I.

DE SVMMO PONTIFICE, QVI CONSISTORIO PRAESIDET.

QVOD VERO AD PAPAM PERTINET, notiſſimū B eſt, illum vniuerſalis Eccleſiæ caput eſſe, ac Chriſti Domini Vicariū in terris omnino haberi,[b] ita vt idē tribunal, vt aiunt Doctores, cū eo faciat,[c] cum & de neceſſitate ſalutis ſit, fideles omnes Romano Pontifici ſubeſſe,[d] qui vtrumque gladium gerit, atque omnes iudicat, & a nemine iudicatur,[e] cum alijs huiuſmodi multis, quæ apud orthodoxos omnes adeo certa ſunt, & indubitata, totque, librorum monumentis vniuerſo orbi conſignata, vt minime neceſſe ſit quidquā amplius hac de re adiungere.[f]

ET ſi quis forte falſo arbitraretur, nihil congruere cum ſtatu Hierarchico, ea, quæ fieri ſolent in Conſiſtorio: Primo, quia cum C Hierarchicæ actiones in Eccleſia Dei tendere debeant ad purgandū, illuminandum, & perficiendum homines in rebus ſpiritualibus, ita vt ad beatam vitam perducantur; videmus in Conſiſtorio agi frequenter de temporalibus bonis: de vectigalibus: de bello: de ærario: de magiſtratibus: de ſubſidijs, alijsq. huiuſmodi rebus, quæ potius repugnant perfectioni, ac magis ad homines ſæculo aſſixos, & adhuc carne implicitos pertinere videntur. Secundo, quia exterior ille apparatus, quo conſiſtorium ipſum circumornatum eſt, & magnus ille comitatus, procerumq. obſequium, quo Papa ſtipatus ingredi Conſiſtorium ſolet, videtur Apoſtolicæ paupertati, & Chri- D ſtianæ perfectioni admodum aduerſari, nec referre illam rerum temporalium abdicationem, atque ſimplicitatem, quæ ab Hierarchico loco, & ſummo Hierarcha ad incitandos alios ad virtutem, eſſet expectanda; Reſpondetur, cum diximus Hierarchiam Eccleſiaſticam ad cæleſtis imaginem in conſiſtorio potiſſimum repræſentari, nos de ea imagine loqui Doctorū more, quam terreſtria cum cæleſtibus collata, adumbrare poſſunt: Siquidem cum cæleſtem illam ſciamus varijs Angelorum Choris, atque Hierarchicis actionibus effulgere, videmus hanc quoque triplici Cardinalium ordine, varijsq. actionibus ad fidei propagationem, ac religionis incremen-

tum

a *Iacob Fab.r. in 1 c de Hierarch. Eccleſ. & c 1. de diu. nom Viguer. in ſuis Inſtit. c. 3. §. 2. verſ 7. Manfred. vbi ſup d c 4.*

b *Clem 1. de iureiuran. & Clem paſtoralis. de re iud.*

c *c. 2. & 3. vbi Hoſt. de tranſ. Epiſc.*

d *Extrauagāti vnā ſanctam, de maiorit & obed.*

e *c. nemo c. aliorum. c. cuncta per mundum 9. q 3.*

f *Conſtat ex varijs Auctoribus relatis in tom. tract. 13. par. 1. & 2.*

tum exornari, quibus mentis tenebræ expurgantur, intellectus diuinarum rerum cognitione illuminatur, & voluntas gratiarum donis, ac virtutibus perficitur. Et ideo ad primum, quod obijciebatur, dicitur tantum abesse, vt hæc summo illius perfectionis statui quidquam derogent, vt immo, cum hæc ad rectam Christianæ Rei publicæ administrationem, ad fidelium animas lucrandas, ad mores conformandos, tranquillitatem tuendam, iustitiamq. exercendã dirigantur, dicatur Papa his ipsis actibus illa, quæ Hierarchiæ sunt, præcipue exercere, cum vniuersa hæc temporalia ad finem spiritualẽ ordinentur; [a] Vnde quo ardentiore, feruentioreq. zelo ab eo hæc in consistorio proponuntur, & obeuntur, eo maiorem illius tum charitatem, tum sapientiam testantur, supremiq. Hierarchiæ potestatem clarius manifestant.

A
B

a Aug. de Ancon q. 1. art. 8. ad 2. & 4. Turrecr li. 2. de Eccl. c. 113. & seq.

Ad Secundum dicimus, ea, quę ad exteriorem illius apparatum, & cultum pertinent, quando cum animi moderatione, ac prudenti circumspectione, prout a S. Gregorio, [b] atque ab alijs factum fuisse legimus adhibentur, maiorem illius, non solum apud Cardinales, sed etiam apud alios fideles omnes existimationem, dignitatemq. tueri: [c] hincq. antiquissimis vsque temporibus receptum legimus, vt Christiani ex quibuscumque Orbis regionibus ad eum venerationis causa confluant, capita eidem submittant, ad eius aspectum, & præsentiam procumbant: sacras non solum manus, sed etiam pedes exosculentur, [d] & cum illum humeris in sublime deferri conspiciunt, fausta illi, & felicia quæque deprecentur. Quod sanctorum Patrum auctoritates quàm plurimæ testantur. [e]

C

b Io. Diac li. 2. de vita S. Greg. c. 1.

c Aug de Ancon. q. 101. artic. 1. & seq

d Glos. & Io. de Plat L. i. C. de domesticis lib. 12. Cassan. Catal. 4 par. 7. considerat.

e Relati apud Ioseph. Steph. in trac. de adorat ped. Rom. Pontif.

Cvm igitur ex his, quę dicta sunt, constet satis, sacri Consistorij locum tum ad Hierarchiam repræsentandam, tum ad actiones Hierarchicas exercendas potissimum conuenire, opportunum videretur aliquid de ratione, ordineq. harum actionum quõ obeũdæ sint, vt finem propositum consequantur, disserere. Nam cum per Hieremiam Prophetam Dominus dixerit: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes:* [f] videtur hoc non absurde, cũ hisce Hierarchicis actionibus, quatenus ad homines referuntur, congruere, quandoquidem prius purgandi sunt a vitij, & erroribus; inde doctrina, religione, & sapientia instruendi, & illustrandi: demũ sanctionibus, decretis, ac bonorum operum exemplis in omni virtutum genere, perficiendi, & confirmandi. [g] Verum partim agnoscimus nõ esse tenuitatis nostræ, quæ humi repit, cęlorũ sublimia scãdere partim videmus minime nobis hoc tẽpore id esse necessarium,

D

f Hiero. 1.

g Dom Episc. Brixiẽ de Reform ad Papã Pium II.

quando

A quando diuina prouidentia nuper Eccleſiæ ſuæ ſanctę gubernacula CLEMENTI VIII. SANCTISS. DOMINO NOSTRO regenda tradidit, qui tam egregium pudētiæ, probitatis, ac iuſtitiæ ſpecimen in omni ætate, & varijs, quibus perfunctus eſt, muneribus edidit, vt dubitandum minime ſit, quin idem ad ſupremam nunc, & cœlo proximam dignitatē euectus, maiora multo, & præclariora ſit præſtiturus: quam nobis ſpem, certis, atque indubitatis argumentis confirmant tot, tantiq. labores, ac ſolicitudines, quibus hoc Pontificatus initio, pro diſciplina Eccleſiaſtica reſtituenda, iuſtitiaq. adminiſtranda, quotidie eum exerceri, ac pene confici videmus. Rogemus igitur Deum, vt illum incolumem, ac cæleſti ſuo ſpiritu illu-
B ſtratum ad Chriſtianæ Reipublicæ incrementum, ac fidelium omnium exemplum, diutiſſime tueatur.

De triplici Cardinaliū, qui Papæ in conſiſtorio aſſiſtuut, ordine, atque officio.

II.

CONSISTORIVM, de quo agimus, poſt ſummum Pontificem, qui caput Hierarchiæ eſt, conſtat triplici (vt diximus) Cardinalium ordine: aut enim ſunt Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, quibus gradibus cum præcipuæ clericorum omnium functiones in Eccleſia Dei contineantur, & Cardinales propter excellentem dignitatem, omnium ordinum veluti primarij Duces, & Anteſignani
C habeãtur, merito hunc Cardinalium conuentum ad Eccleſiaſticam: Hierarchiam pertinere ſuperius fuit declaratum. Porro de eorum origine, atque inſtituto, cum præclara multa a Doctoribus, varie tamen recenſeantur; nos qui hæc aliàs fuſius perſecuti ſumus, [a] hic tãtum breuiter ſubijcimus, eos vſque a temporibus Moyſis tamquam fratres Leuitici generis adumbratos fuiſſe, [b] prout Innocentij III. teſtimonio declaratum extat: [c] Alij autem eos in locum Apoſtolorum, qui Chriſto Domino noſtro adſiſtebant, ſucceſſiſſe tradunt, quæ magnorum virorum eſt ſententia, [d] & magna probabilitate nititur: certum enim eſt, Chriſtum Dominum Redemptorem no-
D ſtrum, cum in terris verſaretur, ſibi duodecim Apoſtolos, & ſeptuaginta duos Diſcipulos adſciuiſſe, qui ſibi adſiſterent, quibus arcana multa communicaret; & Prophetarum vaticinia explicaret, quorumq. opera varijs in rebus, ac locis vteretur, cum ille tamen nullius aut conſilio, aut auxilio, ſeu miniſterio indigeret: Verum id abeo factum dicitur, [e] vt normam quandam Petro, atque illius ſucceſſoribus relinqueret, Eccleſiam vniuerſalem hac ipſa, vel alia ſimili ratione pro temporum viciſſitudine, adminiſtrandi: indeq. Cardinales, Epiſcopi, alijq. Prælati profecti fuerunt, varijs nominibus, ac titulis pro varietate eorum muneris diſtincti, cum in Eccleſia diuiſiones

a In q. 3. ar. 5. & in q 6.
b Deut. 21.
c c per venerabilē, qui filij ſint legit.
d S. Antonin. in ſum 3. partis 21. Turrecrem. lib. 1. de Eccleſia c. 80. & ſeq. Aug de Ancon q. 101. artic. 1. & ſeq. Viguer. in ſuis Inſtit cap. 17. §. 1. verſic. 11. & complures Doct. in tract. de Car to. 13. par 2 &. Iacobac. lib. 1. de Cōcil. nu. 118. & ſeq. & nu. 244 & ſeq.
e P. Alphonſ. Ciacon in lib. de Pontif.

uisiones esse gratiarum, administrationum, & operationum idem A
Dominus constituerit.[a] Alij autem tametsi recentiorem illorum originem esse contendant, quàm vt ad Apostolorum tempora referatur,[b] ijdem tamen non negant eorum institutionem priscis vsque temporibus multo ante Nicolai II. Pontificis tempora, qui annis ab hinc circiter quingentis, & triginta floruit, extitisse.[c] Nec desunt multi, qui eorum memoriam in antiquis Concilijs, atque apud vetustissimos auctores habitam fuisse demonstrant.[d] Verum quoniam ex his multa antea a nobis sunt tractata, & nuper quamplura ab eruditissimo viro, hoc argumento collecta fuisse comperimus,[e] immo extat Bulla Eugenij III., qua hæc ommia amplissi B
me declarantur;[f] ideo satis erit, quod ad præsentem rem nostrã pertinet, indicasse, sacrum Consistorium dici locum, qui pro rerum opportunitate deligitur, in quem solent Cardinales vna cum summo Pontifice, iuxta eorum gradus ordinem, ad consultanda grauiora Ecclesiæ negotia conuenire.[g]

Tunc autem speciem quandam, ac similitudinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ nobis referre Cardinales dicuntur, cum ibidem, tamquam adsistentes, seu consiliarij, atque adiutores summi Pontificis, assideant: partim renunciantes, quonam pacto illius mandatis satis-
fecerint: partim consilia suggerentes: partim etiam in ministerium, C
vt ab eo mittantur, se comparantes, ac varia alia munera pro temPore subeuntes, seq. paratos ad omnia tum priuata, tum publica totius Ecclesiæ munia illi exhibentes. Hinc fit, vt in statu perfectionis ac quisitæ, non acquirendæ censeantur,[h] cum fratres, & filij Papæ, atque eiusdem adiutores ad gubernandam Ecclesiam vniuersalem appellentur, vsque ad sanguinis effusionem, quod extrinsecus purpureo galero, qui summæ charitatis eorum statui perpetuo annexæ, index est, profitentur, de qua Saluator dixit: *Maiorem charitatem nemo habet vt animam ponat pro amicis suis.*[i] Qua ex re mul-
ta sequuntur, quæ vt saltem perstringamus, hoc ipsum, in quo mo- D
do versamur, Hierarchiæ argumentum, omnino videtur exigere, nõ quia hæc nostris Cardinalibus vt memorentur, necessaria esse existimemus. Potissimum vero illud est, eos, qui in statu perfectionis, atq; ad alios perficiendos vocati sunt, debere in primis propriæ perfectioni studere, vt eò facilius ad eandem virtutis laudem alios perducant. Sicuti enim cælum superius motu suo inferiores omnes cælos rapit, ad eundemq. illos cursum ducit, quo & ipse mouetur: sic a Cardinalium cœtu, qui primarium inter alios omnes Ecclesiasticos ordines locum obtinet, dubium non est, ceteros quoque instrui, & di-

a 1. Cor. 12.

b Sot. in 4 distin. 24. q. 2. artic. 4.

c c in nomine. distin. 23.

d Volaterran. lib. 21. & 2. Anthropolog. Remund Ruff. in lib pro Pot. max pag 500. et seq Volfang. Laz de Republica Roman. lib 2. pag. 137.

e Bellarmin tom. 2. controuers. tit de clericis cap. 16. de Card.

f Extat apud Iacobac. in libro 1. de cõcil. nu. 252.

g Lib. 1. carimon sec 9. c. 1. & c 3.

h Aug. de Ancon. q. 102. artic. 1. Turrecr. in sum. de Ecclesi. lib. 1 c. 80

i Matt. 10.

A & diſciplinæ virtutumq. incrementa ſuſcipere. Hinc videmus complures ſummos Pontifices de Eccleſiæ vtilitate, fideliumq. moribus ſolicitos, in hoc maximè inuigilaſſe, vt Cardinales, quos templi Dei baſes, & clariſſima Eccleſiæ lumina, & filios ſpirituales appellarunt,[a] moribus, atque exemplo cæteris prælucerent, & tamquam luminaria ſuper candelabro poſita, alios illuſtrarent.[b]

SI enim Cardinales Hierarchicum hunc ordinem complectuntur, quis non uidet multo maiorem ab his rerum cæleſtium cognitionem, atque præſtantiſſimarum virtutum actiones, quàm a cæteris, requiri?[c] Adnotatum fuiſſe legimus, cum Dominus, ad Apoſto B los loquens, dixiſſet: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* ſubiũ xiſſe deinde: *Vos autẽ quem me eſſe dicitis?*[d] quod ſcilicet plus a diſcipulis exigebat, quàm a populo: nam *cui multum datum eſt, multũ quæritur ab eo: & cui cõmendauerunt multum, plus petent ab eo:*[e] ſic ad Cardinales, cum ſint aliorum clericorum càpita, recte eadem verba pertinere uidentur, *Vos quem me eſſe dicitis?* vt. ſ. memores ſint, maiora, atque illuſtriora ab ipſis, qui ſummum gradũ in Eccleſia Dei gerunt, virtutum documenta, quàm ab alijs, eſſe præſtanda. Qua de re pręclare multa ab eruditiſſimo, ac eiſdẽ, de quib. olim ſcripſit, virtutibus ornatiſſimo Collegij noſtri præcipuo Conſiliario tra C dita fuerunt, quæ veri Cardinalis formam, & quibus perfectionum gradibus Eccleſia Dei eum fulgere oporteat, exprimunt.[f]

VERUM, ne perfectionis huiuſmodi adeptio, quæ tantopere Cardinalitio gradui, atque officio coniuncta eſſe debet, aliquem fortaſſe terreat, quaſi humanam tranſgrediens imbecillitatem, non deſunt quam plurimorum exempla aliàs etiam a nobis ſignificata, qui ſuſcepto huic muneri, Deo largiente, egregie reſponderunt, ita vt nec nouum, nec mirum, nec rarum ſit, hanc functionem debita cum laude, virtutiſq. officio exerceri.[g] Et quando etiam difficilia multa, atque ardua in hoc ſalebroſo humanæ vitæ curriculo ſe obijcerent, D iam moniti ſumus diuina voce, quod *regnum cælorum vim patitur. & uiolenti rapiunt illud.*[h] Quòd ſi ad omnes hæc uox pertin[...] qui commune tãtum vitæ inſtitutum profitentur, quid de i[...] aſſerendũ, qui ad huius ampliſſimæ dignitatis munia, promp[...] ndeliterq. exequenda, proprio etiam, ac ſolemni iuramen[...] ſe obſtrinxerunt?

SED & illud addimus, non eſſe hæc [...]uæ a perfecto Cardinaliũ ſtatu requiruntur, adeo grauia, atq[...] oneroſa, quin mens prouida, ſuæq. vocationis memor, diui[...] ſuffragante gratia, illa poſſit ſuſtinere. Nam cum quæd[...] hominum ſint, quædam Prælatorum impedimenta, quæ ab officij ſemita ſolent eos auertere, de prioribus illis

a c. felicis de pœn. in 6. Pius V. in Bull. 93.
b In Conc. Lateran. ſub Leone X ſeſſ. 9. in Bulla reform. Curiæ.
c Arg. c. Homo Chriſtianus. 40 diſt. et c. cum quidã, cum glo. de iureiuran.
d Matth. 16.
e Luc. 12. Sic in ſimili S. Hieronym. li. 3. in S. Matth. c. 16. Gratian. to. 4. conc. in die Apoſt. Petri, & Pauli conc. 1.
f Aug. Valer. Cardin. Veron. in lib. Cardinalis.
g Diximus ſupra in concluſ. in memb. 3. & fac. 1 epiſt. P. Damiani at titulus cardinales epiſcopis Sedis Apoſtolicæ. Et alia. & epiſt. Dilectiſſ. Apoſtolicæ Sedis electo Hildebran.
h Matt. 11.

illis nunc non agimus, quæ omnibus æque cauenda præcipiuntur, A
qualia sunt non mentiri: non fallere: non vlcisci: non mœchari: non furari: non vinolentum esse, & alia huiusmodi satis nota, quæ ab ijs etiam, qui in statu perfectionis acquirendæ versantur, fugienda maxime sunt.

VERVM de posterioribus loquimur, quæ adeo huic perfectiori statui infesta, atque angustiæ, & periculi plena videntur, vt ab ijs Cardinalem se incolumen tueri, Angelicum prope esse aliqui falso arbitrentur. Nam cum Prælatorum functionem in eo potissimum versari iudicent, ut alios exemplo suo doceant terrena mundi despicere, humilitatem sectari, paupertatem amplecti, argentum, & B
aurum non possidere, immo despicere: abnegare semetipsos, & propter nomen Christi odio esse propinquis, amicis, & alijs; reputant hæc Cardinalitio statui, quo his nostris temporibus vtitur Ecclesia, adeo prorsus aduersari, vt hæc, quæ abiecta censentur, simul cum præclarissimo Cardinalium statu coniungi, & vna cum eo exerceri, humanæ facultatis non esse videatur.

At nos, qui videmus hoc argumentum ab illo hominum errore descendere, qui existimarunt, vel rerum inæqualitatem, & distinctionem a Deo non esse, [a] vel Christianæ vitæ institutum fraternam quandam omnibus in rebus æquabilitatem, amplitudinis depressionem, ac bonorum potius communionem postulare, non possumus non longe aliter de Cardinalium statu catholice sentire, quippe, qui sciamus graduum uarietatem, officiorum diuersitatem, multiplices in populo ordines adeo in Christiana Republica probari, vt hæc potius ad sanctæ Ecclesiæ tum necessitatem, tum pulchritudinem, ac perfectionem pertineant, [b] dummodo vnum sit corpus omnium, vnus spiritus, vnaq. spes vocationis. [c] Sic Regina Sabba videns sapientiam Salomonis, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, & vestes eorum, non habebat vltra spiritum; [d] Et Apostolus ait, quòd in magna domo non solum sunt vasa aurea, D
& argentea, sed & lignea, & fictilia, [e] & quòd in uno corpore multa membra habemus, omnia tamen membra non eundem actum habent, sed quædam sunt nobiliora, quædam ignobiliora; [f] Nam si totum corpus oculus, vbi auditus? sic in Ecclesia Dei, vt idem ait, quosdam dedit Apostolos: quosdam Prophetas: alios Euangelistas: alios autem Pastores, & Doctores. [g]

QVARE cum videamus hanc Cardinalium dignitatem, quę debet summum Pontificem in eius administratione adiuuare, excelsum in Ecclesia Dei locum esse consecutam, non abhorret ab eius perfe-

a S.Tho in 1. q.47. artic. 1. & 2.
b S.Tho. 2.2. q.183. artic. 2. S Antonin. in prolog. 3 par.
c Ephes 4.
d 3 Reg. 10.
e 2. Tim. 2.
f Rom 12.
g Ephes. 4.

A perfectione, ijs illam fulgere extrinsecus ornamentis, quibus popu-
lus ad eorum virtutes imitandas magis excitetur,& prauorum super-
bia,atque audacia,facilius,& potentius reprimatur,cum scriptum sit
in Psalmo: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus
est Principatus eorum.* [a] Et ideo scribit etiam S. Augustinus, quod
decet eos, qui alijs præsunt gloriosos in conspectu populi apparere,
ne si nimiæ deiectionis seruaretur humilitas, regendi frangeretur
auctoritas: [b] hincq. consentiunt Doctores,congruum esse, Cardina
les, qui Papæ lateri adsistunt, in magno apud omnes honore ha-
beri, multaq. illis priuilegia concedi. [c] Ipsi tamen memores sint ve-
B ræ perfectionis, & iustæ auctoritatis fundamentum, interiori cha-
ritate niti debere, quæ sua non quærit, sed omnia in Dei gloriam
refert, cum, vt ait Psalmista, *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* [d] Et
præterea talis etiam in his exterioribus modestia, temperantia, so-
brietasq. ab omnibus retineatur, quæ ædificet, non quæ fastus, aut
vanitatis vllam pariat suspicionem, memores quòd sicuti olim dice-
bat Senator ille, nihil velle in domo suo splendidum apparere præ-
ter seipsum: [e] sic decere maxime, vt in Cardinalis domo id, quod
præcipue fulgere debet, atque enitere, sit illius virtus, innocentia,
affabilitas, liberalitas, sanctitas, ac perpetua laborandi, otiumq. fu-
C giendi cupiditas, idq. decus ad omnes æque pertinere, tametsi ex
nobiliori, seu insigniori stemmate quis genus ducat: nam vt scri-
psit S. Hieronymus, [f] sicut Episcopi, siue Romæ, siue Eugubij, siue
Constantinopoli, siue Rhegij, siue Tanis, eiusdem dignitatis, & sa
cerdotij habentur; sic certum est, eos, qui in eundem Cardinalium
ordinem, ac Collegium adsciti sunt, eisdem se Ecclesiasticis legibus,
institutis, moribus, ac muneribus addixisse.

a Psal. 138.
b S. Aug. in reg 3.c 40. facit l. obseruandum, de officio præsid Aug. de Ancon. q. 101. art. 4.
c Gondisal. de dignit. Vicecā. Sarnē. in reg de impetr. benef. q 6. nu. 6. & in comp. vir sign. num. 36. Manfr. tract. de Cardin c. 5. & seq Mandos in reg 32 de impetr benefi. q. 1. col. 2.
d Psal. 44.
e Cic. in Parad. 5.
f Epist. 85. c. legimus. 93. distinct.

QVAECVMQVE igitur supra tanquam contraria obijciebātur
docent Doctores ad animi præparationem comparandam, siue ad
D nimiam solicitudinem fugiendam. vel etiam ad opportunitatem
obseruandam pertinere, [g] cum nec ea, quæ consilij Euangelici sunt
ad perfectionem essentialiter, vt aiunt, spectent, nec omnia sint quo
cumque tempore ab omnibus implenda, [h] sed ita totum vitæ sta-
tum præceptis diuinis componendum, vt a charitatis cursu nihil
vmquam deflectat, vsquequo ad æternam gloriam perducatur. [i]

QVONIAM autem ea est humanæ conditionis fragilitas, vt ple
rumque ij, qui in amplissimo dignitatis gradu sunt, atque ingenij
acumine præstant, gloriæ stimulis plusquam satis est, incitari so-
leant, ipsaq. dominandi libido in illorum mentes frequentissime
irrepat, oportet Cardinales eorum meminisse, quæ olim Christus

g S. Aug. li. 1. de serm. Dom. in mōte c. 36. S. Thom. 2.2. q 40. artic. 1. ad 2.
h Aug de Ancon. q. 101 artic. 7. in resp.
i S. Tho 2.2. q. 184. artic. 3.

Dominus discipulis dixit, cum exultare eos videret, quòd spiritibus imperarent: *Gaudete*, ait, *non quia spiritus subijciuntur uobis, sed quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* [a] A

[a] Luc. 10.

ITAQVE nihil est, quod Cardinalis hoc solo dignitatis gradu, aut splendido denominationis titulo glorietur, aut alijs dignior existimari velit, quòd cæteris emineat, alijq. eidem caput inclinent, sed quia maiorem hac dignitate, Deo seruienti, beneq. de Christiana Republica merendi facultatem nanciscatur: Nam, vt ille dixit, *Frena aurea non faciunt meliorem equum*, [b] & quod aliàs memorauimus, Cardinalis dignitas nō laudem, sed laudis affert occasionem. Ideo nisi gradus amplitudo, cum summa vitæ probitate, ac sanctimonia coniungatur, verendum est, ne id possit contingere in die nouissimo, quod est apud Danielem: *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* [c] B

[b] Seneca.

[c] Dan. 5.

III.

De obseruandis a Cardinali quando indicitur Consistoriū.

Ex his, quæ superius dicta sunt, quamuis satis intelligi possit, quoties Consistorium nomine Summi Pontificis indicitur, eo ipso significari Cardinales ad res magnas, & graues, publicamq. utilitatem respicientes, tractandas accersiri; id tamen inde etiam colligere licet, quòd non pauci tantum, aut solum pars aliqua Cardinalium eò conuocatur, sed omnes eorum ordines simul iubentur adesse: nullum enim magnum negotium, præclarumve opus sine multorum interuentu, atque auxilio effici posse videmus. Quod si mercatorum, magistrorum nauis, agricolarum, & Imperatorum etiam exempla demonstrant, eos sine multiplici ministrorum, atque operariorum copia, qui in rebus illis valde sint exercitati, nihil insigne consequi posse; multo id magis in sanctæ Ecclesiæ administratione, quæ omnium maxima est, & difficillima, erit existimandum, permultos scilicet excelso ingenio Consiliarios, rerumq. cognitione excultos cum Principe conuenire debere, qui tum præsentia acutissime cognoscere, tum futura etiam, probabili valeant coniectura prospicere. Ex quo sequitur, quoties hæc Consistorialis actio celebranda est, magna animi præparatione, diligenti præmeditatione, collectisq. mentis viribus, ac diuini in primis præsidij fiducia, ad eam accedendum esse. Vbi igitur certa dies sacri Consistorij habendi denunciatur, sicuti solet miles classico ad prælium accitus, armis instructus, præsidijsq. omnibus accinctus in locum certaminis descendere; sic Consiliarius Consistorio indicto, se quā diligentissime tamquam ad virtutis stadium præmunire curabit, & quid proponendum, quid consultandum, qua poterit solertia, inuestiga-

A ueſtigabit, matureq. vniuerſa præmeditabitur. In primis autem, quod Cæſarem Auguſtum ſanxiſſe legimus,[a] vt priuſquam Senatores eius conſiderent, ſupplicarent ad eius Dei aram, in cuius templo Senatus haberetur, & morem fuiſſe Principibus Senatum ingredientibus, ſtatim ab ingreſſu ſacra facere.[b] Et Herodianus loquens de Antonino Cæſare ait, ingreſſus Senatum vbi rem diuinam fecit[c]; multo magis congruũ videbitur, religionis Chriſtianæ Cardines, & vniuerſalis Eccleſiæ Principes, quando inſtare incipiet conſilij tempus, præter generale auxilium alias a Deo petitum, tunc magis enixe ad Regis Regnũ opem confugere, ac ſi ſacerdos ſit, ſacrificij munus B perſoluere, magniq. conſilij Angelum inuocare, vt audiat cum Propheta quid loquatur in eo Dominus,[d] rogans eundem, vt det voci ſuæ vocem virtutis,[e] memoria tenens, ſanctum Ioſue,[f] licet Deo acceptum, in petitione tamen Gabaonitarum lapſum fuiſſe, quoniam Dominum antea non interrogaſſet; & quod Tobias dixit filio ſuo: *Omni tempore benedic Deũ, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & in omni tempore conſilia tua in ipſo permaneant.*[g]

a Sueton. in Auguſt. c. 35.
b App. an. lib. 2.
c Lib. 4.
d Pſal. 84.
e Pſal. 67.
f Ioſue 9.
g Tob. 4.

Sed & præterea, quantum res & tempus patietur, eadem cum aliquot fide probatis, ſapientibusq. viris ſecreto communicare Cardinalis non negliget, & quid etiam in eo genere per Vrbem circum C feratur, ſubodorari non erit inutile. Quod ſi nihil certi explorare, ac ne conijcere quidem licebit, tum idem intimo erga Chriſtianam Rempublicam zelo accenſus, ſe omnipotenti Deo cum fiducio committet, qui opportune illi ſuggeret quæcumque pro bono Eccleſiæ loquenda erunt, illud ſibi omnino in animo proponens, nihil, de induſtria ſaltem, quod publicam vtilitatem non reſpiciat, & Diuinis non ſit præceptis, ſeu monitis conſentaneum, velle reſpondere.

IIII.

D Vbi vero die conſtituto in Senatum ingrediendum erit, Cardinalis, ſi ſit Sacerdos, antea (vt diximus) rem ſacrã facere, ſi Diaconus ſacramento Euchariſtiæ ſe præmunire, aut ſaltem audita Miſſa ſe ſancte colligere, atque Spiritus ſancti paracliti orationem adhibere curabit: tum ad Apoſtolicum Palatiũ deductus, depoſito breuiore illo, quo per Vrbem vtitur, veſtimento, quod M intellettum vocatur, pariter priuatos omnes affectus, & veterem ſibi hominem expoliandum eſſe ſciet: Amictum deinde induens inſigniorem, quæ Cappa lata, ſeu Pontificalis appellatur, cum tota ipſius humeris coram Pontifice incumbat, ac publicam auctoritatem præ ſe ferat, tum memor erit plurimum ſibi oneris ex futura ea actione accedere, ac

Quando in conſiſtorium conuenitur.

publicam voluntatem, publicam scientiam, publicamq. omnino A personam induere profitebitur. Post hæc, locum ingressus, memor erit, Thebanos Senatū ita pingere consueuisse, vt grauissimos quosdam homines, & aspectu venerabiles formarent, qui in hemicyclis sedentes, ante altaria eorum, quos vocabant Deos, essent, nullasq. omnino manus haberent, atque in eorum medio etiam ipse Princeps oculis captus, sederet, vt indicarent nimirum, vniuersum Senatorum consessum ab omni prorsus amore, odio, commodo, affectuq. priuato quàm longissime abesse debere.[a]

[a] Alciat. in Emblem.

Atque hæc quidem veteres, quæ ad iustitiæ, atque integritatis decus videbantur pertinere. Verum multo sanctiore, ac religiosiore B animi proposito Consiliarium nostrum sacra vndique mysteria referentem, Consistorium introire oportet. Nam in primis in venerabilem illum, augustumq. thronū, in quo SANCTISS. CHRISTI VICARIVS, totius Catholicæ Ecclesiæ caput, & summus Princeps plenus maiestate considere solet, aspectum suam diriget, ac fixis oculis, tamquam in thronum, quem vidit Daniel,[b] in quo sedebat senex ille antiquus dierum, aut potius veluti in tremendum illud Dei tribunal intuebitur, ad quod cum vniuersi sistendi sint, & singulorum facta recensenda, secum cogitare debebit, an aduenien-te nouissimo illo die, ipse tacuisse dum consilium ab eo exquireret C pontifex, aut quid aliud suasisse mallet. Postremo antequam Papa in Aulam descendat, aut causas ex more ad Cardinalium Collegium referre incipiat, conueniet maxime, cum a senioribus, seu alijs sui ordinis vsu peritis seorsum sciscitari, quid illi præsenserint eo die cōsultandum, quæ eorum sit sententia aut quid alijs dicendum sint suasuri, hæcq. deinde secum diligenter expendere, atque pro temporis spatio ad dicendum, & recta, ac recte consulendum dato, se accurate præparare oportebit.

[b] Dan. 7.

V.

Cū summus Pontifex causas consultādas proponit.

INDE cum Papa in sacrum solium suum ascenderit, antequam D palam coram Senatu sermonem habere, & res consultandas proponere incipiat, veterem a maioribus acceptam consuetudinem esse scimus, vt prius singulos Cardinales gradatim, & seorsum audiat, qui aut commissa sibi antea a Papa negotia, vel in Congregationibus acta referunt, aut cum Religionum, & Prouinciarum, seu Collegiorum sint protectores, ea renunciant, quæ ad eorum munus pertinent, siue alijs de rebus priuatis agunt pro rerum, temporum, personarumve necessitate, quæ quidem dum geruntur, grauitatis erit, Cardinalem non huc, aut illuc digredi, nec facile loco suo vbi se-

det,

A det, niſi vrgente non leui cauſa dimoueri. Ipſa vero priuata ſingulorum cum Papa congreſſio, vtilitatem magnam ad multiplicia negotia expedienda ſolet afferre, modo ne nimium protrahatur, & tẽpus plublici negotijs conſultandis deſtinatum, priuatis occupetur. Nam cum hæc Conſiſtorialis actio ad res præcipue cum toto Senatu tractandas fuerit inſtituta, videmus maiores noſtros adeo huius moris retinendi ſtudioſos fuiſſe, vt ſi quando accideret, eo ipſo tempore, quo indictum fuit Conſiſtorium, nullas eſſe Eccleſias, quæ proponantur, nec legationes quæ expediantur, nec Bullas grauiores promulgandas, nec arduas actiones, aut alia ſe offerre Conſiſtorialia

B negotia, quæ communem Senatorum omnium exigant congreſſum, ſolitos fuiſſe Pontifices, (ne Conſiſtorium quaſi inane, & fruſtra coactum videretur) dare tunc negotium Sécretario, ut litteras aliquas a Legatis, ſeu Nuncijs acceptas, aut a Regibus, vel Principibus miſſas, palam recitare, ex quibus occaſionem cum Cardinalibus tractandi accipiebant. Solebant item aliquando de negotijs publicis: de reformatiône: de Turcarum incurſionibus: de annona: de muniendis præſidijs: de ſtatu Eccleſiaſtico exonerãdo: aut de alijs rebus huiuſmodi verba facere, ne dies ſine Conſiſtoriali aliqua tractatione præterijſſe videretur.

C Vt igitur ad rem redeamus, quando ſummus Pontifex cauſas aliquas conſultandas, prout moris eſt, proponere exordietur, mirum nemini eſſe debebit, ſi nullam peculiarem orationem ad impetrandam Spiritus ſancti gratiam, quemadmodum in alijs Cardinalium, & Prælatorum Congregationibus religioſe ſeruari ſolet, in Conſiſtorio palam præmitti audiet. Nam cum Conſiſtorium mane haberi ſoleat, ipſeq. Summus Pontifex, & idem Cardinales aut paulo ante fecerint ſacrum, aut ei interfuerint, veriſimile eſt eos tum gerenda negotia, tum ſe ipſos feruenti corde Deo commendaſſe, indeque vnanimi collectos ſpiritu, Deo duce, ab oratione ad Conſiſto-

D rium ſe transtuliſſe. Accedit, quòd propter auguſtiſſimam Sanctiſſimi Chriſti Domini Vicarij præſentiam, cui Spiritus ſancti gratia adſiſtere cenſetur, veteri ritu obſeruatum videmus, vt non eadem ceremoniarum ratio ſemper in loco vbi ille adeſt, ac in reliquis ſeruari ſoleat, non vt debitæ deuotionis officio aliquid ſubtrahi intelligatur, ſed ad ſanctioris, & ſecretioris myſterij ſignificationem.

Addimvs deinde, relatum eſſe in veterum monumentis, vbi idem Summus Pontifex ſermonem habere inciperet, in magna eius laude poſitum fuiſſe, ſi ipſe pro ſumma ſua ſapientia, & benignitate, ſic orationis ſuæ curſum dirigeret, vt Senatoribus omnibus ad li-

bere, vt decet, respondendum animum adderet, ostendendo prorsus nihil sua interesse quomodocumque ab eis suffragia ferrentur, dummodo communi bono, atque Ecclesiæ vtilitati prospiceretur. quod aliàs latius sumus prosequuti.[a] A

[a] In quæst. 44.

CONSILIARIVS vero attentissimis auribus omnia debebit excipere, ne eius responsio quidquam aberret, memor, Lycurgum olim constituisse, ne aliquid pictum in loco ad consilia cõstituto appareret, ne Senatorum cogitatio distraheretur, sed tota in rebus deliberandis defigeretur. Posthæc dignum erit optimi Cardinalis pietate, & officio, secum cogitare, nihil a Papa nisi sancta voluntate, ac iuuandi studio propositum fuisse, remq. omnem semper in meliorem partem interpretari, non solum quod scriptum sit, *Cor Regis in manu Dei est,*[b] sed præcipue quòd illi, qui sanctissimus Christi Vicarius est, Spiritum sanctum ad ædificationem fidelium adsistere nõ dubitandum sit. & propterea decebit maxime, vt Pontificis sententiam magnifaciat, nec facile ei sine graui causa, & probabili ratione aduersetur: præsertim quia, cum Principes, tamquam in specula positi, multa perspiciant, quæ oculos inferiorum effugiunt, altioraq. eorum sint consilia, quam vt ab alijs introspici queant, prudentis Cardinalis erit, diligenter animaduertere, ne ad contradicendum inconsulto rapiatur, dum tamen veritatem, & syncere loquendi officium, re poscente, numquam deserat; Immo, cum hoc morbo soleat humana conditio nimis laborare, vt ad Principum studia inclinare omnes cupiant; cautio erit, numquã huius suspicionis Cardinalem obliuisci, sed exemplo veterum Prophetarum, ac sanctorum Patrum, qui præsentibus Regibus Deum etiam tamquam præsentem intuebantur, ac veritatem cum fiducia denunciabant: sic, cum publica causa postulauerit, expulsis perturbationum tenebris, qua decet modestia, & reuerentia sententiam suam libere explicare, vt possit dicere cum Propheta: *Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.*[c] B C D

[b] Prouer. 21.

[c] Psal. 118.

V I.

Cum sententias in consistorio exquirere incipit.

REBVS a Papa propositis, cum exquiri Senatorum consilia, eademq. ordine pronunciari incipient, a senioribus vsque ad nouissimos, prout moris est; munus erit Consiliarij, qui partes suas digne præstare cupiet, diligenter obseruare, quid quisque loco suo dicat, quibusve argumentis illud corroboret, non solum vt singulorum quam debet rationem se habere ostendat, sed etiam quia sæpe ex aliorum responsionibus, concepta antea mutatur sententia. Inde quæ ab alijs dicuntur non oblique debebit interpretari, sed in dubio

A bio omnia in meliorem partem: non orationis longitudinem, aut obſcuritatem: non linguæ lapſum, aut memoriæ tarditatem in quoquam accuſare: non geſtu vllo ſignum præbere, ſe illa ægreferre, aut ijs audiendis faſtidio affici: iuniores etiam, & nouiſſimos æque ac alios attente auſcultare, ex rationibus aliàs a nobis prolatis. [a] Conſentaneum quoque erit de omnibus conſilia ſua proferentibus honorifice ſentire, nec facile minoris quemquam, eo quòd breuius, aut longius, aut ſecus quam alii, reſponderit, æſtimare, Apoſtoli præceptum ſequens, vt *qui manducat, non manducantem non ſpernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet.* [b] Denique cum tota hæc Conſiſtorialis actio, coram Principe, & Senatoribus, ſit maieſtatis plena, prudentiæ erit, Cardinalem ſummopere anniti, vt dictis, & factis, pari grauitate reſpondeat, ac priuata colloquia, & quidquid oſcitanter factum videri poſſit, prorſus euitetur.

a *In quæſt* 20

b *Rom.* 14.

VII.

NUNC illud ſequitur, quod in tota hac actione præcipuũ Conſiliario eſſe debet, nempe vt is loco ſuo, conſilium quod ab eo petitur, apte, fideliterq. pronunciet. Ad quod præſtandum aliàs diximus, ad diuinam in primis gratiam confugiendum eſſe, ſine cuius auxilio irritus prorſus omnis eius conatus redderetur. Vnde Iſaias C dicebat: *Veh filij deſertores, vt faceretis conſilium, & nõ ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritũ meum, ſperãtes auxilium in fortitudine Pharaonis, quæ erit vobis in confuſionẽ.* [c] Quapropter, etſi, quo tẽpore indictum fuit Conſiſtoriũ, debuit Conſiliarius diligẽter ad omnia, quæ facienda erunt, ſe cõparaſſe, præcipuam in Deo ſpem collocãdo exemplo Dauidis, qui, cũ Gigante cõgreſſurus, muniebat ſe armis, ſcuto, ſed dicere ſolitum aiunt: *Non in arcu meo ſperaui, & gladius meus ſaluabit me;* [d] Attamen nunc rurſus videns iam inſtare horã, qua virtutis ſpecimen in hoc theatro ampliſſimo ſit editurus, debebit intimo corde diuinæ ſe benignitati committere, quæ ponat D cuſtodiam ori ſuo, & oſtium circumſtantiæ labijs ſuis.

Cũ locus obuenit Cardinali ad conſilium ſuum proferendũ.

c *Iſa.* 30.

d *Pſal.* 43.

ET, quoniam hoſtis bonarum mentium dæmon, hoc ipſo dicendi articulo, quo ſe Conſiliarius ad ſoluendam linguam accingit, ſolet multiplici eum vexatione implicare; an ſcilicet plene omnia, quæ ſibi occurrunt, loquatur; an breuiter tantum perſtringat; an in aliud tempus differat; an ad maiorem Collegij partem ſe referat; an Principis ſapientiæ id dijudicandum relinquat; an ſui ipſius conſcientiam ſeniorum iudicio exoneret, atque alijs huiuſmodi ambiguitatibus eum ſuſpenſum reddere conatur: Nos, cum hanc animi agitationem frequenter a metu quodam prodire videremus, quem

veteres pessimum consultorē vocabant; ideo sæpe monuimus hunc A esse modis omnibus excutiendum, cum certum sit sine loquendi fiducia, nihil a Consiliario prȩclarum perfici posse. Quoniam tamen agnoscimus, frequentem hunc esse scopulum, ad quem Consiliariorum nauigia alliduntur, cogimur sæpius hoc argumentum tanquam maxime necessarium, non eisdem tamen, sed alijs, atque alijs rationibus iterare: sicuti enim sanguis per venas in omne corpus diffunditur, & membra, quo ille non peruenit, tamquam emortua putrescunt; sic dicendi libertas nisi in Consiliarij sermones vbique influat, eisq. spiritum præbeat, non solum irriti, atque inutiles, immo noxij sæpe redduntur. B

QVAMOBREM, ad tollendam eam, quam diximus mentis trepidationem existimaremus Consiliariū, in cordis sui latebras introire hac, quid præcipue illud sit, cuius causa animi pedent diligenter scrutari debere. Nam si ex una parte satis ille quidem, quid sibi ratio dictet, quid bonum publicum requirat, & quid pro animi sui conscientia vere respondendum sit, intelligit: ex altera vero aduersarias amoris & odij acies, exurgere, & tamquam reflantes uentos sibi oris repagula obstruere sentit, ne intima depromat; facile animaduertit humanæ hæc esse miseriæ commenta, & fallaces, latentesq. dæmonis laqueos, ne illud dicatur, aut consulatur, quod sana C mens exigit, & publici muneris susceptum onus postulat, obijciens illi damna multa quæ libere loquendi faciles incurret. Tum igitur prodita, ac detecta illius fraude, atque insidijs, non erit difficile ex illis, Deo iuuante, euadere, si Consiliarius memoria repetat, se eo in loco sedere, non priuata, sed publica agentem, non sua, sed quæ aliorum sunt quærentem, non quod sibi, sed quod multis, ut ait Apostolus, utile sit futurum, procurantem: & quod S. Ambrosius scripsit: *In Sacerdote nihil tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non libere loqui.* [a]

[a] S. Ambros. lib. 7 epist. 29. ad Theodos. Imperat.

QVARE hac plenus cogitatione, omnia tamquam ex superiore D loco respicere incipiet, ac fretus conscientia, & Deo placendi desiderio, & Reipublicæ tuendæ, ac propagandæ cupiditate, nihil non verax, & iustum, nihil assentationis causa, aut in alicuius gratiam, quod non deceat, nihil quod Sedis Apostolicæ, sacriq. Collegij dignitati non congruat, nihil denique quod a Senatoris ore, qui muneris recte præstiti Deo rationem se redditurum esse meminerit, nō debeat proficisci, sibi vmquam respondendum, aut affirmandum esse statuet; ac cauebit quidem, præeunte Dei timore, cum lapsus linguæ valde sit extimescendus, ne cum hac libertate quidquam ei,

A quod non grauiter, prudenterq. dictum ſit, excidat: immo tamquam funambulus in ſublimi poſitus, attente omnia circumſpiciet [a], atq. vniuerſa, quæ ſinceram loquendi libertatem contaminare poſſunt, a ſapientibus etiam viris tradita, diligenter obſeruare curabit [b].

a S. Nazian. in Apologet. de fuga.
b Volater lib. philolog 28. c de loq libert.

POSTEA cum dicere incipiet, animaduertet, more maiorum receptum eſſe, ut gradu priores, ſicut alios dicendo præcunt, ſic tamquã maiore rerum vſu præditi, latius aliquid reſponſionibus ſuis complectantur, cauſas excutiant, ac poſterioribus ad dicendum viã præparent: iuniores, & qui præſertim ab eodem Pontifice ad Cardinalitiam dignitatem ſunt aſſumpti, paucioribus agant: hoc tamen B non ita perpetuum eſſe, quin ſeniori ſecus interdum ex cauſa facere liceat, & iunior, vbi euidens ratio poſtulauerit, etiam alijs tacentibus, plura loqui debeat.

Diximus alia ſup in q 38.

QVANDO igitur ad reſpondendum aggredietur, id primum ſecum cogitare debebit, an res propoſita digne probanda, aut improbanda videatur: Nam ſi probanda tunc, quia interdum etiã ſummi Pontificis ſapientiam, ac vigilantiam decet commendare, ſufficiet, id aliquibus ex antiquioribus Cardinalibus, citra tamen omnem adulationis ſuſpicionẽ, nomine omnium fieri: res vero ipſa, quantũ illius ſtatus patietur, eo modo, quo aliàs diximus, [c] erit cõfirmanda. Quòd C ſi improbanda, tunc meminiſſe oportebit, quòd ſicuti non niſi ſumma cum reuerentia, & modeſtia ergo Principem eſt loquendum: ſic quando grauitas cauſæ poſtulabit, curandum erit, vt conſilium ſuum parem referat dicendi fiduciam, ſynceræq. mentis conſtantiã, modo placide diſſentiẽdo, modo dubitando, ſi vere dubitet: interdũ etiam obſecrando, & ſe in ſinum parentis filiali charitate, ac reuerentia proijciendo. In ſumma partes illus erunt in dicenda ſententia, tum ſe fidelem Conſiliarium Principis, tum verum ſui ipſius iudicẽ profiteri, oſtendendo ſcilicet non obſcure, ſi negotij illius diffinitio ad ſe proprie tamquam ad iudicem, aut Principem pertineret, ita ſine D dubitatione ſe facturum fuiſſe, ſed poſtquam tamquam Conſiliarius ibi ſedet, hoc ſe conſilium qualecumque ſit, ex animi tamen conſcientia præbere; hæcq. omnia publico Eccleſiæ bono ſibi ante oculos ſemper propoſito, adeo pure, ſyncere, & candide proferat, ut omiſſis digreſſionibus, & cæteris, quæ ad rem, de qua agitur, non pertinent, nihil captioſe, nihil inuolute, nihil in vtramque partem artificioſe, ſed uniuerſa ordinatim, perſpicue, claraq. & graui voce, quæ ab omnibus audiatur, pronuncientur, ita ut ſeipſum non ſolum pium, ac iuſtum, ſed etiam maxime prudentem & ſtrenuum, atque boni communis amantem oſtendat.

c In q. 37.

QVOD

Quod si eorum, qui ante dixerunt, sententia placebit, licitum erit, eandem breuibus, atque honorificis verbis subsequi, nisi quid amplius fuerit addendum: quòd si efficax ratio ad dissentiendum impulerit, id nihilominus placidissimo orationis genere, & quo maiore licebit honoris indicio sic erit agendum, vt si quis consilium eius non sequatur, probet affectum. Ipse vero ex Innocentij Papæ decreto metiatur, quid liceat secundum iustitiam, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundũ vtilitatem, [a] ita tamen, vt quando cum ratione affectus quodam modo pugnare videtur, tunc non pietatis gustum, sed rationis ductum præcipue sequatur: quod olim sapientes multos, ac inter cæteros virum religiosissimũ, ac prudentissimum in alijs rebus obseruasse legimus. [b] Illud præterea curare debebit, ut in pari causa ad misericordiam magis, quàm ad seueritatem, ad pacem, quàm ad bellum, ad dandum, quàm ad accipiendum, oratio eius deflectat, minime a vultu Principis, quod ille dixit, sed a ueritatis, iustitiæ, & Dei lege, consilia sua assumens, nec nimio iuuandi studio, seu plusquam decet, se officiosum in rebus tuendis ostendens, ita vt aduersus dignitatis suæ decorum, ac Lateranensis Concilij decretum committat; [c] sed ea perpetuo dicendi dexteritate vtatur, ut cum loquitur, se subditum, non Prælatum: discipulnm, non magistrum: Consiliarium, non censorem ostendat: numquam tamen iustitiæ, veritatis, ac fidei officium deserens, sed certa pro certis, dubia pro dubijs, ignota pro ignotis denunciare non erubescens, id semper quod maiorem Dei gloriam, & Ecclesiæ catholicæ incrementum præseferre videtur, tamquam Apostolicus vir, cæteris rebus anteponat.

a c quanto, in princ. de voto.

b P. Io Petrus Maffeius. in vita P. Ignatij Institutor Ordinis Iesuit. c. 10. lib. 3.

c Sub Leone X sess 9 tit. de Card.

VIII.

Post dictas sententias ab omnibus Cardinalibus quid obseruandum.

Latis suffragijs a singulis Cardinalibus, Consistorioq. absoluto, solent Cardinales aliqui vna congredi, ac tũ de causis propositis, tũ alijs de rebus, familiarẽ inter se sermonẽ habere. Propterea noluimus nos prætermittere, quod Plinius Senator se obseruare solitum fuisse tradit. Nã in epistola ad Aristonẽ inter multa, quæ recenset non aliena, quæ a Senatoribus quoque nostris legantur, hęc scribit: *Cum sis peritissimus, & priuati iuris, & publici, cuius pars Senatorium est, cupio potissimũ ex te audire, errauerim in Senatu proxime necne, non vt in præteritum (serum enim) verum vt in futurum, si quid simile inciderit, erudiar.* [d] Cuius exemplo existimaremus, eo magis Cardinales nostros, qui actiones suas Deo probatas esse cupiunt, & illos pręsertim, qui in causis publicis nõ adeo sunt exercitati, in eo operã suam ponere debere, vt fidos aliquos, ac selectos Cardinales

d Plin. l. epist. 14 ad Aristonẽ. in prin.

A dinales haberent, a quibus syncere si quid opus esset admonerentur. quod munus vere Christianum esse, ac laude dignum, non est dubitandum, cum ipsemet Saluator noster æterni Patris sapientia, licet nullius indigeret consilio, ad nostram tamen institutionem, vt sancti Patres adnotarunt,[a] ab Apostolis suis aliquando petierit: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et deinde, *Vos autem quem me esse dicitis?* Hoc enim non curiositatem, quæ est aliorum facta ad se non attinentia scrutari, sed sapientiæ argumentum illius uiri præbet, qui studium suum in vita recte componenda, moribusq. suis indagandis impendit, ne a norma diuinæ legis deficiat, ac præcipue vt B vocationis suæ munus, sic vt oportet, implere valeat.

a Auct. oper. imperfect in S. Matt hom. 78 S. Aug. tract. 102 in S Ioã. & in Psal. 109
b Matt. 16.

QVAPROPTER, si Consiliarius hæc obseruare quæ diximus diligenter assuescet, non dubitamus, quin magnum ex eo modestiæ documentum sit daturus: sed & illud lucrifaciet, quod multo facilius se ab aliorum, qui dixerunt, sententijs, siue erratis quoquomodo arguendis abstinebit: considerans præsertim, quòd exemplo locorum, vbi olim vela prætendebantur Regia; [c] sic sacri Consistorij maiestas, quo summi Principis Consiliarij, ijdemq. lectissimi viri conueniunt, inuiolabile omnibus patrocinium præbere debet; ita vt nemo ad priuatas indignationes ea, quæ ibi acciderunt, transferat, C præsertim uero cum id etiam fraternum dignitatis vinculum, ac venerabilis Collegij huius societas iure suo postulare videatur.

c l. 2 C. vt nemo priuat. S Amb lib 5 epist. 23. Alciat Parerg. lib. 5. c. 13.

I X.

DIMISSO CONSILIO, cum moris sit Cardinales a familiaribus, atque alijs multis officij causa domum reduci, interimq. de rebus in Consistorio gestis magno studio interrogari, meminisse eos oportet, quædam esse, quæ ex Lateranensi Concilio tamquam sanctiora ita summo Pontifice mandante, nullatenus alijs sunt promenda. Quod olim etiam in consilijs tum Græcorum, tum Romanorum caute admodum obseruatum esse legimus, ut scilicet quæ ibi D tractata essent, arcano silentio comprimerentur, nefasq. haberetur ea diuulgare. [d] Vnde & prouerbium illud fluxit, Areopagita taciturnior: & Romana Senatusconsulta tacita vocabantur, [e] eo quòd taciturnitas, consiliorum quasi thesaurus censeretur. Quod quidem & ad ea maxime pertinere solet, quæ damnum, scandalum, iniuriamve aliis irrogare possint: sunt enim hæc omnia propria eorum vi, ac natura pariter secreti sigillo obtegenda. Quędam vero sunt, quæ interdum sciri publice expedit, ut quæ morum reformationem, religionis amplificandæ studium, summi Pontificis vigilantiam testatam reddant, quæ prudenter narrata plurimum ædificare alios solent.

Dimisso consilio, quid reliquum sit.

d Val Max lib. 2. c 1. & 2.
e Capitol. in vita Gordianorum Alex. ab Alex Dier. Genial. lib. 4. c. 11.

solent. Sunt & alia præclare dicta, aut facta amplissimorum Præsulum, quæ iure suo postularent, ut alijs aliquando innotescerent, ac debitum illorum virtuti testimonium redderetur. Verum quoniam hæc tum ratione ipsius Consistorij, quod silentium quoddam in rebus ibi tractatis requirit, tum etiam quoniam in eis denunciandis potest aliquando peccari, dum vel ita aliquorum merita extolluntur, vt reliquorum fama obscurior relinquatur, vel adeo frigide laudantur, ut potius deprimi videantur, magnaq. in his ut decet enarrandis dexteritate, & prudentia opus sit; propterea scimus sapientibus multis illos probari magis, qui huiusmodi sermonum vela contrahunt, ac se in portum silentij recipiunt. Quam tamen nos vti perpetuam regulam minime omnibus præscribendam esse, sed sermonis quidem breuitatem cum magna circumspectione coniunctam, commendari posse censemus. A B

Post hæc, vbi Consiliarius solutiore animo in cubiculo suo secum quæ gesta fuerint repetere, ac cogitatione expendere inchoabit, duo nobis inter cætera occurrunt, quæ illi in memoriam redigenda esse ducimus.

Primum est, vt si qua fortasse alicuius ponderis, temporis angustijs, aut negotiorum multitudine, siue etiam obliuione, aut quacumque alia de causa senserit fuisse prætermissa, quæ ab eo explicari oportebat, nullatenus patiatur ea apud seipsum interire, sed cum primum opportune ei licuerit, dum res adhuc sit integra, illa etiam extra Consistorium sibi supplenda, ac in aures Principis reponenda esse sciat. Nam cum aliàs conclusum a nobis fuerit, [a] teneri vnumquemque Cardinalem, etiam nō requisitum, ex natura officij sui, vbi res postulat, Papæ consilia sua vere, & fideliter subministrare, quāto magis id ei incumbet, qui illud, cum oportuit, ac rogatus fuit, prout debuit, non pręstitit? Immo hac occasione addimus, Consiliarium, cum publicam personam gerat, non solum in Senatu, sed etiā extra Senatum, si viderit Rempublicam indigere, sententiam suam semper Principi aperire debere. nec enim verum est, quia Princeps eum non accersit, nec in consilium tunc adhibet, illum ideo omni obligatione solutum esse: siquidē laboranti Reipublicæ manum nullam porrigere, nec excitare seipsum ad loquendum, suadendū, admonendumve Principē qua decet modestia, pietate, & reuerentia; propterea quod Consistorium non indicatur, aut Princeps illū priuatim non consulat, non est certe iusta boni Consiliarij excusatio, cum ille non solū Papæ, sed & sanctæ Sedis, sit Consiliarius. Verum id quidē est, Cardinalem nonnullis casibus extra Consistoriū non ita obstringi, prout C D

a In quæst. 6.

cum

A cum in Consistorio eiusdem sententia exquiritur: & prӕterea multa consideranda se afferre extra Consistorium, quӕ in Consistorio non oporteret, vt patet ex ijs, quӕ alias sunt disputata. Vnde magni refert quales sint Cardinales mores, ingenium, atque apud summum Pontificem existimatio, & alia eius generis, quӕ tanti sunt ponderis, vt aliquando in eodem negotio alter obstringatur ea extra Consistorium ad principem deferre: alter vero ad id minime teneatur. Cõstat item aliquos esse, qui vexantur scrupulis, vnde omnia illis magna videntur: aliquos vero, qui nihil referre eadem putant, aut nullam existimant esse proficiendi spem, ideo facile ab omni sermone se abstinent.
B Propterea, cum certa in his regula prӕfiniri non possit, id tantum admonendum esse duximus, cauendum maxime, ne quis interdum recti specie decipiatur, & salubrem rei bene gerendӕ occasionem inani suspicione aliquando prӕtermittat: accidit enim sӕpe, vt nonnulli se nihil suffragaturos esse, sibi iniuste persuadeant, qui valde prodessent, si loquendi occasionem congrue captarent. Ideo prius intimos animi sui sensus Cardinalis perscrutetur, vt vere digno sciat quid illud sit, quod eum ab huiusmodi officio omnino retardare possit, ne forte hӕc humana sit imbecillitas, quӕ Principis gratiam in suum, suorumve vsum amittere metuens, nolit, se periculo Principis
C aures perturbandi, illiusque beneuolentiam minuendi, exponere, quandoquidem cessante cupiditate, tuta sunt omnia: & vt dici solet, qui non sperant, non timet.

VNDE sicut scripsit Hostiensis grauissimus auctor,[a] quem ijsdem verbis sequitur Ioannes Andreas, loquens de Papa, qualis esse debeat erga Cardinales: *Quod parum, aut nihil decet, Papam facere sine consilio fratrum suorum,*[b] sic vicissim dicimus, decere, & Cardinales ipsos ita se gerere erga Papam, ne quidquam omnino, quod publice prodesse possit, omittant, aut vmquam ei abscondant.

ALTERVM, in quo Consiliarius operam ponere debet, illud
D est, vt non solum hӕc meditari studeat, quӕ Papӕ sint deferenda, sed etiam ab alijs eadem inuestigare curet, vt si quid per Vrbem de rebus in Consistorio gestis, quod scire expediat, circumferatur, id quoque ipsi perspectum sit. Nam etsi uitium illud, quod curiositatis dicitur, Cardinali maxime est fugiendum, eò quòd inter cetera, quę inde sequuntur mala, in scrutandis aliorum factis inutiliter uersetur,[c] quo morbo laborasse Athenienses S. Lucas in actib. Apostolorum tradit dum ait: *Ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid noui,*[d] Vnde & Plutarchus egregium libellum scripsit aduersus curiositatem,[e] quӕ & a sanctis Patribus damnatur.[f]

a Host. c. antiqua, de priuileg col. 2.

b Ioan. And. d. c antiqua.

c S Tho 2. 2. q. 167. per totum S. Antonin 2 par. tit. 3. c 3.

d Luc. 17.

e Plutarch. de curios vitand.

f S. Hierony. ad Damas de fil prodig S. Aug lib. 10. confes c 35 S. Greg. homil. 39. in S. Luc. cap. 14.

ATTA-

ATTAMEN, quando huiusmodi inuestigatio, debita moderatione adhibita, ad ea dirigeretur, quæ officij sui sunt, & vnde publica vtilitas possit adiuuari; tantum abest, vt tunc sit arguenda, vt potius commendationem mereatur, [a] ac in munere suo præstando vigilantium ostendat; præsertim cum Cardinales tamquam Sedis Apostolicæ Senatores permulta cognita habere expediat, quæ alijs non sunt necessaria; dum tamen ad hunc finem, vt publicis rebus consulatur, ac Sedi Apostolicæ seruiatur, ista omnia prudenter inuestigentur, & exerceantur A

a S. Tho. 2.2. q. 167. art. 1. & 2.

X.

Quæ partes sint veri Cardinalis in tota eius vita ex S. Bernardo.

POSTREMO, vt, quæ supra diximus, eo tenacius Cardinalis menti inhæreant, ac reliquas vitæ suæ actiones ad summam quam sustinet gradus excellentiam eo certius valeat instituere, placuit præclaris illis S. Bernardi verbi, tanquam sacro sigillo, vniuersa obsignare, ac simul scriptionem nostram ad Dei Omnipotentis, ac gloriosæ Virginis laudem terminare. B

SANCTVS igitur BERNARDVS ad Eugenium Papam de Cardinalium disciplina scribens, quos vocat suos collaterales, & coadiutores, inter cetera sic inquit: [b] *Præter Dominum timeant nihil, nihil sperent nisi a Deo. Qui aduentantium non manus attendant, sed necessitates. Qui flent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro mãsuetis terræ. Qui sint cõpositi ad mores, probati ad sãctimoniã parati ad obedẽtiã, mansueti ad patiẽtiã, subiecti ad disciplinã, rigidi ad censuram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad vnitatem. Qui sint in iudicio recti, in consilio prouidi, in iubẽdo discreti in disponẽdo industrij, inagẽdo strenui, in loquẽdo modesti, in aduersitate securi, in prosperitate deuoti, in zelo sobrij, in misericordia non remissi, in otio non otiosi in hospitio non dissoluti, in conuiuio nõ effusi, in cura rei familiaris non anxij, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, vbiq; & in omnibos circũspecti. Qui legatione pro Christo fungi, quoties opus erit, nec iussi renuant, nec nõ iussi affectẽt. Qui quod verecũde excusant, obstinatius non recusent. Qui missi post aurũ non eant, sed Christũ sequantur, Qui quæstũ legationẽ non æstiment, nec requirant datũ, sed fructũ. Qui Regibus Ioãnẽ exhibeãt, Aegyptijs Moysen, fornicãtib. Phinees, Eliã idololatris. Eliseũ auaris, Petrũ mẽtiẽtib. Paulũ blasphemãtib. negotiantib. Christũ. Qui vulgus nõ spernãt, sed doceãt, diuites nõ palpẽt, sed terreant; pauperes nõ grauẽt, sed foueãt; minas Principũ nõ paueãt sed cõtẽnãt. Qui nõ cũ turba intrẽt, nec cũ ira exeant, qui Ecclesias nõ spolient, sed emẽdẽt. Qui marsupia nõ exhauriãt, sed corda reficiant,* C D

b S. Bernard. li. 4 de consid.

A *reficiant,& crimina corrigant,famæ prouideant ſuæ, nec inuideant alienæ. Qui orandi ſtudiũ gerant,& vſum habeant, ac de omni re orationi plus fidant,quã ſuæ induſtriæ,vel labori. Quorũ ingreſſus pacificus,non moleſtus exitus ſit. Quorũ ſermo ædificatio, quorũ vita iuſtitia,quorum præſentia grata quorũ memoria in benedictione. Qui ſe amabiles præbeant, non verbo, ſed opere: reuerendos exhibeant,ſed actu non faſtu. Qui humiles cũ humilibus, & cũ innocentibus innocentes,duros dure redarguant,malignantes coerceant, red dãt retributionẽ ſuperbis. Qui nõ de dote viduæ,& patrimonio. Crucifixi,ſe,vel ſuos ditare feſtinent,gratis dantes, quod gratis acceperunt,gratis facientes iudiciũ,iniuriã patiẽtib. vindictã in nationib. increpatiões in populis.* Et paulo poſt: *Qui ad te redeãt fatigati quidẽ, ſed nõ ſuffarcinati,ſimul et gloriãtes,nõ q̃d curioſa ſeu pretioſa quæq; terrarũ attulerint, ſed quod reliquerint pacẽ Regnis, legẽ Barbaris, quietẽ Monaſterijs, Eccleſijs ordinẽ, Clericis diſciplinã, Deo populũ acceptabilẽ,ſectatorẽ bonorũ operũ.* Hactenus ſanctus Bernardus.

HÆC HABVI, quæ de ſacri Conſiſtorij Conſultationibus vtcumque diſſererem, atque alijs etiam, oblata opportunitate, communicanda curarem; non quidem tamquam argumentum aliquod ingenio meo nunc primum inuentum, aut propriæ induſtriæ viri-

C bus excogitatum; ſed potius, vt rem magnam ex parte a multis iam diu cognitam,ac maiorum etiam probatam inſtituto proferrem. Nã cum vniuerſa hæc longe,lateq. diſperſa,ac permixte,confuſeq. diſtracta perſpicerem,operæ pretium viſum eſt,ſi nouiſſimus ego, ampliſſimorum,& eruditiſſimorum virorum opera adiutus, eadem in vnũ colligere, atque ordine aliquo contexta, depromere conarer, vt eò clarius,ſi fieri poſſet,ſuo tempore,omnium oculis paterent. Quare nemo exiſtimet,iniuſtam aliquam hoc nomine nos laudem affectare,quod primi harum ſententiarum auctores agnoſci velimus: immo enim,ſi quid hic verum,ac non incommode dictum inueniatur,illud

D non humano cuiuſuis ingenio, ſed Deo omnis veritatis auctori, vt ſcripſit S. Auguſtinus, omnino,vt par eſt, adſcribendum putamus. Si vero mendum aliquod,aut erratum inciderit,id noſtræ imbecillitati tribuendum cenſemus, cuius a cæleſti miſericordia veniam humiliter precamur. Ille igitur,qui fons perennis eſt omnis conſilij,doctrinæ, ſapientiæ, & veritatis, eadem gratiæ ſuæ dona, pro eximia ſua benignitate,in noſtrum omnium animis,quos ipſe Sedis Apoſtolicæ Conſiliarios delegit,purius, & abundantius ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ robur,ac firmamentum defigere dignetur.

DEO HONOR, ET GLORIA.

publicam voluntatem, publicam scientiam, publicamq. omnino A
personam induere profitebitur. Post hæc, locum ingressus, memor erit, Thebanos Senatũ ita pingere consueuisse, vt grauissimos quosdam homines, & aspectu venerabiles formarent, qui in hemicyclis sedentes, ante altaria eorum, quos vocabant Deos, essent, nullasq. omnino manus haberent, atque in eorũm medio etiam ipse Princeps oculis captus, sederet, vt indicarent nimirum, vniuersum Senatorum consessum ab omni prorsus amore, odio, commodo, affectuq. priuato quàm longissime abesse debere.[a]

a Alciat. in Emblem.

Atque hæc quidem veteres, quæ ad iustitiæ, atque integritatis decus videbantur pertinere. Verum multo sanctiore, ac religiosiore B
animi proposito Consiliarium nostrum sacra vndique mysteria referentem, Consistorium introire oportet. Nam in primis in venerabilem illum, augustumq. thronũ, in quo SANCTISS. CHRISTI VICARIVS, totius Catholicæ Ecclesiæ caput, & summus Princeps plenus maiestate considere solet, aspectum suam diriget, ac fixis oculis, tamquam in thronum, quem vidit Daniel,[b] in quo sedebat senex ille antiquus dierum, aut potius veluti in tremendum illud Dei tribunal intuebitur, ad quod cum vniuersi sistendi sint, & singulorum facta recensenda, secum cogitare debebit, an aduenien- te nouissimo illo die, ipse tacuisse dum consilium ab eo exquireret C
pontifex, aut quid aliud suasisse mallet. Postremo antequam Papa in Aulam descendat, aut causas ex more ad Cardinalium Collegium referre incipiat, conueniet maxime, eum a senioribus, seu alijs sui ordinis vsu peritis seorsum sciscitari, quid illi præsenserint eo die cõsultandum, quæ eorum sit sententia aut quid alijs dicendum sint suasuri, hæcq. deinde secum diligenter expendere, atque pro temporis spatio ad dicendum, & recta, ac recte consulendum dato, se accurate præparare oportebit.

b Dan. 7.

V.

Cũ summus Pontifex causas consultãdas proponit.

INDE cum Papa in sacrum solium suum ascenderit, antequam D
palam coram Senatu sermonem habere, & res consultandas proponere incipiat, veterem a maioribus acceptam consuetudinem esse scimus, vt prius singulos Cardinales gradatim, & seorsum audiat, qui aut commissa sibi antea a Papa negotia, vel in Congregationibus acta referunt, aut cum Religionum, & Prouinciarum, seu Collegiorum sint protectores, ea renunciant, quæ ad eorum munus pertinent, siue alijs de rebus priuatis agunt pro rerum, temporum, personarumve necessitate, quæ quidem dum geruntur, grauitatis erit, Cardinalem non huc, aut illuc digredi, nec facile loco suo vbi sedet,

A det, niſi vrgente non leui cauſa dimoueri. Ipſa vero priuata ſingulorum cum Papa congreſſio, vtilitatem magnam ad multiplicia negotia expedienda ſolet afferre, modo ne nimium protrahatur, & tẽpus plublici negotijs conſultandis deſtinatum, priuatis occupetur. Nam cum hæc Conſiſtorialis actio ad res præcipue cum toto Senatu tractandas fuerit inſtituta, videmus maiores noſtros adeo huius moris retinendi ſtudioſos fuiſſe, vt ſi quando accideret, eo ipſo tempore, quo indictum fuit Conſiſtorium, nullas eſſe Eccleſias, quæ proponantur, nec legationes quæ expediantur, nec Bullas grauiores promulgandas, nec arduas actiones, aut alia ſe offerre Conſiſtorialia
B negotia, quæ communem Senatorum omnium exigant congreſſum, ſolitos fuiſſe Pontifices, (ne Conſiſtorium quaſi inane, & fruſtra coactum videretur) dare tunc negotium Secretario, ut litteras aliquas a Legatis, ſeu Nuncijs acceptas, aut a Regibus, vel Principibus miſſas, palam recitare, ex quibus occaſionem cum Cardinalibus tractandi accipiebant. Solebant item aliquando de negotijs publicis: de reformatione: de Turcarum incurſionibus: de annona: de muniendis præſidijs: de ſtatu Eccleſiaſtico exonerando: aut de alijs rebus huiuſmodi verba facere, ne dies ſine Conſiſtoriali aliqua tractatione præterijſſe videretur.

C VT igitur ad rem redeamus, quando ſummus Pontifex cauſas aliquas conſultandas, prout moris eſt, proponere exordietur, mirum nemini eſſe debebit, ſi nullam peculiarem orationem ad impetrandam Spiritus ſancti gratiam, quemadmodum in alijs Cardinalium, & Prælatorum Congregationibus religioſe ſeruari ſolet, in Conſiſtorio palam præmitti audiet. Nam cum Conſiſtorium mane haberi ſoleat, ipſeq. Summus Pontifex, & idem Cardinales aut paulo ante fecerint ſacrum, aut ei interfuerint, veriſimile eſt eos tum gerenda negotia, tum ſe ipſos feruenti corde Deo commendaſſe, indeque vnanimi collectos ſpiritu, Deo duce, ab oratione ad Conſiſto-
D rium ſe tranſtuliſſe. Accedit, quòd propter auguſtiſſimam Sanctiſſimi Chriſti Domini Vicarij præſentiam, cui Spiritus ſancti gratia adſiſtere cenſetur, veteri ritu obſeruatum videmus, vt non eadem ceremoniarum ratio ſemper in loco vbi ille adeſt, ac in reliquis ſeruari ſoleat, non vt debitæ deuotionis officio aliquid ſubtrahi intelligatur, ſed ad ſanctioris, & ſecretioris myſterij ſignificationem.

ADDIMVS deinde, relatum eſſe in veterum monumentis, vbi idem Summus Pontifex ſermonem habere inciperet, in magna eius laude poſitum fuiſſe, ſi ipſe pro ſumma ſua ſapientia, & benignitate, ſic orationis ſuæ curſum dirigeret, vt Senatoribus omnibus ad li-

bere, vt decet, respondendum animum adderet, ostendendo prorsus A
nihil sua interesse quomodocumque ab eis suffragia ferrentur, dummodo communi bono, atque Ecclesiæ vtilitati prospiceretur. quod aliàs latius sumus prosequuti. [a]

[a] *In quæst.44.* CONSILIARIVS vero attentissimis auribus omnia debebit excipere, ne eius responsio quidquam aberret, memor, Lycurgum olim constituisse, ne aliquid pictum in loco ad consilia cõstituto appareret, ne Senatorum cogitatio distraheretur, sed tota in rebus deliberandis defigeretur. Posthæc dignum erit optimi Cardinalis pietate, & officio, secum cogitare, nihil a Papa nisi sancta voluntate, ac iuuandi studio propositum fuisse, remq. omnem semper in meliorem partem interpretari, non solum quod scriptum sit, *Cor Regis in manu Dei est,* [b] sed præcipue quòd illi, qui sanctissimus Christi Vicarius est, Spiritum sanctum ad ædificationem fidelium adsistere nõ dubitandum sit. & propterea decebit maxime, vt Pontificis sententiam magnifaciat, nec facile ei sine graui causa, & probabili ratione aduersetur: præsertim quia, cum Principes, tamquam in specula positi, multa perspiciant, quæ oculos inferiorum effugiunt, altioraq. eorum sint consilia, quam vt ab alijs introspici queant, prudentis Cardinalis erit, diligenter animaduertere, ne ad contradicendum inconsulto rapiatur, dum tamen veritatem, & syncere loquendi officium, re poscente, numquam deserat; Immo, cum hoc morbo soleat humana conditio nimis laborare, vt ad Principum studia inclinare omnes cupiant; cautio erit, numquã huius suspicionis Cardinalem obliuisci, sed exemplo veterum Prophetarum, ac sanctorum Patrum, qui præsentibus Regibus Deum etiam tamquam præsentem intuebantur, ac veritatem cum fiducia denunciabant: sic, cum publica causa postulauerit, expulsis perturbationum tenebris, qua decet modestia, & reuerentia sententiam suam libere explicare, vt possit dicere cum Propheta: *Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* [c]

[b] *Prouer.21.*

[c] *Psal.118.*

B C D

VI.

Cum sententias in consistorio exquirere incipit.

REBVS a Papa propositis, cum exquiri Senatorum consilia, eademq. ordine pronunciari incipient, a senioribus vsque ad nouissimos, prout moris est; munus erit Consiliarij, qui partes suas digne præstare cupiet, diligenter obseruare, quid quisque loco suo dicat, quibusve argumentis illud corroboret, non solum vt singulorum quam debet rationem se habere ostendat, sed etiam quia sæpe ex aliorum responsionibus, concepta antea mutatur sententia. Inde quæ ab alijs dicuntur non oblique debebit interpretari, sed in dubio

A bio omnia in meliorem partem: non orationis longitudinem, aut obscuritatem: non linguæ lapsum, aut memoriæ tarditatem in quoquam accusare: non gestu vllo signum præbere, se illa ægreferre, aut ijs audiendis fastidio affici: iuniores etiam, & nouissimos æque ac alios attente auscultare, ex rationibus aliàs a nobis prolatis.[a] Consentaneum quoque erit de omnibus consilia sua proferentibus honorifice sentire, nec facile minoris quemquam, eo quòd breuius, aut longius, aut secus quam alii, responderit, æstimare, Apostoli præceptum sequens, vt *qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet.*[b] Denique cum to B ta hæc Consistorialis actio, coram Principe, & Senatoribus, sit maiestatis plena, prudentiæ erit, Cardinalem summopere anniti, vt dictis, & factis, pari grauitate respondeat, ac priuata colloquia, & quidquid oscitanter factum videri possit, prorsus euitetur.

a In quæst 20

b Rom. 14.

VII.

Nunc illud sequitur, quod in tota hac actione præcipuũ Consiliario esse debet, nempe vt is loco suo, consilium quod ab eo petitur, apte, fideliterq. pronunciet. Ad quod præstandum aliàs diximus, ad diuinam in primis gratiam confugiendum esse, sine cuius auxilio irritus prorsus omnis eius conatus redderetur. Vnde Isaias C dicebat: *Veh filij desertores, vt faceretis consilium, & nõ ex me, & ordiremini telam, & non per spiritũ meum, sperãtes auxilium in fortitudine Pharaonis, quæ erit vobis in confusionẽ.*[c] Quapropter, etsi, quo tẽpore indictum fuit Consistoriũ, debuit Consiliarius diligẽter ad omnia, quæ facienda erunt, se cõparasse, præcipuam in Deo spem collocãdo exemplo Dauidis, qui, cũ Gigante cõgressurus, muniebat se armis, scuto, sed dicere solitum aiunt: *Non in arcu meo speraui, & gladius meus saluabit me;*[d] Attamen nunc rursus videns iam instare horã, qua virtutis specimen in hoc theatro amplissimo sit editurus, debebit intimo corde diuinæ se benignitati committere, quæ ponat D custodiam ori suo, & ostium circumstantiæ labijs suis.

Cũ locus obuenit Cardinali ad consilium suum proferendũ.

c Isa. 30.

d Psal. 43.

Et, quoniam hostis bonarum mentium dæmon, hoc ipso dicendi articulo, quo se Consiliarius ad soluendam linguam accingit, solet multiplici cum vexatione implicare; an scilicet plene omnia, quæ sibi occurrunt, loquatur; an breuiter tantum perstringat; an in aliud tempus differat; an ad maiorem Collegij partem se referat; an Principis sapientiæ id dijudicandum relinquat; an sui ipsius conscientiam seniorum iudicio exoneret, atque alijs huiusmodi ambiguitatibus eum suspensum reddere conatur: Nos, cum hanc animi agitationem frequenter a metu quodam prodire videremus, quem

veteres pessimum consultorē vocabant; ideo sæpe monuimus hunc esse modis omnibus excutiendum, cum certum sit sine loquendi fiducia, nihil a Consiliario prçclarum perfici posse. Quoniam tamen agnoscimus, frequentem hunc esse scopulum, ad quem Consiliariorum nauigia alliduntur, cogimur sæpius hoc argumentum tanquam maxime necessarium, non eisdem tamen, sed alijs, atque alijs rationibus iterare: sicuti enim sanguis per venas in omne corpus diffunditur, & membra, quo ille non peruenit, tamquam emortua putrescunt; sic dicendi libertas nisi in Consiliarij sermones vbique influat, eisq. spiritum præbeat, non solum irriti, atque inutiles, immo noxij sæpe redduntur. A B

QVAMOBREM, ad tollendam eam, quam diximus mentis trepidatiouem existimaremus Consiliariū, in cordis sui latebras introire hac, quid præcipue illud sit, cuius causa animi pedent diligenter scrutari debere. Nam si ex una parte satis ille quidem, quid sibi ratio dictet, quid bonum publicum requirat, & quid pro animi sui conscientia vere respondendum sit, intelligit: ex altera vero aduersarias amoris & odij acies, exurgere, & tamquam reflantes uentos sibi oris repagula obstruere sentit, ne intima depromat; facile animaduertit humanæ hæc esse miseriæ commenta, & fallaces, latentésq. dæmonis laqueos, ne illud dicatur, aut consulatur, quod sana mens exigit, & publici muneris susceptum onus postulat, obijciens illi damna multa quæ libere loquendi faciles incurret. Tum igitur prodita, ac detecta illius fraude, atque insidijs, non erit difficile ex illis, Deo iuuante, euadere, si Consiliarius memoria repetat, se eo in loco sedere, non priuata, sed publica agentem, non sua, sed quæ aliorum sunt quærentem, non quod sibi, sed quod multis, ut ait Apostolus, utile sit futurum, procurantem: & quod S. Ambrosius scripsit: *In Sacerdote nihil tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non libere loqui.* [a] C

a S. Ambros. lib. 7 epist. 29. ad Theodos. Imperat.

QVARE hac plenus cogitatione, omnia tamquam ex superiore loco respicere incipiet, ac fretus conscientia, & Deo placendi desiderio, & Reipublicæ tuendæ, ac propagandæ cupiditate, nihil non verax, & iustum, nihil assentationis causa, aut in alicuius gratiam, quod non deceat, nihil quod Sedis Apostolicæ, sacriq. Collegij dignitati non congruat, nihil denique quod a Senatoris ore, qui muneris recte præstiti Deo rationem se redditurum esse meminerit, nō debeat proficisci, sibi vmquam respondendum, aut affirmandum esse statuet; ac cauebit quidem, præeunte Dei timore, cum lapsus linguæ valde sit extimescendus, ne cum hac libertate quidquam ei, D

quod

A quod non grauiter, prudenterq. dictum sit, excidat: immo tamquam funambulus in sublimi positus, attente omnia circumspiciet [a], atq. vniuersa, quæ sinceram loquendi libertatem contaminare possunt, a sapientibus etiam viris tradita, diligenter obseruare curabit [b].

POSTEA cum dicere incipiet, animaduertet, more maiorum receptum esse, ut gradu priores, sicut alios dicendo præeunt, sic tamquã maiore rerum vsu præditi, latius aliquid responsionibus suis complectantur, causas excutiant, ac posterioribus ad dicendum viã præparent: iuniores, & qui præsertim ab eodem Pontifice ad Cardinalitiam dignitatem sunt assumpti, paucioribus agant: hoc tamen
B non ita perpetuum esse, quin seniori secus interdum ex causa facere liceat, & iunior, vbi euidens ratio postulauerit, etiam alijs tacentibus, plura loqui debeat.

QVANDO igitur ad respondendum aggredietur, id primum secum cogitare debebit, an res proposita digne probanda, aut improbanda videatur: Nam si probanda tunc, quia interdum etiã summi Pontificis sapientiam, ac vigilantiam decet commendare, sufficiet, id aliquibus ex antiquioribus Cardinalibus, citra tamen omnem adulationis suspicionẽ, nomine omnium fieri: res vero ipsa, quantũ illius status patietur, eo modo, quo aliàs diximus, [c] erit cõfirmanda. Quòd
C si improbanda, tunc meminisse oportebit, quòd sicuti non nisi summa cum reuerentia, & modestia ergo Principem est loquendum: sic quando grauitas causæ postulabit, curandum erit, vt consilium suum parem referat dicendi fiduciam, synceræq. mentis constantiã, modo placide dissentiẽdo, modo dubitando, si vere dubitet: interdũ etiam obsecrando, & se in sinum parentis filiali charitate, ac reuerentia proijciendo. In summa partes illus erunt in dicenda sententia, tum se fidelem Consiliarium Principis, tum verum sui ipsius iudicẽ profiteri, ostendendo scilicet non obscure, si negotij illius diffinitio ad se proprie tamquam ad iudicem, aut Principem pertineret, ita sine
D dubitatione se facturum fuisse, sed postquam tamquam Consiliarius ibi sedet, hoc se consilium qualecumque sit, ex animi tamen conscientia præbere; hæcq. omnia publico Ecclesiæ bono sibi ante oculos semper proposito, adeo pure, syncere, & candide proferat, ut omissis digressionibus, & cæteris, quæ ad rem, de qua agitur, non pertinent, nihil captiose, nihil inuolute, nihil in vtramque partem artificiose, sed uniuersa ordinatim, perspicue, claraq. & graui voce, quæ ab omnibus audiatur, pronuncientur, ita ut seipsum non solum pium, ac iustum, sed etiam maxime prudentem & strenuum, atque boni communis amantem ostendat.

a S. Nazian. in Apologet. de fuga.
b Volater. lib. philolog. 28.
c de loq libert. Diximus alia sup. in q. 38.
c In q. 37.

QVOD

Qvod si eorum, qui ante dixerunt, sententia placebit, licitum erit, eandem breuibus, atque honorificis verbis subsequi, nisi quid amplius fuerit addendum: quòd si efficax ratio ad dissentiendum impulerit, id nihilominus placidissimo orationis genere, & quo maiore licebit honoris indicio sic erit agendum, vt si quis consilium eius non sequatur, probet affectum. Ipse vero ex Innocentij Papæ decreto metiatur, quid liceat secundum iustitiam, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundũ vtilitatem, [a] ita tamen, vt quando cum ratione affectus quodam modo pugnare videtur, tunc non pietatis gustum, sed rationis ductum præcipue sequatur: quod olim sapientes multos, ac inter cæteros virum religiosissimũ, ac prudentissimum in alijs rebus obseruasse legimus. [b] Illud prætera curare debebit, ut in pari causa ad misericordiam magis, quàm ad seueritatem, ad pacem, quàm ad bellum, ad dandum, quàm ad accipiendum, oratio eius deflectat, minime a vultu Principis, quod ille dixit, sed a ueritatis, iustitiæ, & Dei lege, consilia sua assumens, nec nimio iuuandi studio, seu plusquam decet, se officiosum in rebus tuendis ostendens, ita vt aduersus dignitatis suæ decorum, ac Lateranensis Concilij decretum committat; [c] sed ea perpetuo dicendi dexteritate vtatur, ut cum loquitur, se subditum, non Prælatum: discipulnm, non magistrum: Consiliarium, non censorem ostendat: numquam tamen iustitiæ, veritatis, ac fidei officium deserens, sed certa pro certis, dubia pro dubijs, ignota pro ignotis denunciare non erubescens, id semper quod maiorem Dei gloriam, & Ecclesiæ catholicæ incrementum præseferre videtur, tamquam Apostolicus vir, cæteris rebus anteponat.

a c quanto, in princ de voto.

b P. Io Petrus Maffeius. in vita P. Ignatij Institutor Ordinis Iesuit c. 10. lib. 3.

c Sub Leone X sess 9 tit. de Card.

VIII.

Post dictas sententias ab omnibus Cardinalibus quid obseruandum.

Latis suffragijs a singulis Cardinalibus, Consistorioq. absoluto, solent Cardinales aliqui vna congredi, ac tũ de causis propositis, tũ alijs de rebus, familiarẽ inter se sermonẽ habere. Propterea noluimus nos prætermittere, quod Plinius Senator se obseruare solitum fuisse tradit. Nã in epistola ad Aristonẽ inter multa, quæ recenset non aliena, quæ a Senatoribus quoque nostris legantur, hęc scribit: *Cum sis peritissimus, & priuati iuris, & publici, cuius pars Senatorium est, cupio potissimũ ex te audire, errauerim in Senatu proxime necne, non vt in præteritum (serum enim) verum vt in futurum, si quid simile inciderit, erudiar.* [d] Cuius exemplo existimaremus, eo magis Cardinales nostros, qui actiones suas Deo probatas esse cupiunt, & illos pręsertim, qui in causis publicis nõ adeo sunt exercitati, in eo operã suam ponere debere, vt fidos aliquos, ac selectos Cardinales

d Plin. epist. 14 ad Aristonẽ. in prin.

A dinales haberent, a quibus syncere si quid opus esset admonerentur. quod munus vere Christianum esse, ac laude dignum, non est dubitandum, cum ipsemet Saluator noster æterni Patris sapientia, licet nullius indigeret consilio, ad nostram tamen institutionem, vt sancti Patres adnotarunt, [a] ab Apostolis suis aliquando petierit: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et deinde, *Vos autem quem me esse dicitis?* Hoc enim non curiositatem, quæ est aliorum facta ad se non attinentia scrutari, sed sapientiæ argumentum illius uiri præbet, qui studium suum in vita recte componenda, moribusq. suis indagandis impendit, ne a norma diuinæ legis deficiat, ac præcipue vt B vocationis suæ munus, sic vt oportet, implere valeat.

a Auct. oper. imperfect in S. Matt hom. 78 S. Aug. tract. 102 in S Ioã. & in Psal. 109 b Matt. 16.

Qvapropter, si Consiliarius hæc obseruare quæ diximus diligenter assuescet, non dubitamus, quin magnum ex eo modestiæ documentum sit daturus: sed & illud lucrifaciet, quod multo facilius se ab aliorum, qui dixerunt, sententijs, siue erratis quoquomodo arguendis abstinebit: considerans præsertim, quòd exemplo locorum, vbi olim vela prætendebantur Regia; [c] sic sacri Consistorij maiestas, quo summi Principis Consiliarij, ijdemq. lectissimi viri conueniunt, inuiolabile omnibus patrocinium præbere debet; ita vt nemo ad priuatas indignationes ea, quæ ibi acciderunt, transferat, C præsertim uero cum id etiam fraternum dignitatis vinculum, ac venerabilis Collegij huius societas iure suo postulare videatur.

c l. 2 C. vt nemo priuat. S Amb lib 5 epist. 33. Alciat Parerg. lib. 5. c. 13.

I X.

Dimisso consilio, cum moris sit Cardinales a familiaribus, atque alijs multis officij causa domum reduci, interimq. de rebus in Consistorio gestis magno studio interrogari, meminisse eos oportet, quædam esse, quæ ex Lateranensi Concilio tamquam sanctiora ita summo Pontifice mandante, nullatenus alijs sunt promenda. Quod olim etiam in consilijs tum Græcorum, tum Romanorum caute admodum obseruatum esse legimus, ut scilicet quæ ibi D tractata essent, arcano silentio comprimerentur, nefasq. haberetur ea diuulgare. [d] Vnde & prouerbium illud fluxit, Areopagita taciturnior: & Romana Senatusconsulta tacita vocabantur, [e] eo quòd taciturnitas, consiliorum quasi thesaurus censeretur. Quod quidem & ad ea maxime pertinere solet, quæ damnum, scandalum, iniuriamve alijs irrogare possint: sunt enim hæc omnia propria eorum vi, ac natura pariter secreti sigillo obtegenda. Quędam vero sunt, quæ interdum sciri publice expedit, ut quæ morum reformationem, religionis amplificandæ studium, summi Pontificis vigilantiam testatam reddunt, quæ prudenter narrata plurimum ædificare alios solent.

Dimisso consilio. quid reliquum sit.

d Val Max lib. 2. c 1. & 2. e Capitol. in vita Gordianorum Alex. ab Alex Dier. Genial lib. 4. c. 11.

solent. Sunt & alia præclare dicta, aut facta amplissimorum Præsulum, quæ iure suo postularent, ut alijs aliquando innotescerent, ac debitum illorum virtuti testimonium redderetur. Verum quoniam hæc tum ratione ipsius Consistorij, quod silentium quoddam in rebus ibi tractatis requirit, tum etiam quoniam in eis denunciandis potest aliquando peccari, dum vel ita aliquorum merita extolluntur, vt reliquorum fama obscurior relinquatur, vel adeo frigide laudantur, ut potius deprimi videantur, magnaq. in his ut decet enarrandis dexteritate, & prudentia opus sit; propterea scimus sapientibus multis illos probari magis, qui huiusmodi sermonum vela contrahunt, ac se in portum silentij recipiunt. Quam tamen nos vti perpetuam regulam minime omnibus præscribendam esse, sed sermonis quidem breuitatem cum magna circumspectione coniunctam, commendari posse censemus.

Post hæc, vbi Consiliarius solutiore animo in cubiculo suo secum quæ gesta fuerint repetere, ac cogitatione expendere inchoabit, duo nobis inter cætera occurrunt, quæ illi in memoriam redigenda esse ducimus.

Primvm est, vt si qua fortasse alicuius ponderis, temporis angustijs, aut negotiorum multitudine, siue etiam obliuione, aut quacumque alia de causa senserit fuisse prætermissa, quæ ab eo explicari oportebat, nullatenus patiatur ea apud seipsum interire, sed cum primum opportune ei licuerit, dum res adhuc sit integra, illa etiam extra Consistorium sibi supplenda, ac in aures Principis reponenda esse sciat. Nam cum aliàs conclusum a nobis fuerit, [a] teneri vnumquemque Cardinalem, etiam nō requisitum, ex natura officij sui, vbi res postulat, Papæ consilia sua vere, & fideliter subministrare, quāto magis id ei incumbet, qui illud, cum oportuit, ac rogatus fuit, prout debuit, non pręstitit? Immo hac occasione addimus, Consiliarium, cum publicam personam gerat, non solum in Senatu, sed etiā extra Senatum, si viderit Rempublicam indigere, sententiam suam semper Principi aperire debere. nec enim verum est, quia Princeps eum non accersit, nec in consilium tunc adhibet, illum ideo omni obligatione solutum esse: siquidē laboranti Reipublicæ manum nullam porrigere, nec excitare seipsum ad loquendum, suadendū, admonendumve Principē qua decet modestia, pietate, & reuerentia; propterea quod Consistorium non indicatur, aut Princeps illū priuatim non consulat, non est certe iusta boni Consiliarij excusatio, cum ille non solū Papæ, sed & sanctæ Sedis, sit Consiliarius. Verum id quidē est, Cardi nalem nonnullis casibus extra Consistoriū non ita obstringi, prout

cum

[a] In quæst. 6.

A cum in Conſiſtorio eiuſdem ſententia exquiritur: & prætereа multa conſideranda ſe afferre extra Conſiſtorium, quæ in Conſiſtorio non oporteret, vt patet ex ijs, quæ alias ſunt diſputata. Vnde magni refert quales ſint Cardinales mores, ingenium, atque apud ſummum Pontificem exiſtimatio, & alia eius generis, quæ tanti ſunt ponderis, vt aliquando in eodem negotio alter obſtringatur ea extra Conſiſtorium ad principem deferre: alter vero ad id minime teneatur. Cōſtat item aliquos eſſe, qui vexantur ſcrupulis, vnde omnia illis magna videntur: aliquos vero, qui nihil referre eadem putant, aut nullam exiſtimant eſſe proficiendi ſpem, ideo facile ab omni ſermone ſe abſti-
B nent. Propterea, cum certa in his regula præfiniri non poſſit, id tantum admonendum eſſe duximus, cauendum maxime, ne quis interdum recti ſpecie decipiatur, & ſalubrem rei bene gerendæ occaſionem inani ſuſpicione aliquando prætermittat: accidit enim ſæpe, vt nonnulli ſe nihil ſuffragaturos eſſe, ſibi iniuſte perſuadeant, qui valde prodeſſent, ſi loquendi occaſionem congrue captarent. Ideo prius intimos animi ſui ſenſus Cardinalis perſcrutetur, vt vere digno ſcat quid illud ſit, quod eum ab huiuſmodi officio omnino retardare poſſit, ne forte hæc humana ſit imbecillitas, quæ Principis gratiam in ſuum, ſuorumve vſum amittere metuens, nolit, ſe periculo Princi-
C pis aures perturbandi, illiuſque beneuolentiam minuendi, exponere, quandoquidem ceſſante cupiditate, tuta ſunt omnia: & vt dici ſolet, qui non ſperant, non timet.

VNDE ſicut ſcripſit Hoſtienſis grauiſſimus auctor, [a] quem ijſdem verbis ſequitur Ioannes Andreas, loquens de Papa, qualis eſſe debeat erga Cardinales: *Quod parum, aut nihil decet, Papam facere ſine conſilio fratrum ſuorum,* [b] ſic viciſsim dicimus, decere, & Cardinales ipſos ita ſe gerere erga Papam, ne quidquam omnino, quod publice prodeſſe poſsit, omittant, aut vmquam ei abſcondant.

ALTERVM, in quo Conſiliarius operam ponere debet, illud
D eſt, vt non ſolum hæc meditari ſtudeat, quæ Papæ ſint deferenda, ſed etiam ab alijs eadem inueſtigare curet, vt ſi quid per Vrbem de rebus in Conſiſtorio geſtis, quod ſcire expediat, circumferatur, id quoque ipſi perſpectum ſit. Nam etſi uitium illud, quod curioſitatis dicitur, Cardinali maxime eſt fugiendum, eò quòd inter cetera, quę inde ſequuntur mala, in ſcrutandis aliorum factis inutiliter uerſetur, [c] eo morbo laboraſſe Athenienſes S. Lucas in actib. Apoſtolorum tradit dum ait: *Ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere aut audire aliquid noui,* [d] Vnde & Plutarchus egregium libellum ſcripſit aduerſus curioſitatem, [e] quæ & a ſanctis Patribus damnatur. [f]

a Hoſt. c. antiqua, de priuileg col. 2.

b Ioan. And. d. c. antiqua.

c S Tho 2. 2. q. 167. per totum S. Antonin 2 par. tit. 3. c 2.

d Luc. 17.

e Plutarch. de curioſ vitand.

f S. Hierony. ad Damaſ de fil prodig S. Aug lib. 10. confeſ c 35 S. Greg. homil. 39. in S. Luc. cap. 14.

ATTA-

A ATTAMEN, quando huiusmodi inuestigatio, debita moderatione adhibita, ad ea dirigeretur, quæ officij sui sunt, & vnde publica vtilitas possit adiuuari; tantum abest, vt tunc sit arguenda, vt potius commendationem mereatur, [a] ac in munere suo præstando vigilantium ostendat; præsertim cum Cardinales tamquam Sedis Apostolicæ Senatores permulta cognita habere expediat, quæ alijs non sunt necessaria; dum tamen ad hunc finem, vt publicis rebus consulatur, ac Sedi Apostolicæ seruiatur, ista omnia prudenter inuestigentur, & exerceantur

[a] S. Tho. 2.2. q. 167. art. 1. & 2.

X.

B POSTREMO, vt, quæ supra diximus, eo tenacius Cardinalis menti inhæreant, ac reliquas vitæ suæ actiones ad summam quam sustinet gradus excellentiam eo certius valeat instituere, placuit pręclaris illis S. Bernardi verbis, tanquam sacro sigillo, vniuersa obsignare, ac simul scriptionem nostram ad Dei Omnipotentis, ac gloriosæ Virginis laudem terminare.

Quæ partes sint veri Cardinalis in tota eius vita ex S. Bernardo.

SANCTVS igitur BERNARDVS ad Eugenium Papam de Cardinalium disciplina scribens, quos vocat suos collaterales, & coadiutores, inter cetera sic inquit: [b] *Præter Dominum timeant nihil, nihil sperent nisi a Deo. Qui aduentantium non manus attendant, sed necessitates. Qui flent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro māsuetis terræ. Qui sint cōpositi ad mores, probati ad sāctimoniā, parati ad obedētiā, mansueti ad patiētiā, subiecti ad disciplinā, rigidi ad censuram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad vnitatem. Qui sint in iudicio recti, in consilio prouidi, in iubēdo discreti in disponēdo industrij, inagēdo strenui, in loquēdo modesti, in aduersitate securi, in prosperitate deuoti, in zelo sobrij, in misericordia non remissi, in otio non otiosi in hospitio non dissoluti, in conuiuio nō effusi, in cura rei familiaris non anxij, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, vbiq; & in omnibus circūspecti. Qui legatione pro Christo fungi, quoties opus erit, nec iussi renuant, nec nō iussi affectēt. Qui quod verecūde excusant, obstinatius non recusent. Qui missi post aurū non eant, sed Christū sequantur, Qui quæstū legationē non æstiment, nec requirant datū, sed fructū. Qui Regibus Ioānē exhibeāt, Aegyptijs Moysen, fornicātib. Phinees, Eliā idololatris. Eliseū auaris, Petrū mētiētib. Paulū blasphemātib. negotiantib. Christū. Qui vulgus nō spernāt, sed doceāt, diuites nō palpēt, sed terreant; pauperes nō grauēt, sed foueāt; minas Principū nō paueāt sed cōtēnāt. Qui nō cū turba intrēt, nec cū ira exeant, qui Ecclesias nō spolient, sed emēdēt. Qui marsupia nō exhauriāt, sed corda reficiant,*

C D

[b] S. Bernard. li. 4 de consid.

A *reficiant, & crimina corrigant, famæ prouideant suæ, nec inuideant alienæ. Qui orandi studiũ gerant, & vsum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quã suæ industriæ, vel labori. Quorũ ingressus pacificus, non molestus exitus sit. Quorũ sermo ædificatio, quorũ vitæ iustitia, quorum præsentia grata quorũ memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant, non verbo, sed opere: reuerendos exhibeant, sed actu non fastu. Qui humiles cũ humilibus, & cũ innocentibus innocentes, duros dure redarguant, malignantes coerceant, red dãt retributioné superbis. Qui nõ de dote viduæ, & patrimonio. Crucifixi, se, vel suos ditare festinent, gratis dantes, quod gratis acceperunt, gratis facientes iudiciũ, iniuriã patiẽtib. vindictã in nationib. increpatiões in populis.* Et paulo post: *Qui ad te redeãt fatigati quidẽ, sed nõ suffarcinati, simul et gloriãtes, nõ qđ curiosa seu pretiosa quæq; terrarũ attulerint, sed quod reliquerint pacẽ Regnis, legẽ Barbaris, quietẽ Monasterijs, Ecclesijs ordinẽ, Clericis disciplinã, Deo populũ acceptabilẽ, sectatorẽ bonorũ operũ.* Hactenus sanctus Bernardus.
B

HÆC HABVI, quæ de sacri Consistorij Consultationibus vtcumque differerem, atque alijs etiam, oblata opportunitate, communicanda curarem; non quidem tamquam argumentum aliquod ingenio meo nunc primum inuentum, aut propriæ industriæ viribus excogitatum; sed potius, vt rem magnam ex parte a multis iam diu cognitam, ac maiorum etiam probatam instituto proferrem. Nã cum vniuersa hæc longe, lateq. dispersa, ac permixte, confuseq. distracta perspicerem, operæ pretium visum est, si nouissimus ego, amplissimorum, & eruditissimorum virorum opera adiutus, eadem in vnũ colligere, atque ordine aliquo contexta, depromere conarer, vt eò clarius, si fieri posset, suo tempore, omnium oculis paterent. Quare nemo existimet, iniustam aliquam hoc nomine nos laudem affectare, quod primi harum sententiarum auctores agnosci velimus: immo enim, si quid hic verum, ac non incommode dictum inueniatur, illud non humano cuiusuis ingenio, sed Deo omnis veritatis auctori, vt scripsit S. Augustinus, omnino, vt par est, adscribendum putamus. Si vero mendum aliquod, aut erratum inciderit, id nostræ imbecillitati tribuendum censemus, cuius a cælesti misericordia veniam humiliter precamur. Ille igitur, qui fons perennis est omnis consilij, doctrinæ, sapientiæ, & veritatis, eadem gratiæ suæ dona, pro eximia sua benignitate, in nostrum omnium animis, quos ipse Sedis Apostolicæ Consiliarios delegit, purius, & abundantius ad Ecclesiæ suæ sanctæ robur, ac firmamentum defigere dignetur.
C
D

DEO HONOR, ET GLORIA.